image
not
available

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
A
47
NAPOLI

XXXVIII
A
47

~~23 A 83~~

Digitized by Google



ACTIO ALBERTI DE ALBERTIS E SOC IESV
IN ELOQVENTIÆ CORRVPTORES.

by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ALBERTI
DE
ALBERTIS

Tridentini

E SOCIETATE IESV

In Eloquentiæ quum profanæ, tum ſacræ corruptores

ACTIO.

Cum duplici ad calcem Indice, altero interpretationis vocabulorum, altero realium, & verborum.

NAPOLI

MEDIOLANI. MDCL

Formis Ioannis Petri Euſtorgij Ramellati.

IVLIO CARDINALI R O M Æ,

Epiſcopo Portuenſi, & Tiburtino.

QVoniam *vita docentis*, vt Orator *obedienter audiatur, maius habet pondus*, quemadmodum magnus Auguſtinus eſt auctor, *quantacunq; granditate dicentis*, quid huic congruentius operi, in quo eloquentiæ velifico, præſtare poſſum, quàm vt cunctos diuini verbi præcones, ad Tua immortalia facinora, Cardinalis Eminentiſſime, quibus potiſſimùm Chriſtianam vitam populos tuos viuere doces, ſedulò contemplanda, quò illi tā ſalutifero, planeq; neceſſario documento imbuantur, officiosè inuitem? Præis tu factis verba, quæ loqueris, atq; ita non tam vocibus,

lib 4 de doc Chriſ c. 27.

Quàm exemplis; quoſcunq; etiam refractarios frangis, Chriſtoq; lucraris. Eloquentiæ tuæ ſingulare videlicet artificium eſt, Palatium nullum Tibi, neq; Tuis, ſed princeps, auguſtumq; Templum Numini Tyburc, ære Tuo magnificè ab imis fundamentis conditum; nobile eadem in vrbe domicilium, vel Romæ quoq; viſendum, alendis, excolẽdis que Clericis, virtutis nempe palæſtra, & Seminarium, ſplẽdidè a Te excitatũ; ad Portum Iulium hoſpitium publicũ viatoribus, & peregrinis munificè a Te pariter extructũ. O quã validè peroras, quũ conſãguineis tuis ne obolũ quidem largiris, memorabili prorſus moderationis oſtento (nec illi largitioni inhiant, ſed obluctati ſunt, pari omnino, ne dicam, maiori temperationis prodigio) quum famulis tuis, aulicifque duplex ferè ſtipendium, quò nullam ex Sacerdotijs penſionẽ ligurire queant, perſoluis; quum reditus tuos in egenos tam liberaliter erogas, vt Pater pauperum non minùs ſis, quàm prędiceris? Quid Tua oratione blandius, ſimulq; rapidius, qui præter ſacerdo-

talium

caliũm precum ordinariũm penſum, matutinam horam cæleſtibus commentationibus, totus in Deum immerſus, impendis? qui ſacris cotidie ſanctè operaris? qui diuini amoris captus dulcedine, in conclaue abditus, ſeceſſum ac ſolitudinem quæris? qui ita vacas Deo, ac Tibi, ut caritate in proximos pariter flagrans, benignas aures adeuntibus, negotiumq; non rarò importunè faceſſentibus inuicta patientia præbeas, ouesq; Tuas bonus Paſtor tam frequenter inuiſas?

Sunt equidem inſtrumenta perſuaſionis Rhetoricę vulgo decãtata, argumenta, mores, atq; affectus, quæ eo magis Orationem ornãt, quo magis armant, vt ipſomet huius Actionis emblemate initio denuntiaui: at multo magis Tua vita, Tua candidiſſima ſynceritas, e Tuis dictis, factiſq; pellucens, quæ alioqui nimis ſæpe ab aula longè peregrinatur, Tua præclariſſima geſta, ac virtutes, ſumma Tui Nominis exiſtimatio, quę Vrbem, & Orbem implet, quàm cuncta alia dicendi præſidia, ad hominum prauas voluntates expugnandas, elo-

quentiam muniunt. Quid quod tam multiplici, Apoſtolicoq; ore, de ſacro ſuggeſto tonas, quàm multos excurſores operarios concionabundos in vineam Domini per cuncta oppida, & pagos Tuæ paſtorali curæ diuinibus concreditos Tuis ſumptibus indeſinenter circummittis?

Quocirca mirari non debes, Cardinalis ſapientiſſime, me, pannoſum alioqui, ignotumque hominem, Tuæ ſplendore purpuræ minimè abſterritum, hanc Tibi Actionem inſcribere. Nihil enim meæ conducibilius cauſſæ ad Apoſtolicum prædicandi Euāgelij munus cum animarum fructu vberrimo obeundum, quod ego iſta lucubratione maximè vrgeo, potui excogitare, quàm exemplar Tuarum virtutum Concionatoribus omnibus ſpectandum, imitandumq; proponere. Quod ſi hoc meum conſilium Tibi adhuc inaceſcit, meq; irreuerentiæ nihilominùs arguis, teſtor ego præterea ineluctabile neceſſitatis telum, quo adactus, quum iam pridem immortali beneficio tibi eſsē obſtrictus, hoc tenue mei non ingrati

om-

omnino erga te animi ſpecimen extare volui; neq; Tu iure me prohibere potes, quin contractum iam dudum tecum debitum coner ſaltem expungere: quanquam hinc rurſus in aliud graue æs alienum incido, dum hac officij mei teſtificatione obſcurũ meum nomen Tuo clariſſimo, atq; eminentiſſimo tam luculenter irradio: cui ſanè expediendo, quia impar omnino ſum, Numen ſupremum obteſtor, vt id Tibi cumulatè repræſentet, Teq; ſuo diuino cultui, & Eccleſiæ fulcimento, nec non communi omnium ſaluti quam diutiſſimè ſeruet incolumem.

Mediolani MDCXXXIX. Non. Ianuarij.

Eminentiæ Tuæ

Deuotiſſimus

Albertus de Albertis
e Societate Ieſu.

Candido, & veritatis candidato LECTORI.

ANte, quàm Actionem hanc inſpi-
cias, da mihi operam parumper,
quæſo, humane Lector: paucis
enim eſt, quod te volo de more.
Sine verborum officioſis offucijs,
A quæ multas ſæpe paginas fruſtra occupare ſolent,
quid tibi velim maximè non latêre, ſtatim per-
ſtringam. Primò Candidum te appellaui, quòd
unâ rationis defæcatæ trutinâ abs te, veritatis
cubilia ſine ullo affectionum æſtu ſynceré inda-
gante, meam hanc qualemcumque lucubratio-
nem expendi, conſeriq; diſcupio. Alioqui ſi quis
animo malè placato, vel auerſo ſtomacho, vel
harum literarum haud ſatis gnarus in me ge-
B nuinum illico figere voluptati habeat, nemo, cre-
do, a me, vt iſtius eam iudicio cenſuraue ſubij-
ciam, meritò poſtulauerit. Cordatos ego viros,
eloquentiæ apprime peritos, ſtyliq́ue, ac Latinita-
tis ſcientiâ perpolitos mea huius Actionis Iudi-
ces non modò non recuſo, ſed vltro etiam poſco,
atque, vt me liberè moneant, corrigantq́ue, ex
animo quoque ſupplex obteſtor.

2. Quum autem tuas in manus hic Liber perue-
nerit, ne, rogo, eius mole haud ſanè exigua, pri-
mo ſtatim aſpectu, patiaris te ab ipſius lectione

abeas.

*abſterrerit; ſed illum delibа ſaltem, ſpecimenq; ali-
quod; ſi non vis omnino perlegere; explorabundus* C
*præcerpito: hoc vnum ſi à te impetrauero; fortè
guſtata lectionis te non pœnitebit: fortaſſe re-
rum ſuauitate inuitatus, de manu niſi luſtra-
tum omnino non mittes.*

3. *Librum totum, exemplum Ciceronis ſuas in
C. Verrem Orationes Actionis nomine donantis
ſecutus, Actionem inſcripſi; tum quòd Actio iu-
dicialis plerunq; generis Oratio foret; tum quòd
haud paulo longior ferè eſſet, quàm quæ haberi
soleret, aut poſſet ad clepſydram. Multa enim
Oratores, anguſtis dicendi ſpatijs intercluſi, in
ſuggeſtu leuiter tantùm attingere: multa ab-
rumpere, aut penitus omittere cogebantur; quæ
tamen omnia, vbi Orationem, ſeu Actionem in
vulgus edebant, copioſè, atque eâdem prorſus
formâ ac ſi in Roſtris, atque in Foro habita eſſet,
dilatabant. Haud ſecus, quum mea controuer-
ſia iudicialis ſit, atq; ego meis Aduerſarijs dicam* D
*hic, ſcribam, eoſq; in ius vocem; cauſſa etiam
longa admodum ſit, & nihilominus eo ſcripta
ſtylo, ac ſi de Roſtris ad Auditores eſſet perora-
ta, non temerè, vt reor, neq; ab re nomen ſibi vin-
dicat Actionis.*

4. *Libuit etiam hac oratoriâ potiùs Actione,
quàm conſuetâ formâ diſceptandi, preſſâ magis,
atq; leniore, eloquentiæ vitia, quæ iam paſſim
graſſantur, exagitare; ne quis, quod pleriſq; alijs
Scriptoribus nonnunquam vitio, neq; immeritò,
verti ſolet, quòd multa quidem in aliorum Ora-
tionibus, atq; Concionibus reprehendant; at nul-
lam ipſi neq; Orationem, neq; Concionem ad Ari-
ſtotelis, Tullijq; præcepta exactam ſciant, aut*

poſſint conformare; idem quoq; mihi, ſi cæterorum errata dumtaxat inſectans nullo ego docendi exemplo, qui eiuſmodi errata inducenda, ac vitanda ſint, docens, p, airem, iure obijceres. Hac de cauſsâ, quantum mihi per mearum tenuitatem virium fas fuit, ſtudui eâdem operâ & aliena piacula carpere, & germanam Orationis formam in exercitationem traducere. Non equidem, quòd mihi perſuadeam, Ciceronianæ characterem eloquentiæ me conſecutum (ſat ſcio, quàm longè abſim) ſed vt aliquam informationem rudemq; ſpeciem tibi, Lector, porrigerem, ex qua tanquam ex vngue Leonem quàm pulchrè oratoria Ariſtotelis & Tullij præcepta, quibus hærere conatus ſum, cum vſu ipſo, ſi quis eloquendi peritus, illis, ſi non ad amuſſim accuratè ſaltem inſtiterit, ſint conſenſiera, poſſes colligere.

5. Ad leuandum tamen tædium, quod ex longiore, eaq; perpetuâ lectione oriri ſolet; totam Actionem, etſi vna omnino, ac ſola ſit, vt ex ſubiecto ſchemate facilè liquet, quinque in partes præcipuas, nempe in confirmationem, in refutationem (quæ duo in capita diuiſa eſt) in appendicem de Concionum corruptelis, & in huius operis defenſionem, præter exordium, & perorationem: ſingulas verò partes minora in membra, atque particulas de induſtriâ ſecui, & diſtribui.

Quòd ſi ea de fine perſuaſionis diſſertatio initio explicata, cæteraq; præmunitiones longiora paulo ſunt, cupiditatemq; tuam præcipua quæſtionis quàm primùm inſpiciendæ, atq; ad Confirmationem properandi, ſi non ludificari penitùs; at diutius aliquanto, quàm par ſit, fruſtrari videntur, ac fallere: patienter id, quæſo,

quis-

quicquid eſt, morā ſuſtine, videbiſq; in progreſſu eiuſmodi præmunitiones huic controuerſiæ non minùs neceſſariò fuiſſe adhibendas; quàm domui fabricandæ ſua præſtruuntur fundamenta. Sin autem ingenio adeo volucri es, moræq; omnis impatiente: age, totas illas præmunitiones neglige, & poſt quæſtionem membro 19. propoſitam, ſtatim ad Confirmationem membro 47. collocatam tranſuola. Quanquam totum ædificium ruat, neceſſe eſt, niſi quæ in præmunitionibus ſtabiliuntur, pro exploratis habeantur.

6. Appinxi præterea ad calcē operis, doctorum virorum exemplo; eorum vocabulorum, quorum ferè in communi ſermone rarior eſt vſus, ac proinde minùs vulgò comperta ſunt, tum aliorum etiam nonnullorum, etſi non ita ignotorum, indicem atq; explanationem; vt ſcilicet quā mente ſingula vſurpārim, dilueſceret. Lectorique, ſi quid eum fugit aut remoratur, tanquam nomenclator ad manum breui ac planā ſimulq; exiguæ molis, vt quolibet nullo negotio liber circumferri poſſit, interpretatione aperirem. Characteres autem vocabulis ipſis, quæ explico, introrſus, pariles q; alios extrinſecus in margine, vt facilè reperiri queant, adiunxi. Sed quia interiectī intrinſecus, expeditæ lectioni, dubitationis obiectā remorā, nōnihil officiunt, eos poſt pag. 72. deinceps penitùs omiſi, cæteroſque in margine tantùm retinui.

7. Porrò ſi quas leges in Latini vſu ſermonis mihi ſanctas eſſe voluerim, quas vt ſuperſtitioſas reiecerim, ex me fortè ſciſcitaris; integram ego de Scitis ac Placitis Latinitatis Diſſertationem, in quā Latinam linguam non tantùm ex aureō

ſæculi

ſeculi Auctoribus, ſed ex alijs quoque citerioribus hauriendam oſtendi, non oſcitanter, vt reor, elucubraui. Hanc, amice Lector, ante quàm verbum vllum aut nomen Latino inuiſum Calo, atro notes calculo, vt legas, etiam atque etiam rogo. Equidem, vt omnem in ſcribendo affectationem, & moroſitatem ſummopere mihi cauendam duxi; ita non indiligenter, puto, curaui, vt vocabula ſingula, loquendique forma, Latinâ commendata teſſerâ, ac munita, aliquem ſemper ex Claſſicis Scriptoribus, vel certè ineluctabile neceſſitatis telum, iuſtâue imitationis rationem, vt infra in adiecto Catalogo planiùs conſtabit, teſtari poſſent.

8. Quod ſi cui in deſcriptionibus, quas & paulo plures, & multo longiores, quàm in vllius Auctoris vnâ Oratione hactenus leguntur, meâ ſolâ Actione complexus ſum, nimius fortaſſe videor: nemo, opinor, facilè eas vituperabit, ſi meam hanc lucubrationem non reliquarum Orationum exemplo metiendam, ſecum attentè reputauerit. Nulla enim ad hanc vſque diem Oratio, qualis mea eſt, fortè lucem aſpexit. Alia mihi dicendi occaſio quàm cæteris; aliud conſiliũ; ratio, materia, ſcopus, ac finis alia. Nemo quippe Oratoriam controuerſiam tã longâ Oratione, vt ego, diremit. Quid mirum igitur, ſi in longiore tot tantiſque partibus Oratione plures etiam, & productiores deſcriptiones appareant? Aliorum Orationes auribus, atque Auditoribus ſeruiunt; mea verò, quum eo conſilio ſcripta ſit, vt legatur tantùm, non vt habeatur, oculis dumtaxat, atque Lectoribus. Quid quòd nulla harum deſcriptionum, ni fallor, otioſa, nulla ſupernacanea, nulla

(quales

(quales nō raro aſſumuntur) temerè agglutinata? Ego enim ſingula propemodum, quæ deſcribo, commodùm in rem meam minutatim traduco. At quod ad probandum egregiè confert, cauſſaq̃ veliſicatur (niſi quid aliud piaculi ſecus iubeat) ſine vllã religione in Orationem aptè trahi poteſt. Quare, quum deſcriptiones illæ, quibus vſus ſum, & cauſſæ confirmandæ conducant, & in vitium, ſi quod carpendum eſt, bellè quadrent, iure non omittendas exiſtimaui. Imò, quum nonnullorum vitiorum tam variæ, ac multiplices ſæpenumero partes ſint, tùm ſinus adeo complicati, tectiq; , hi certè omnes, niſi longã, accurataq; deſcriptione, tanquam laciniosa quadam veſtis, ſatis explicari non poſſunt.

9. Ne quis verò aſperiore a me ſtylo quum Oratores, tum Concionatores eloquentiã turpiter abutentes perſtrictos eſſe meritò conqueri poſſit, integra hac de re diſputatio tum parte primã, tum quintã conſtata, validè intercedet.

10. Ad hæc, ſi in Orationis veſtibulo res nimio plus exaggerari videatur, materiaq; nec tanti eſſe momenti; neq; tam confragoſo dictionis generi par; neq; ſatis digna, vt de eâ, ac ſi de Græcia, Troiaq; fortunis ageretur, tantâ contentione dimicetur; paulisper, quæſo, hoc præiudicium differto ſtatimq; in lectionis curſu nu. 8. nō de verborum phaleris, vel de Rhetorum floſculis litem eſſe conteſtatam, ſed omnia ad grauiſſimum ſacri Concionatoris munus ritè obeundum, quo ſicut in humanis ad animas Chriſto, Caloq; lucrandas nullum præſtantius eſt inſtrumentum; ita etiam maius nullum ferè ſuppetit argumentum, referri animaduertes.

Vt enim Hebræi gazas Ægypti, quas abſtulerunt; Deo olim deuouerunt; & profana Deorum fana ſanctè expiata, a Chriſtianis populis vero ſacrari Numini cõſueuerunt: ita profectò omnis illa Senatus, Fori, atq; Roſtrorũ ciuilis eloquẽtia hic ſacra ad Templa transfertur, iuxtaq; diuinâ quadam adornata ſpecie, æterna procuratrix felicitatis, inauguratur.

11 *Præterea, vt Auditores ego Actioni huic conſentaneos in concionem cogerem, neceſſe planè habui ſpecioſo vti commento, ac fingere, generalẽ totius Orbis conuentum, in quo de cunctis corruptelis è Chriſtianâ Repub. tollendis, ac proinde & de Orationum, Concionumq; vitijs quoq; extirpandis in medium de more conſulitur, celebrari; cuius Præſides ex doctiſſimis, lectiſſimisq; viris conſtantes, ſoli Iudicum munere funguntur; cæteri verò tam Oratores, quàm Concionatores ad id Concilium nominatim conuocati, Auditorũ dumtaxat partes agere cenſentur.*

12 *Poſtremò, quod ad ſcribendi, interpungendiq; rationem ſpectat, quum hæc apud eruditos non omnino rata, & fixa ſit, ſed varia, ac multiplex, mihi ſatis fuit, eam, quam viris diſertiſſimis probatam, ac frequentatam video, vſurpare. Vnde nullis ego accentibus, niſi vbi ad vnam vocem ab aliâ diſcriminandam opus eſt, vti ſoleo: atq; adeo* bene, rite, clam, tum, ideo, *præpoſitiones* a, & e, & *ſimilia ſine vllâ accentiunculâ ſcribo quod ſi ſecus quidpiam alicubi obſeruatũ offenderis, librario dumtaxat imputa.*

Gulielmus Calaueronus Societatis Ieſu in Prouincia Mediolanenſi Præpoſitus Prouinc.

QVum Librum, qui inſcribitur, IN ELOQVENTIÆ QVVM PROFANÆ, TVM SACRÆ CORRVPTORES ACTIO, à P. Alberto de Albertis Societatis noſtræ cõpoſitus, quatuor eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, poteſtate ad id facta ab Adm. Reu. P. Franciſco Piccolomineo Præpoſito Generali, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos ſpectat, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas dedimus, & ſigillo noſtro munitas. Mediolani 1650. Septem. 7.

Gulielmus Calaueronus Soc. Ieſu Præpoſ. Prouinc.

Adm.

Admod. R. P. F. Georgij Rainoldi Ord. Præd. in Diui Euſtorgij ſtudiorum Regentis cenſura.

Actionem hanc pro natiua eloquentia vindicanda, cõtra modernos Aſianos, luxurianti verborum apparatu tumidos, & redundanti loquacitate laſciuientes compoſitam ab Adm. R. P. Alberto de Albertis e Societate Ieſu, volui, & reuolui, ex commiſſione R. P. F. Franciſci Cuccini Sac. Theologiæ Magiſtri, & Inquiſitoris Generalis vigilantiſſimi Status huius Mediolanenſis. Genium primæuum ſeneſcenti penè Suadæ illuſtriorem redditum ominor, nitorem ſcripti demiror, ſcriptoriſq; candidi animi symbolum, etſi non ex alijs conſtaret, perſpectum de his habeo. Et meritò ius Spartanum contra Eloquentiæ corruptores actum approbo, ac iuſtiſſimè ab Authore Reginæ huic gratiſſimo Alumno, euchariſtico, orthodoxoq; prorſus ore latum, iudico, in hoc noſtro generali ſtudio S. Euſtorgij Mediolanenſi Ord. Prædicatorum, die 24. Decemb. 1649.

Fr. Georgius Rainoldi Regens.

IMPRIMATVR.

Fr. Franciſcus Cuccinus Magi-
ſter, & Inquiſitor Generalis
Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro
Eminentiſsimo D. Cardinali
Archiepiſc.

Comes Maioragius pro Excel-
lentiſs. Senatu.

P. Io.

P. Ioannis Rho e Societate Ieſu ſpectati Concionatoris, ad Libri huius examen a Moderatore noſtræ Prouinciæ deſignati Cenſoris iudicium clam ſcriptum, ipſique porrectum, quod deinde in Auctoris manus peruénit.

ACtionē P. Alberti de Albertis e noſtra Societate diligēter perlegi, in qua ipsā, quam validè aduersus ineptias huius ſeculi propugnat, eloquentiā exhibet. Exiſtimo ingentes allaturā vtilitates, ſi qui Orationes, quiq; Conciones habent, animum attendant; atque adeo omnium eruditorum luce eſſe digniſſimam. Mediolani iv. Nonas Ianuarij. MDXXXIX.

Ioannes Rho.

Eiuſ-

Eiuſdem P. Ioannis Rho Epiſtola, poſt lectam, expenſamq; hanc Actionem, vltro ad Auctorem data.

Ioannes Rho Alberto de Albertis S. P.

QVam in corruptores eloquentiæ Actionem ſumma eloquentia ſcripſiſti, eam ego ſumma voluptate perlegi. Vtinam id plerique velint, quos ſeculi inſania tranſuerſos agit, vt quum ſummi ſibi in arte videantur, eam ne quidem intelligant. Aguat æſtu quodam inſanientium ingeniorum, quorum opes inaniſſima prodigunt oſtentatione. Vt omnia autem dicant, nihil dicunt ad rem, quaſi verò niſi delirent, ingenioſi videri non poſſint. Miſeret me hominum, quos malus inficit error, arbitrorque tibi gratias ab eruditis habendas, quòd luculenta ſcriptione fucum deterſeris, quem eloquentiæ vana inducit opinio hominum. Perge porrò, atque ſtylo ad maiora traducto, corruptiſſi-

mi ſeculi moribus medicinam aliquam adhibeto, haud dubius, æuum latura, non ſine ingenti Reipublicæ emolumento, quæcunque ab eloquentia elaborantur, Sed vltra æuum erit piarum vigilarum merces, quam tibi ex animo voueo. Mediolani iv. Non. Ian. MDCXXXIX.

Erratorum Index

Typographi menda, quanquam Actor calamo expungenda curauit grauiq, quia tamen nauata ab alijs opera ad vmbilicum perducta non eſt, hic diuerſo characteris genere emendata ſubijciuntur. Cætera, omnio leuiuſcula, quæ reſtant, eruditus Lector acilè corriget.

Prior numerus paginam, poſterior paginæ verſum denotat.

2. 28. inuſiatam, *inuſitatam*. 4. 6. facuitatem, *facultatem*. 7. 10. ficto, *ficta*. 7. 11. aliàs, *alios*. 19. 24. Cartaginienſi, *Chartaginienſi*. 22. 4. Oreginem, *Originem*. 28. 22. inſnper, *inſuper*. 46. 16. enthymata, *enthymemata*. 54. 30. qu, *qui*. 59. 16. uauius, *ſuauius*. 80. 2. iam, *ſi iam*. 94. 27. obdurati, *obturati*. 99. 20. conſt ra, *conſtrata*. 115. 15. expoſitionis, *expolitionis*. 145. 30 ἀποκαρτέργοιν, ἀπακαρτερεῖν. 155. 23. auſpiciabuntur, *auſpicabuntur*. 156. 28. odi, *odij*. 165. 11. Aduorſariorum, *Aduerſariorum*. 180. 32. paludamendo, *paludamento*. 194. 19. nobilq;, *nobiliq;*. 208. 5. inneniri, *inueniri*. 153. 32. oppurtonum, *opportunum*. 258. 3. hippodrono, *hippodromo*. 267. 24. habetatum, *hebetatum*. 288. 16. fidibns, *fidibus*. 303. 4. habetauit, *hebetauit*. 305. 28. iugenium, *ingenium*. 348. 28. Athanaſij, *Athanaſij*. 350. 18. cohæreant, *cohæreat*. 355. 19. tuncus, *truncus*. 368. 19. ſingultibus, *ſingultibus*. 372. 12.

exter-

externæ, *æterna*. 395.13. & Nazianziq; , *Nazianziq;* 416.25. inſedentes, *inſidentes*. 420.8. ſemonis *ſermonis*. 436. 33. natriuntur, *nutriuntur*. 4[illegible]7. 33. Epiſtola 15. *Epiſtola* 115. pag. 471. 7. multta, *multa*. 472. 9. hoſteſſima, *honeſtiſſima*. 485. 20. loquacitatiuis, *loquacitatis*. 493. [illegible]. omneq;, *omneſq;*. 512. 1. reſpondent, *reſpondet*. 515.33. col.1. *fugira*, figura. 515. 33. col.2. auularij, *anularij*. 520.18. candido, *candico*. 529. 18. col. 1. ſufflaminem, *ſufflamen*. 546. 33. col 2. ſu- *ſuo*.. 548. 18. col. 1. interpolate, *interpolare*. 558. 14. col.1. illeuies, *illuuies*. 562. 26. col.1. cuius, *cuiuis*. 570. 2. col.2. percurrunt, *percurrit*. 573. 10. col.2. ſecto, *feſto*.

Errata erratis quoniam cumulat Typographus, Græcum nomen p. 145. 30. perperam editum, peiuſq; correctum ſic emenda: *ἀποκαρτέρησιν*.

SCHE-

ACTIONIS

De fac

De ina

externæ, *æterna*. 395.13. & Nazianziq; , *Na-xianziq;* 416.25. inſedentes, *inſidentes*. 420.8.

ACTIONIS PRIMA PARS:

In quâ oſtenditur, Ciceronianæ eloquentiæ deſertores corruptiſsimo dicendi genere laborare.

I INfantium oſtentatione Rhetorum, *A* putidâq; adoleſcentum declamatorum affectatione, Patres ampliſſimi, factum eſt, vt eloquentia, quæ tanto ſemper in pretio, atq; honore habita, animorum olim moderatrix ſuauiſſima, omnium ſibi voluntates antea facilè deuinciebat; iam verſo pollice, gratiâ, fauoréq; orbata, Auditoribus cordatis æquè, ac imperitis ingentem ſui ſtomachũ moueat, maximumq; pariat faſtidium. Nam dum illi in exedris, *B* in gymnaſijs, in academijs nullâ penè aliâ de re, quàm de eloquentiâ, diſſerunt, dum intempeſtiuâ ambitione de eloquentiæ laudibus ſemper diſputant, dum cæterarum rerum quæſtione, atq; argumento ferè proſcripto, hanc vnam de eloquentiâ prędicationem concioni *C* ingerunt, hanc vnam vel inuitis auribus obtrudunt, dum A B C

 elo-

eloquentiæ modò incunabula repetunt, modò crepundia *D.* exornant, modò incrementa exaggerant, iam adoleſcentiam extollunt, nunc virilem ætatem admirantur; dum eloquentiæ denique opes, dignitatem, vim, ac potentiam amplificant, hanc eidem existimationem, nomenq; vulgò pepererunt, vt quemadmodum ineptus ille pictor ſimulare cupreſſum tantummodo nouerat, ita ipſa de ſeſe magnificè dicere ac loqui dumtaxat poſſe crederetur. Hinc tot Oratores, quorum illa ſolebat eſſe auita laus, vt populo vterentur planè ſuo, noſtrâ tempeſtate vix leui præſagio ſuſpicionem inijciunt, de eloquentiâ futuram eſſe orationem, quum ſubitò Auditorum pleriq; in hiatum ora diducunt, alij cũ aſſeſſoribus colloquuntur, alij ludibundi paſſim palamq; circulantur, alij e veſtigio vacua relinquunt ſubſellia, omnes poſtremò, qui reſtant, ſermocinatione, riſu, ac ſtrepitu, obſoleto eloquentiæ panegyrico interceдendo, eius non ad excipienda preconia, ſed ad cumulanda dedecora ſe conueniſſe demonſtrant. At hodiernâ luce, ſapientiſsimi Patres, non ego verere, conſuetoq; more, non antiqua recudendo, non peruulgata recõcinnando, dicturus ſum; ſed inexpectato planè prodigio nouam, inuſſatam, inauditamq; affero pro eloquẽtiâ expoſtulationem potiùs, quàm orationem. Ipſa ipſa eloquentia, quæ ſingularibus ſui priuilegijs aliàs importunè decantatis, Auditores nauſeæ pleniſſimos hactenus ab ſe dimiſit, longeq; abalienauit;

hodie non inanibus aliorum de ſe exulta
prȩconijs,ſed proprijs afflicta querelis, non
in ſui laudem, vt quondam, effuſa, plauſum
dumtaxat venatura, ſed tanquam in nouâ lu-
ctus ſcenâ, nouo ſpectanda argumento, non
attentionem tantùm ſibi conciliatura, verùm
etiam haud leuem ſui commiſerationem ab
alijs expreſſura, in ſuggeſtum aſcendit.
Hæc ſapientiæ ſi non parens, certè filia, no-
biliſſimæ ſuæ ſtirpis non immemor, atrata
licèt, ac ſubmiſſo vultu, vos Summates, ac
Præſides, tanquam æquiſſimos Iudices meâ
voce compellat, ad ſinum prudentiæ veſtræ,
ad patrocinium veſtræ auctoritatis nunc pro-
fuga ſeſe recipit, vt ſuarum Iliadem & cala- E
mitatum exponat, vt de immanibus iniu-
rijs,quibus afficitur,vt de maximis detrimen-
tis, quibus exinanitur, non minùs flebiliter,
quàm iuſtè, conqueratur; vt denique ſimul
etiam vos omnes tam improborum facinorũ
iniquitate non mediocriter aliquando cõmo-
ueat, & maiore quoque, quâ poteſt, conten-
tione ad audaciſſimos ſuæ dignitatis corru-
ptores noxæ exemplo dedendos impellat.
2 Verùm præter cætera infortunia, quibus
infelix eloquentia vndiq; obruitur,hoc inſu-
per multo iam acerbiore mactatur, quòd eius
cauſſa, quanquam pluſquàm centumuiralis,
omninoq; grauiſſima, & ipſamet rerum pla-
nè ſumma extremo iſto in actu accuſatori
imbecillo, inertiq;, patrono indiſerto, atq;
ignoto, aduocâto incauto, rudi, imparatóq;
temerè prorſus committitur. Quis enim ego
 ſum,

ſum, viri ſpectatiſſimi, vt homo vſquequaq; nouus, ac nullius nominis, de tam operoſo negotio, tantiq; momenti controuerſiâ appoſitè, ſententiosè, accuratè, & præclarè queam differere? vt verò etiam coner vtcunq; perexiguam dicendi meam facultatem non tam orando, quàm clamãdo vincere, quis tàmen, etſi facundus, & linguâ promptus, ſummâ Concilij huius celeberrimi maieſtate deterritus, non perturbetur, & quicquid quoq; ingenij, aut virium ad eloquendum ipſi reliquũ eſt, cogatur ſupprimere, penitusq; ſilentio præterire? Quid quòd inter ipſos Aduerſarios, in quos ſuſcepta cauſſa liberè, ac fortiter pugnare me iubet, plurimos viros, ſanè magnos, omni liberali doctrinâ politiſſimos, cunctisq; ingenuis artibus inſtructiſſimos hîc numerari animaduerto; quibus ego quũ & reuerentiam non vulgarem debeam, & honorem eximium habeam, & obſequium Religioſum vltro etiam profitear, quo tandem pacto ipſos veluti reos in crimen vocare, & ceu hoſtes agitare, vrgere, premere, ac labefactare, incolumi pudore potero?

3 His enimuerò tam multis, tamq; arduis, ac ſalebroſis difficultatibus, fractus ego planè, Patres ampliſſimi, modò ſuccumberem, gradumque ab hoc dicendi munere referrem, neq; me vnquam in tantam dimicationem iam obijcerem, niſi eloquentiæ in profundũ vltimarum miſeriarum abiectæ incredibilis vaſtitas, deſerta ſolitudo, ineluctabilisq; neceſſitas me ad hanc quãtamcunq; aleam animosè

moſe ſubeundam vel inuitum, tergiuerſantemq; omnino compelleret. De inopi verò meâ linguâ, aridaq;, & de ieiunâ meâ dicendi vi non ſum ego, vt verum fatear, admodum ſolicitus, quũ cauſſæ ipſius, quam tueor, æquitas ſit tam luculenta, tam explorata, tam euidens, nullâ vt egeat eloquentiâ, nullius ingenium patroni, vel artem poſtulet, nullius accuſatoris induſtriam, nullius cauſſidici diſertã, copioſamq; orationem requirat, pronumque ſit vel imperito cuiq;, ac prope elingui tironi hunc Solem medio die adeo clarè ſplendentem intento dumtaxat digito oſtendere. Nec me profectò frequentiſſimus, & grauiſſimus iſte conſeſſus, conſpectusq; veſter tantopere exanimat, aut tantum pauoris mihi offundit; quantum perſpecta veſtrorum iudiciorum integritas, mirificumq; veſtum omnium ſtudium bene conſulendi communi vtilitati, me, etſi alioqui trepidantem, recreat, valdeq; confirmat; quos ego dum toto excubare animo, vt Rempub. a cunctis corruptelis vindicetis, cerno, nullâ ratione poſsũ ambigere, quin ab eloquentiâ quoq; omnes iniurias deinceps ſitis prohibituri; neq;, ad has longè arcendas, facundiâ, pigmentis, aut gratiâ cuiuſquam vobis opus eſſe cenſeo, ſed ſat, ſuperq; habebitis veritatem ipſam inaffectato ſimpliciq; orationis charactere vobis ante oculos poni: quod ſanè me præſtaturum ſicut non inaniter confido, ſic & perſanctè polliceor.

4 Cum ipſis autem meis Aduerſarijs eâ

ego ratione manus conſeram; Iudices, vt ſe reuerenter a me habitos inficiari iure nequeant: ita diſputationi meæ moderabor, vt cuncta tela, quæ expediam, rectà in ipſa dũtaxat piacula, & flagitia, quæ culpo, conijciam; perſonis verò omnino parcam. Quod ſi fortè aliquod ſpiculum in ipſo conflictu, quaſi reſiliens, in caput ipſorum inciderit, eoq; ſe etiam perſtringi, vulnerariq; ijdem ſenſerint, agnoſcent, opinor, homines prudentiſſimi ineuitabilem cauſſę neceſſitatem, cui nimirum aliter nemo integrâ fide, quàm vitia eloquentiæ, quæcunq; iſta ſint, ſoluto liberoq; animo carpendo, ſeruire poteſt; ac proinde nõ inuitè ſimul quoque ignoſcent, etiamſi auctores pariter eiuſmodi facinorum paulùm inde, ex obliquo ſaltem, vellicari neceſſe ſit. Neq; enim Aduerſarios meos tam delicatos mollesq; eſſe prudenter quiſquam ſibi perſuadere poteſt (& valde iniurioſus in eos planè ſit quicunq; de ipſis ita ſuſpicatur, ne dum exiſtimat) vt mihi illi propugnandæ eloquentiæ, accuſandiq; prauos huius infectores poteſtate interdictum velint, adeoq; ſi iſtos accuſem, continuò ſeſe offenſos arbitrentur. Nam ſi illi fas ſibi putant a legitimâ dicendi formâ deſciſcere, ſi bellum inteſtinum ſolidæ eloquentiæ inferre, ſi huius aſſeclas, & clientes ludibrio habere, ſi nullos probare, niſi improbæ corruptelæ
A approbatores, & ſubſcriptores penſi A non habent, cur mihi nefas ſit, eidem eloquentiæ patrocinari, eiuſdemq; perduelles liberè crimi-

mi-

minari? At quænam, obſecro, accuſatoris partes ſunt? quodnam officium? num, vt funeſtas clades eloquentiæ importatas diſſimulet? nũ, vt auctoribus, qui importârunt, conniueat? num, vt cauſſam, ne vllo dicto Aduerſarijs ægrè faciat, perfidiosè iugulet? minimè gentium; ſed, vt hanc tam validè fulciat, vt illos penitùs ſternat. In ipſis quoq; Academijs quàm multi in factiones de induſtriâ diuiſi, fictâ cõtrouerſiæ diſcordiæq; imagine, alij in alios declamant acriter, inuehunturq; etiam aſperiùs non raró, nullo tamen offenſionis, aut amicitiæ diſſuendæ periculo? Quid ni igitur mihi quoq; integrum hoc eodem iure ſit, ita pro eloquẽtiâ aduocatione neceſſariâ vti, vt in eiuſdem Aduerſarios liberè etiam dicere, eoſdem inſimulare, arguere, de perduellione appellare, teſtibus cędere, reosq; agere, ac peragere, citra vllam offenſæ ſubeundæ aleam licitum ſit? Quanquam ego, Patres ampliſſimi, in anteceſſum denuntio, cõceptisq; verbis proſcribo, me accuſatoris munere ita defuncturum, vt de honore, dignitate, ornamentisq; eorum, quos hîc accuſo, nihil prorſus detractum, aut imminutum cuiquam, ſed reuerentiam, venerationemq; ſingulis debitam, ſartam & tectam omnino velim. Fingam igitur prudens me nonnullis ex iſtis non parum, etſi minimè ſum, infenſum, quosq; ego viros ornatiſſimos maximè colo, hodie Aduerſariorum loco, non equidem ex animo, ſed ex compoſito tantùm, vt ſuſceptæ cauſſæ velificem,

amicè ducam; ipſiq; a me,ceu a ſuppoſititio, commentitioq; accuſatore ſe deferri, pungi, peruelliq; nonnihil, pro ſuâ inſitâ humanitate nequaquam indignè ferent. Sed ante, quàm in cauſſam ipſam ingrediar, paulò mihi altiùs de re totâ, vt quibus cancellis meam Orationem circumſcribi,quāue ad metam collineare cupiam, intelligatis, neceſſariò exordiendum eſt.

Eloquentiæ ſtylus inſano metaphorarũ, ac ſenſiculorum ſtudio corruptus.

5 ELoquentia, quæ iam tot lapſorum ſeculorũ decurſu, amiſſo foro exul, a Iudicum relegata ſubſellijs,a Curiâ,& Senatu expulſa, anguſtasque in Rhetorũ Scholas redacta, ſolitudinem ſuam, in aulis ſolùm Academiarum declamando, vtcunq; conſolabatur, iam diu cauſſis forenſibus, in quibus potiſſimùm dominabatur, penitùs ferè abdicata; quum de ſuo, præter elocutionem,nihil propemodum retineret,ad eam ſaluam præſtandam, expoliendamq; omnes intendit neruos, omnes adhibuit calamiſtros. A Hinc gymnaſia Rethorica de ſtylo,de formâ dicendi,de Oratorum facultate, de eloquentiæ præſtantiá cotidie ferè tantũmodo perſonabant. Verùm ne quid ad cumulum tot ærumnarum deeſſet; quæ ſe iam tot luſtris ab interitu domeſticis contenta parietibus, hoc eſt, literarijs palæſtris,egregiè vindicabat; domeſticis quoq; petita armis,

mis, familiarium primò, deinde perduellium quoq; multorum factione Oratorum, iam & patrijs exturbari ſedibus,& contexendæ orationis artificio ſpoliari, & de ſtyli, vt ita dicam, poſſeſſione deijci cœpta eſt. Quid enim? plurimi de grege Oratorum planè gregarij, tam graui, ſpecioſoq; indigni nomine; dum Poetas, Hiſtoricos, Philoſophosq; intempeſtiuiùs luſtrant, tractantque, ab illo virilis eloquentiæ proprio charactere longiùs aberrârunt; iámq; ſemel delirantes, dum in extraneas, vt ita loquar, diſciplinarum regiones peregrinantur licentiùs, ſtylum nouum in alienis fabricatum officinis, Tulliano illo palmari per sũmam contumeliam repudiato, in vsum remis velisq; in ducendo,eloquentiam funditus euerterunt. Inſana quippe,neſcio quo literarum fato, metaphorarum, aut potiùs allegoriarum dulcedo, quæ & maiorum noſtrorum identidem vitiauit ætatem, haud ita pridem rurſum noſtro ſeculo multorum corripuit, ac labefactauit ingenia. Pleriſq; enim, quò ſe plus reliquis ſapere doceant, nihil niſi reconditum, atq; a communi hominum opinatione ſenſuq; remotum arridet. In totius ambitus ſtylo, in verborum apparatu,in quauis operis lucubratione, in omni ſtructurâ ac formâ dicendi euibratas periodos ſectantur impenſiùs, dictorum acumina imbricatim, *B* vt ita dicam, contexunt,nihil ſimplex, nihil natiuum tolerant, cuncta arceſſita, cuncta ceruſſata rimantur. Ab his verba calami-

C ſtris criſpantur, ſenſiculi *C* minuti, perpetuo quodam ductu, molliq; volubilitate nectuntur; denſantur paria paribus, figuris omnia collucent; quot membra partiuntur,
D tot epicheremate *D* ſtrictæ inuoluuntur notiones;
E *E* quot inciſa intercalantur, *F* tot
F amputatæ ac ſuſpicioſæ cadunt ſententiæ. Quicquid deſides vellicare aures, quicquid faſtidiens titillare palatum, quicquid torpentem animũ poteſt laceſſere, vndiq; anxiè aucupantur, laborioſè venantur, ſuauiter deoſculantur. Si quid Poetis per licentiam aut ingenij intemperãtiam, vel audax nimis, vel inflatum abſurdiùs excidit; ſi quid Hiſtorici acutiùs extremis, vt dicitur, digitis attigerunt potiùs, quàm vſurpârunt, auidè arripiunt, illicoq; in orationem vel inuitum trahunt. Deniq; ſic illi orationem cõformant ſuam, vt tota ad aurium demulcendarum aucupiũ, tota ad ingenij famam colligendam, tota ad ſui admirationem nominis excitandã ſpectare videatur. Audent præterea crebris frequentare ſermonibus, tũ iactare etiam in circulis, ſæpeq; in eruditorum quoque virorum cœtibus effutire non erubeſcunt, M. Tullij ſtylum emunctæ naris hominibus iam inanem, eneruem ac fractum videri: eius elocutionem nihil habere viuidi ſpiritus; eius periodos ſententijs atq; acuminibus vacuas; eius numerum molliorem, quàm vt imitatione, ne dum admiratione dignus exiſtimetur. Poſtremò, vt vno expediam verbo, eloquentiæ ducem non

iam,

iam, vt antea, Ciceronem ſequendum, neq; ab eo ampliùs formã accommodatè dicendi ad perſuaſionẽ peti oportere. Hæc vbi tam portentoſa opinioſiſſimi homines temerè effuderunt, quæ reliqua ſit eorum mens, quis toto de opere orationis ſenſus, facilè, vt reor, vobis, Iudices, ipſimet cogitatione, & cõiecturâ depingetis. *G* Neq; verò neceſſe eſt cætera eorum conſimilis decreta audaciæ, præpoſtera planè atq; abſurda pluribus complecti. Hæc, quæ hactenus delibauimus, nobis, quid hominum, illi ſint, quid habeant conſtituti, ſat ſuperq; delineant. Iſtorum igitur declamatorum declamatorum autem! rabularum *H* veriùs dixerim, ac graculorum, *I* qui genus hoc dicendi ab animorum perſuaſione quàm longiſſimè diſcedens innouare, aut iam olim exploſum, nunc poſtliminio *K* reuocare moliuntur, iſtorum, inquam, conſpiratione eloquentia, quas in elocutione, & conformandæ orationis ſtructurâ reliquas habebat, opes, illis diripientibus ac depeculantibus *L* amiſit vniuerſas.

G

H

I

K

L

6 Sed quàm ingenti damno, Auditores! quàm graui iacturâ, Deus immortalis? Tanto planè immaniore, quanto hæc laſciuientis ſtili lues ab iſtis germanę eloquentiæ contẽptoribus afflata, ſerpit in dies magis, peruerſeque, at per quàm blandè ſimul etiam laruata, *A* venenum ſuum longè lateq; inſidioſiùs diffundit. Molli renidens aſpectu, manuumq; argutijs mirè geſtuoſa, *B* in imperitorum primò animos irrepit; tum ſe

A

B

in latebras vulgi abdit, mox per tot nobilium adoleſcentum ingenia, quo ignotior, eo graſſatur ſecuriùs. Hinc facillimo traiectu ad paulo limatiora iudicia gradum facit, ipſosq; magnos etiam viros, quanquam, doctrinæ exiſtimatione inflatos magis, quàm probato ſapientiæ auro verè diuites, ac glorioſos, circumretire, atq; infatuare conatur. Neque fruſtra conatur. Cernite enim. Sed quibus oculis? nonniſi præ rei indignatione, luctuoſoq; ſpectaculo lacrymarũ imbre caligantibus. Cernite, inquam, multiplices ſtrages ab hac fecundâ malorum hydrâ nuper editas, cotidieq; inſtauratas. En iam Reginæ illius quondam eloquentiæ ſceptra, ac diademata detracta ſunt, nitidus ille color iam euanuit; pallor dumtaxat & macies faciem eius totam foediſſimè deformat. Videas enim nunc luci credi; quæ aut qualia? quæ, niſi cognatis digna tenebris? lucem, inquam, adſpiciunt omnis generis opera in acuminum operoſiſſimâ officinâ typis excuſa. Siquid narrandum eſt, torquetur acumine; ſi quid liquidò explicandum, obſcuratur acumine; ſi candidè ac ſimpliciter aliquid petendum, cuſpidatur acumine; ſi quid acriter vrgendũ, ac perſuadendum, ſententiolis politulis eneruatur; ſi rogandum, feruntur argutiæ; ſi plorandum, molles quoq; lacrymas acumine quaſi turbinatas C volunt defluere. Quid? dolorem ipſũ ſententioſè dolere cogunt, vt planè neſcias, magiſne de re ipſâ, quæ dolorem infert, an de tam dirâ,

tamq; importunâ acuminum carnificinâ dolendum ſit. Deniq; nonnullorum mentes hominum ſtolidâ potiùs ſibi ambitione aſſentantium, quàm ſolidæ doctrinę laude florentium vęſana hęc acuminum libido ita hebetauit ac cepit, vt ſi quam Orationẽ audiant aut Concionem, aures illico ſurrigant, ac, num quid tinniat acuminum, num quid leuiſſimorum crepet dictorum, per quàm curioſè tantùm attendant. Cæterùm quid rei dignitas poſcat, quid ordo quid locus, cauſſa, aut tempus requirant, nihil morantur. Niſi argutiolis perpluat oratio, actum eſt: ſibilis, ac pedum ſupploſione Oratorem excipiunt. Licèt ſtylo ille graui, ac pro cauſſâ egregiè ſplendido, licèt mirabili operis ſtructurâ atq; artificio; licèt argumentorum acie cuneatim *D* inſtructâ; licèt coloratis figuris neruoſè ſtrenueq; perorârit; ſi longam acuminum ſeriem vnâ non texit, ſi ſpiſſum etiã ſententiarum funem nõ ducit; nauſeant, obſtrepunt, per ſummum ludibrium petulanter explodunt. D

7 Placuit iſtorum genus Oratorum, qui intempeſtiuum ornamentorum luxum, præſertim acuminum ac ſententiarum immodicam ſuis in Orationibus copiam perditè amant, paulo fuſiùs exponere; tum vt illi, quos mihi potiſſimùm hac diſceptatione refutandos delegi, intento velut digito internoſcantur; tum quia, etſi cõplura alia eloquentiæ flagitia & corruptelæ eiuſdem affeclis atq; alumnis identidem hæreant, atq; imponant; nulli tamen

tamen pernicioſiùs hac noſtrâ tempeſtate blandiùs, quàm iſtarum illecebrarũ aucupes, ac fartores, graſſantur, nulli imprudentibus ingenijs, præcipuè adoleſcẽtibus, atq; indoctioribus inſidiantur. Nam qui vel inflato dicendi genere tument, vel frigido oblectantur, vel puerili luxuriant;qui antiquario, qui rudi, qui ſicco, qui exſangui abutuntur, nihil ferè negotij faceſſunt eloquentiæ;quippe a popularibus reiecti auribus, plauſu atq; acclamatione fraudati, ſibi intus ſoli, tan-
A quam Aſpendij *A* Citharœdi canunt: ſibi palpantur in angulis, in publicum, virus ſuum ſpargere non poſſunt; vulgò deſpecti contemtiq;, omnium ſalibus atq; irriſione
B luduntur. At qui hæc ſermonum picturata, *B*
C vt ita loquar, diademata continenti filo *C* denſiùs innectunt, qui peracutis, aggeratisq;
D ſenſiculis totam de induſtriâ conſternunt *D* orationem, plerunq; ita vulgò accepti ſunt, ita habentur gratioſi, omniumq; ſibi aures pellaci titillatione ita demulcent, vt nulli
E plagas eloquentiæ magis conclamatas, *E* nulli vulnera magis depoſitæ curationis infligere videantur.

Veteris eloquentiæ decus noſtro etiam æuo ſuperſtes, non ſine magno damno ſæpe labefactatur, ſummaq; huius cauſſæ grauitas oſtenditur.

8 QVam ſanè eloquentiæ deprauationẽ nollem ego, quiſquam veſtrum, Iudi-

Indices, aut minùs grauem, aut exigui eſſe momenti, aut ſine magnis detrimentis, tanquam ſolis ſcholaſtici ludi confinijs incluſã, impune cedere opinaretur. Tametſi enim eloquentia, quæ olim a foro, atq; a Senatu, vt narraui, amiſſa, vel amandata, in literaria Athenæa A ſe recepit, ibiq; hoſpitiũ ſuũ A iam dudum fixit, nihilominùs hiſce tam arctis veluti carceribus, compedibuſue haud ita ſe mancipauit, quin noſtris etiam temporibus in ciuilem quoq; aciem, in publici cõſilij ſedes, in grauiſſimorum virorum coronas, quaſi ius ſuum iuſtiſſimis vindicijs repetens, ſubinde excurrat, vbi, quum ſuo ab officio non leuiter diſcedit, non modicum certè in exitium quà publicum, quà etiam priuatum frequenter redundat.

9 Quoties enim hoc noſtro etiam ſeculo magiſtra dicendi eloquentia in anniuerſarijs ſtudiorum inſtaurationibus palmares de rebus ampliſſimis habet orationes? quoties in Doctoris honorificâ laureâ benè meritis, emeritisq; Iuriſprudentiæ, Medicinæ, Philoſophiæ, vel Theologiæ auditoribus decernendâ, impertiendâq; diuitias ſuas, pompamq; explicat? quoties in Dynaſtarum, & Principum funeribus vel mœrẽtes leuat ægritudine, vel extraneos quoq;, quos nulla eiuſmodi rei cura tangit, ſtupore quodam torpentes, vberes ſoluit in lacrymas? quoties in Ducum, Regum, Pontificum ſolemni dedicatione, quoties in *Cardinalium* purpureo galero inſigniendorum ſpectatâ celebritate

quæ-

quæſtiones luculentiſſimas ediſſerit? quoties in Academicis cœtibus, patriâ cuiuſq; nationis linguâ omnium ferè diſciplinarum argumenta pertractat? quoties in legationibus ad Principes, ad Reges, ad Cæſares, ſummosq; Chriſtianæ Reipub. Antiſtites ſæpiſſime miſſis, de ſuſcipiendo bello, de pace ſanciendâ, de fœdere feriendo, deq; alijs negotijs quàm maximis vehementer diſceptat, acerrimeq; perorat? Quid quòd certis in vrbibus ciuiles, vel capitales cauſſas apud Senatū toto corpore, omnibusque, quod aiunt, vnguibus hodie etiamnum agit? In ſacris quoq; Concilijs quà generalibus, quà prouincialibus, quà *Diœceſanis*, vt appellant, quàm ſæpe oratorios ſuos lacertos, ac neruos de rectâ morum inſtitutione, defecatoq; doctrinæ cãdore ſeuerè, atq; enucleatè diſputando, expromit? Quæ profectò habendarum Orationum opportunitates, multæq; aliæ, quas omnes ſingulatim modò enumerare non attinet, durum quondam eloquentiæ exilium non mediocriter leniunt, magnâq; ex parte reuocant.

10 Iam, quis, rogo, Patres ſapientiſſimi, tam indoctus, ignaruſq; rerum eſt, qui in huiuſmodi Orationibus quouis ex genere cauſſarum, quum eæ in Sole, ac puluere ſeriò aguntur, magnitudinem, & grauitatem ſtatim non animaduertat, ipſaſq; ſine graui piaculo minimè viciari poſſe non recognoſcat? Teſtor Ioannem a Caſa, qui de reſtituendâ Placentiæ Vrbe Parmenſi Duci ad

Ca-

Carolum V Imperatorem in deliberatiuo; teſtor Chriſtophorum Longolium, qui de affictorum ſibi criminum falſitate ad populum, Senatumq; Romanũ in iudiciali; teſtor Ioannem Perpinianum, qui de vetere retinendâ religione in demonſtratiuo Orationes, vt innumeras alias diſſimulem, noſtris temporibus non ſolùm commentati ſunt, ſed de pulpito etiam feriò pronuntiârunt; & quidem ille, quem nominaui poſtremò, tanto niſu, ſpirituque, vt Auctori ipſarũ veneno ab Hæreticis, præ inuidiâ, vt fertur, eidem propinato, hauſtoq; pereunti vitâ ipsâ conſtiterint. Fingite inſuper, vos etiam Auditores, illuſtrem panegyricum de alicuius viri Sanctiſſimi virtutibus, & prodigijs ad Pontificem Maximum, & Purpuratos Patres, quò eum in Cælitum ordinem cooptãdum decernant, ab aliquo Oratore, alicuius Religionis vniuerſæ nomine, adornari: fingite ab alio de latifũdijs, de totâ re familiari, de noxiâ capitali ad Prætores ex priſcâ conſuetudine incitatiùs declamari: fingite ab alio ciues ad patriam a nefariorum proditorum coniuratione vindicandam incenſæ orationis facibus inflammari: fingite deniq; a Iuriſconſultis multiplices quaſcunq; de controuerſiâ diſſertationes pro ſuis clientibus elucubrari. At quid dico, fingite? Imò potiùs redite in memoriam tales diſſertationes noſtro etiam æuo a locutuleis, a cauſſidiciſq; cotidie ferè cõponi. Nunc ſcitor ex vobis, viri prudentiſſimi, ſi quis in huiuſmodi cauſſarum tractatione,
A

tione, graui Oratoris munere abuſus, quò ſuorum acuminum phalerata nugamenta, vel fucati medicamenta nitoris venditet; miſſis Cælitis illius egregijs facinorum amplificationibus, eū nō tā Sanctorū honoribus dignū, quàm gregariū aliquē de communi ſa-
B tu, *B* cœtuq; hominē eſſe doceat; vel neglectis *orthodoxæ* religionis firmamentis, ipſam non tam corroboret, quàm eleuet; vel clientis caput, fortunaſue, poſthabitâ fortis defenſionis curâ, in extremum adducat diſcrimen, aut omnino perdat; vel in alijs tam amplis, magniq; ponderis controuerſijs, quò inanium
C ſententiolarū talitris *C* pueriliter micet *D*,
D vel exuberantis ornatus redundantiâ vtcunq; exultet, ſponte præuaricetur; num leuiter delinquere cenſendus erit? Imò grauis ſce-
E leris reus, multamq; *E* grauē commeritus ab omnibus ſapientibus, æquisq; rerum arbitris iudicabitur.

11 Quod ſi a ciuilibus Orationibus ad ſacras Conciones, atq; a forenſibus tribunalibus ad Templorum ſuggeſta ſermonem transferre lubet, cui exploratum non eſt, iſta tam crebris diuinorum præconum vocibus perſonare, vt eloquentia iam non ampliùs extorris, vel deſerta, ſed e curia, & roſtris in ædes ſacras demigrâſſe, regnumq; ſuum in hæc beata æterni Numinis domicilia, felicioribus longè auſpicijs, traduxiſſe exiſtimetur? Quem verò veſtrum fugit, ſapientiſſimi Patres, Concionum de rebus diuinis ad populum habendarum prouinciam maximi eſſe

mo-

nomenti? cui non perſpectum, hanc ipſam; Epiſcoporum pręcipuum eſſe munus, ad quod idem per ſe implendum, niſi legitimo impedimento diſtineantur, graui religione, vt ex permultis ſacris Concilijs, *a* nec non ex Doctorũ *b* omnium conſenſione liquet, omnino adſtringuntur? Quis neſcit, cæteros quoq; Concionatores, præſertim Religioſos viros Epiſcopis, qui officium ſuum gregis diuino ſermone paſcendi vbiq; locorum præſtare nequeunt, in ſocietatem eiuſdem muneris concionandi, quo illorum vicem expleant, a ſummis Pontificibus, vt e Sacrorum Canonum *c* tabulis, certiſq; Theologorum *d* reſponſis notum pariter eſt, adiungi? Cui incompertum, ſacram Concionem inſtrumentum eſſe potiſſimum, vt tum ex diuini Teſtamenti diplomate, tum e veterum Patrum *e* ſcitis palàm diſcimus, ad animas e vitiorum cœno extrahendas, atq; ad ſeruitutem Chriſto Domino ritè ſeruiendam impellẽdas; ac proinde in Catholicâ Repub. quàm ma-

a *Toletano 2. Cartaginienſi 4. Romenſi Arelatenſi, Lateranenſi, Tridentino Seſſ. 5. de Reform. c. 2. & Seſſ. 24. c. 4.*

b *apud Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 15. nu. 7. & Tom. 4. tract. 10. lib. 9. c. 2. & Barboſam de Offic. Epiſc. par. 1 Tit. 2. Gloſſ. 10. n. 2.*

c *cap.* inter alia *de offic. iudic. ordin.*

d *Suarez lib. 9. tit. c. 1. nu. 1. & cap. 2. nu 8. ex S. Thoma 2. 2. q 188. nu. 4. & Caietano ibi.*

e *apud Regium lib. 1. de oratore Chriſtiano, cap. 6.*

maximè graue eſſe, ac ſublime? quem clam eſt, ab ipſomet Chriſti Vicario Leone X f vnà cum vniuerſo Concilio Lateranenſi perſpicuè aſſeuerari eandem ſementis cæleſtis faciendæ procurationem eſſe *præcipuam in Eccleſia Dei, ac perneceſſariam, magniq; fructus, ac vtilitatis*; adeoq; & cunctis aperté denuntiari, rem eſſe magnitudine valde præſtabilem, ac ſingularem?

12 Nec ſolùm diuinæ ſationis adminiſtrādæ munus ipſomet genere amplum eſt, vt iam expendi; ſed materiâ quoq; ipsâ Concionis eximiè antecellit. Quis enim vnquā ſubdubitauit, quin libri omnes, qui de auaritiâ, de inuidentiâ, de faſtu, de veſtium, gulęq; luxu, de quibuslibet deniq; uitijs cōpeſcendis diſputant, argumenta non de grege uenalium, aut de argillâ, lutoq; humilia, atq; abiecta, ſed ingentis molis, & grandia pertractare, ſapientum omnium calculis iudicentur? Tanti nimirum ad Reipub. utilitatem refert hos euulgari, quanti intereſt, immania damna, quæ ex ijs ſuppreſſis contraherentur, propulſare. At quò ſpectat, aut tendit ſacra Concio, niſi ut ſcelerum omniū regnum perrumpat, euertatque? ut inſanas animi appetitiones comprimat? vt fibras cuiuſcunq; prauitatis euellat? vt frænū cunctis corruptelis inijciat? Quanti verò intereſt omnium, huiuſmodi frænum integrum, incorruptumq; præſtare, quo adulterato, & labefactato, cuncta flagitia impune graſſantur, fœdè

f *Seſſ* 11.

fœdè bacchantur, longè, lateq; propagantur.

13 At præter Concionis materiam ſanè nobilem, & grauem, ipſe quoq; concionandi modus, & forma quàm inſigni exuperantiâ in Chriſti Eccleſiâ eminet? An poteſt cuiquam non excordi res leuis videri, de quâ ipſemet Pôtifex *a* Maximus Leo X iam laudatus, totumq; Concilium Lateranenſe, etiã appellatum, Seſſionem integram conflant, diſerteq; titulo ipſo profitentur in eâ *diſponi circa modum prædicandi* Fac nunc iſtã formã deformari, modumq; peruerti; fac Concionẽ, etſi nihil falſi dicat, neq; noxiam doctrinam tradat, nihilominùs immodicis ornamentis luxuriantem, omni perſuadendi vi, ac neruo deſtitui, Auditoribusq; ab æterno interitu retrahendis ineptã fabricari. Quàm immania illico vulnera vniuerſa Reſpub. Chriſtianæ ex vitiatâ iſtâ concionandi ratione, ac formâ neceſſariò accipiet, quùm hinc delicta omnia exultabunda ſine vllo cenſoris metu tripudiatura ſint? Quis veſtrum ignorat, idcirco a Theologis, *b* & conſcientiarũ cognitoribus Euangelij præconem, qui tam Apoſtolico officio adeo indignè abutitur, vt ipſius ſacra Concio in profanam ferè declamationem degeneret, culpæ lethalis communibus ſuffragijs

a *Seſſ. XI. cit.*

b *Suarez* 3. *par. Tom.* 3. *diſp.* 16. *ſect.* 3. *in fine, Leſſius lib.* 4 *de Inſt. c.* 4 *num.* 96. *Caietanus in Summ. & Fumus, verbo, Prædicatio, num.* 4. *Sa ibidem, num.* 4. *Poſſeuinus de offic. Curati, cap.* 3. *Victorellus ibid. &c.*

gijs iure optimo damnari? Quis apud veteres Patres probroſa conuicia, quibus adeo tam exitiabile facinus meritò verberant, non legit? Quis Origenem *c* lugentem non audit, a talibus *magiſtris ſcindi, ac diuidi Eccleſiam?* quis S. Ioannem Chryſoſtomum *d* exprobrantem non meminit, *ſubuerti Eccleſias, dum ſermo quæritur, non qui compungere poſſit, ſed qui oblectet?* quis S. Gregorium *e* Romanum non animaduertit, id genus Concionatores adulteros, concubinarios, & concubinas propterea nuncupare, quòd ſicut perdita huiuſmodi libidinis mancipia prolem auerſantur, ſolâq; voluptate rapiuntur; ita illi non fructum Auditorum, ſed oblectationem dumtaxat aucupantur? At ſuperſedeo nunc pluribus alijs acerbis admodum obiurgationibus recenſendis, quas infra deinde commodiùs recitabo.

14 Quodnam igitur, Patres ampliſſimi, argumentum in celeberrimo iſto totius Orbis conuentu, & theatro grauius, aut maius a me verſari poteſt, quàm quod hac meâ Actione maximè complector, in quâ omnem operam, & conatum eò demum, & potiſſimùm refero, quemadmodum iam innui, & deinceps multo clariùs pateſcet, vt ſacræ Conciones cunctis liberatæ corruptelis, ingenti populorum fructu in Chriſtianâ Repub. conformentur? Si de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacra-

c *In cap. 3. Ezech.*
d *Hom. 31. in Geneſ.*
e *Lib. 8. moral. cap. 25. & in Cant. cap. 6.*

Sacramento diſſererem, an id diuinâ gratiâ primâ eum impertiat, qui mortalis ſceleris reus, cum imperfectâ huius deteſtatione illud bonâ fide participat; grauiſſimam a me explicari quæſtionem actutum ſine dubio fateremini, ſiquidem æterna ſalus, aut damnatio ex hac pendet; licèt enim opinio vtrinq; probabilis præſto ſit, ſi tamen quæ primam gratiam ex adiuncto ſpondet, re ipsâ falſa ſit; qui cum eiuſmodi tantùm peccati expiatione decedit, illico in Orcum ruit, vt planum eſt. Rurſum, ſi de legitimâ abluendi, abſoluendi, conſecrandiq; formâ diſceptarem, rem magni moliměti a me proponi ſubitò agnoſceretis, præſertim quia etſi vtraq; pars ſententiâ probabili niteretur, ſi tamen ea forma nulla reuerâ eſſet, Sacramenti gratiâ, qui ipsâ vterentur, omnino fruſtrarentur. Deniq; ſi contenderem, illum, qui in Sacro faciendo Hoſtiam non ex frumento, ſed aliâ ex fruge adhibet, etſi extrinſecus rite operatus, quum nihil cæterarum partium, ac ceremoniarum negligit, reputatur; reapſe tamen nullum ſacrificium perpetrare, me non de ſtillicidiorum *A* iure, aut de reduuiâ *B* curandâ, ſed de permagno negotio non de nihilo agere haud inuiti annueretis. Quantæ igitur operæ, & pretij hæc, quam intendo, controuerſia eſt, in qua fructuoſam, palmaremq; concionandi rationem amplectendam, inutilem autem, ac vanam declinandam, oſtendo? Nam ſi alij concionandi modi, etiamſi frugiferi, & probi videantur, reipſa tamen enerues, & A B

nulli

nulli rei ſint, quot, & quàm magna animarum detrimenta inde certò conſequuntur? Si nullę in Dei Eccleſiâ Conciones penitùs haberētur, ſi nullus ampliùs de rebus diuinis ſermo audiretur, ſi ſacra pulpita deinceps omnino conticeſcerent, in quot quantasq; fraudes Chriſtiani populi incurrerēt? quàm enormiter conciderentur? ad quàm multos immanis plaga pertineret? quæ ſcelera non gliſcerent? quæ animi prauitates non ſerperent? quæ vitia, nullo coercita aggere, nō inūdarēt? At quid, obſecro, intereſt, Rēpub. ob ſublatas penitùs ſacras Conciones peſſum ire; ac iſtas nonniſi infructuoſas, euanidaſque, vnde illa haud ſecus perit, cōflari? Quid refert linteatū, ac ſtolatum Sacerdotem, inſtar Apoſtolici Cōcionatoris, ſacrum in ſuggeſtum prodire, exordium, propoſitionem, confirmationem, & reliquas Concionis partes texere, atq; explere, ſi ornamentorum luxu illas ſiderat, *A*
A obruit, opprimit, perdit? quis non intelligit, corruptâ ſemel verâ concionandi formâ, improbos Auditores, ineptis hiſce titillatos Concionibus nihiloſecius in vitiorum cœno volutatum iri, quàm ſi tales Cōciones omnino prætermitterentur? Quàm cumulato igitur compendio publico hæc mea Actio eſt, quæ modum concionandi inutilem exagitat, frugiferum verò ſummo niſu tuetur? quid quòd firmis quoq; rationibus vinco, concionandi eam formam, quæ immodicis laſciuit ornamentis, quanquam a pleriſq; in delicijs habeatur, non ſolùm eſſe reapſe infructuoſā,

ed omni etiam bonæ frugis opinione viduaiã. Imò verò luxuriantes id genus Cõciones non modò inutiles perpetuò ſunt, ſed plerunq; etiam, vt facilè doceri poteſt, perniciosæ. Vnde, Antiſtites prudentiſſimi, cauſſæ huius, quam affero, immenſam magnitudinem, & grauitatem iam perſpicuè planeq; dispicitis.

15 Sed nunc vltra etiam progredior, inſuperq; id pugno; licèt ego de ſacrarum Concionum corruptelis nihil ſpeciatim hîc attingerem, ſed generatim tantùm de ipsâ dicendi normâ, quæ Cõcionibus ſacris, & Orationibus profanis communis eſt, perperam vitiatâ, priſtinæq; integritati reſtituendâ diſputarem, adhuc theſim permagni momenti a me fore verſandã. Quis enim in Dialecticis tam hoſpes eſt; qui neſciat, quicquid de vniuerſo aliquo genere, quod ad huius eſsentiam A ſpectat, in alterutram partem ſtatuitur, A aut detrahitur, idem prorſus & de quauis ſpecie, quæ eidem ſubſit generi, neceſſariè ſtatuendum, vel detrahendum eſſe; adeoq; ſi ſemel decernas, animal eſſe ſenſus particeps, vel expers, neceſſariò quoq; tibi fatendum eſſe, cunctos etiam homines, equos, boues, cæterasq; pecudes ſenſu conſtare, aut carere? Quis ignorat, citra quoq; rationem generis modò indicatam, vbi aliquid tanquã illicitum, & in culpâ poſitum, tibi in mentẽ venit, neq; tamen vides, neq; dubitas, grauiſne ea ſit, an leuis, ſed neglectâ vtriuſq. inquiſitione, illud exequeris, lethalis crimi-

nis te a magnis Theologis * eapropter, quòd huius admittendi periculo vltro te exponas, meritò damnari? At quis pariter non animaduertit, ſimul atq; dicendi forma in medio ſita, quæ ciuili, ſacræq; Orationi promiſcua eſt, deprauata ab aliquo deligitur, hunc continuò in lubricam aleam ſacrarum quoq; Concionum peruertēdarum ſeſe committere? Quid ego aleam commemoro? Quin imò quis non intelligit, quum character ipſe dicendi, ſeu ratio communis, & generalis perſuadendi ad Orationis vniuerſæ, quæ a quauis ſpecie, ſeu parte, ſacrâ, & profanâ, mentis quaſi nouaculâ abiungitur, eſſentiam omnino pertineat; eum, qui talem rationem, & characterem peruagatū, infectum, corruptumq; amat, atq; vſurpat, in laqueum neceſſitatis inexplicabilem prorſus ſeſe induere, vt non ſolùm ciuiles Orationes, ſed ſacras etiam Conciones inficere, & corrumpere cogatur? Quanti igitur Chriſtianæ Reipub. intereſt, ſacras Conciones ab omni labe integras, defecatasq; præſtare, tāti profectò pręſens quoq; Actio eſt, quæ de incorruptâ dicendi formâ in vſum reuocandâ quàm maximè ſatagit, ſine quâ illæ integræ, & defæcatæ eſſe non poſſunt: ac propterea, quum munus concionandi ſit per ſe adeo ſublime, & grauiſſimū, vt expoſui, hæc ipſa Actio, quanuis generatim tantùm de communi dicendi ratione diſceptaret, adhuc tamen ampliſſima eſſet, atq; gra-

** Apud Thomam Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. nu. 6.*

grauiſſima. At ego, Patres ſapientiſſimi, vt iam monui, non in ipſâ communi duntaxat formâ dicendi hærebo, ſed quicquid de hac diſſeram, ad ipſaſmet etiam ſacras Conciones, ſeueris vinciendas legibus, atq; ab omni inquinamento purgandas potiſſimùm deſtinabo, inſuperq; de ipſomet etiam concionãdi ſacris in Tẽplis munere, deq; ſacris Concionibus a qualibet corruptelâ tuendis ſpeciatim quoq; deinde, nec oſcitanter diſputabo. Quo etiam ex capite quanta grauitatis, & magnitudinis acceſſio huic Actioni fiat, ſatis in præſentia ſuperq; cognoſcitis.

Propoſitio totius operis ab omni ancipiti ſenſu diſtincta, in anguſtiores fines redigitur.

16 VErùm, ne quis de induſtriâ quærens diuerticula, conſilium meũ ex ancipiti ſenſu ſecus, quàm par eſt, aut aliorſum, quàm ego cenſeo, accipiat, caueo primùm diſertè, quum litem ego eloquentię corruptoribus, quos iam depinxi, hîc intendo, eosq; non ſegni ſtylo agito; me quaslibet tam Orationes, quàm Cõciones ijs vitijs, quę recenſui, obnoxias, ſiue Latinâ, ſiue Hetruſcâ, ſiue Gallicâ, ſiue Germanicâ, ſiue Polonicâ, ſiue quacunq; aliâ cuiuſuis regionis vernaculâ linguâ ſcribantur, habeanturque, conferto argumentorum paratu in hac indictâ iam pugnâ aggreſſurum; nec mihi turbã vllam rixamuę de Latinis ſeu vocibus, ſeu

 locu-

locutionibus, ſed de eloquentiâ tantummodo, qualicunq; ſermone explicetur, fore concitandam. Caueo præterea, me nominatim de Orationum, Cõcionumq; prauitatibus ſolùm ideo expoſtulaturum, quia in alijs ſcriptionum generibus, in epiſtolis, in elogijs, in epigrammatis, in poeticis commentis, in lepidis fabellis, in ludicris proluſionibus, cæ-
A terisq; in lemmatis *A* adumbratis, & pictis, in quibus perſuadendi curâ eorum architectis ſolutis eſſe licet, neque, vt quenquam ſuam in ſententiam trahant, illis contentio vlla, vel cogitatio eſt, ornamentorum licentiæ per me quidem poteſt, quicunq; volet, vt ei placet, liberaliter indulgere: non inuideo, non repugno, non diſſentio; quin potiùs conniueo quoque, &, ſi vultis, probo etiã, ac laudo. At in Orationum roſtra, Concionumq; ſuggeſta huiuſmodi illecebrarum luxum comportare, hoc enimuerò probrum fœdum eſt, minimeq; tolerandum. Caueo inſuper, quoties peruerſa eloquentia vitium fraudemq; extra Scholarum anguſtias nullo modo porrigit, ſuapte naturâ grauem admodum noxam nequaquam nocere; ac proinde, ſi cũctas cauſſas, atq; Orationes vtcunq; ſplendidas in priuata Rhetorici Gymnaſij ſpatia, aut in Academicas exedras compelli, atq; hos intra parietes ingenti acuminum ſeu faſce,
B ſeu faſcino *B* obrui inficiq;, aut alio quocunq; vitio corrumpi ponamus, eum Oratorum, qui eas ita corrumpit, atq; habet, vel ab alio habendas curat, non facilè magni

reum

reum criminis, ſi reliqua malitiæ abſint adiuncta, damnandum videri. Nam quum in locis huiuſmodi Orationes nō ſeriò, ac verè, ſed ad ſpeciem tantùm, ad imitationem, vel exercitationem componantur, habeanturque, hæc qualiſcunq corruptela, & præuaricatio, quòd ſuâpte ſponte nemini grauiter incommodet, minimè grauis eſt. Suâpte, inquam, ſponte: nam an extrinſecus aliquid grauis culpæ iiſdem adſpergi poſſit, ſuo poſtea loco accuratiùs inueſtigandum hîc ego relinquo. Caueo denique, perſonatos iſtos declamatores, qui in Scholis dumtaxat, vel in Academicis aulis tralatitias, C vmbratileſq; C lucubrationes dicis D ſolùm cauſsâ, ac ſimulatè coagmentāt, hîc à me omnino præteriri, extraq; omnem meæ Actionis ictum in tuto planè conſiſtere. Quis enim ita infans ſit, vel tam abſurdè deſipiat, vt leues quæſtiones à iocularibus iſtis Oratoribus enodatas, vel certè, ſi graues ſunt, non tamen ad perſuaſionis finem ex animo eblandiendum, ſed ludi tātùm, vel oſtentationis gratiâ elaboratas, nihilominùs velut magna peccata, etiamſi crimen in re vndiq; leui graue eſſe nequeat, inconditis clamoribus obtundendas arbitretur? Sed illos ego præuaricatores dūtaxat, qui grauium rerum Orationes, quum verè, ſerióq; perorandæ ſunt, ſuperuacuis ornamētis imprudenter onerant, atq; elidunt, a me in toto hoc contentionis prælio comprehendi denuntio.

17 Affero igitur, Patres ampliſſimi, cauſsâ

ad dicendum, vt videtis, non exiguam, ſed ex tam multis, grauibusq; capitibus magnã; non de Romanis nominibus anxiam, ſed de legitimâ apud omnes populos perſuadendi ratione ſolicitam; non de ſcholaſticis nugis leuem, ſed de virtutum omnium inſerendarũ, vitiorumq; expellendorum inſtrumento ad humanam, ac diuinam felicitatem comparandam præcipuo longè grauiſſimã: vt propterea nemo veſtrum prorſus mirari, nemo tanquam immodicam exaggerationem, ſi quando in Aduerſarios paulo concitatiùs cõmoueri (etſi animo ſemper quàm placatiſſimo) fortaſſe videbor, iure queat interpretari.

18 Nollem verò ego, quiſquam veſtrum hanc meam Orationem de eloquẽtiâ ab improbo Declamatorum ſeruitio liberandâ, fictam, & commentitiam temporis dumtaxat fallendi, aut ſtyli periclitandi gratiâ, vt aliàs ſæpenumerò fieri conſueuit, a me hodie haberi, ſuſpicaretur. Si enim vnquam medullitus verba deprompſi, ſi mentis meæ penetralia cum ore, & vultu in me aliquando cõſenſerunt, hæc certè omnia ad iſtam, cui modò patronus adſum, firmandam confluere palàm reperietis. Et ſanè aut ego vehementer fallor, aut nullam equidem aliam perſuaſionem, quàm hanc, cunctorum pectoribus inſigere, ac penitùs agglutinare, ita inflammato animo concupiui.

19 At ne latebrã vllam Aduerſarijs meis, in quam ſe abdant, relinquam, totius ego controuerſiæ amplitudinem in arctum cogens,

cer-

certòque propoſito comprehendens, ſic diſtinctè pronuntio, Antiſtites, ac Iudices ſapientiſſimi: formam, characteremque dicẽdi immodicis ornamentis redundantem, præſertim verò acuminibus, ſententijsque luxuriantem, ad finem Oratoris ſeu profani, ſeu ſacri conſequendum, eſſe planè ineptum, atque adeò ceu vitioſum eloquentiæ genus ex omnibus foris, ex vniuerſis templis, ex cunctis vrbibus exterminandum. Quod ego, niſi meridianâ luce dilucidiùs probauero, non recuſo profectò, quin me vt leuem de triuio cauſſidicum rideatis, pedumq; ſupploſione obruatis. Quamuis autem quæcunq; ornatus intemperantia in eodem vitio, ac luto ſit; de acuminum tamen exuberantiâ præcipuè mihi dicendum exiſtimo, tum quia hæc lues omnium maximè, præclara quæque depopulatur ingenia, tum quia hac compreſsâ, illam quoq; eodem ſcalpro caſtigari, recidiq; neceſſe erit. Quanquam ego nomen ipſum acuminum non ſemper etiam ita ſeuerè accipiam, ſed frequenter quoq; multo ampliùs pro quibuſcunq; ornamentis, & quicquid de illis ſtatuero, vos de his etiam ratâ portione decernendum facilè intelligetis. Orationis pariter, atque Oratoris vocabula tanquam ciuili, & ſacro Oratori, Orationiq; ſeu Concioni, & Concionatori promiſcua, deinceps plerumq; vſurpabo, niſi quid peculiariter alterutrâ de parte, profanâ, vel ſacrâ neceſſariè explicandum ſecus a me poſtulauerit.

20. Sed audio hîc ego, neſcio quem, hoc

ipſo principio mihi intercedentem, exprobrantéque, quòd quæ vel tironibus Rhetorices ſunt compertiſſima, a me velut peregrina atq; inaudita, huiuc conſeſſui, Concilioq; grauiſſimo, non ſine tót doctiſſimorum virorum indignatione, ac ſtomacho, intempeſtiuè, temereque ingeritur. nihil quippe magis in confeſſo eſſe apud omnes, quàm nimiam, & laſciuientem ornamentorum copiam veræ eloquentiæ repugnare, atq; a cunctis Rhetoribus improbari: adeoque actum iam dudum toties, a me agi denuó otiosè prorſus, ac inſipienter. At ego non inuitus ſanè, ſed vltro etiam, lubensque concedo, quod paulò ante expoſui, meque oſtenſurum recepi, eſſe quàm perſpectiſſimum; fruſtra tamen id a me hoc loco in præſentiâ promi, tractandumq; proponi, iure optimo pernego. Nam Rhetorices, atq; eloquentiæ præcepta, ac ſcita, quanquã cuiq; obuia, & peruulgata, nihilominus a recentibus iſtis artis oratoriæ architectis, quos ego maximè criminor, adeo negligun- tur, & derelictui, ne dicam, etiam ludibrio, habentur, vt ab ijs vel ignorata omninò, vel penitùs contempta videantur. Nimirum ſua placent auctoribus vitia dicendi, quibus iam pridem inſueti, atq; innutriti, prima etiã documenta eloquentiæ omninò dedidicerunt, aut tam cæcâ nocte, denſiſq; tenebris ea
A circumfuderunt, vt ne per tranſennã quidem illa ſtrictim etiam aſpiciant; ac proinde rurſum primoribus Rhetoricæ elementis neceſſariò ſunt informandi: perinde ferè,

atq;

atq; in re longè diuersâ perduelles Hæretici, qui Catholicæ religionis dogmata, etſi apud genuinos Chriſti ſectatores extra omnem controuerſiam e diuinis Literis, e Concilijs, & Patribus probè cognita, rata, & fixa ſint, præfractè tamen, impudenterque, non ſolùm in dubium reuocant, ſed etiam explodũnt: ideoque præualidis, teſtatisque diuinæ Fidei machinamentis ad ea agnoſcenda, ac veneranda ſunt compellendi. Haud ſecus quoq; fucati iſti Declamatores ſolidæ eloquentiæ penitùs obliti, ad huius incunabula redire, vel fortè primùm etiam adire, ac prima addiſcere rudimenta, ineluctabili argumentorum impreſſione ſunt adigendi: quos etſi longè aberrare palàm eſt, rationes tamen, cur tantopere aberrent, ne per ſomnium quidem hactenus ijs viſas doceri ipſos, operę pretium eſt. Porrò ſicut cunctæ Hæreſes Catholicis decretis aduerſæ, a ſacris Concilijs inuſtò ſtigmate *B* notantur, ac profligantur: ita etiã nouitiã hanc dicendi Hæreſim, *C* quæ cunctis eloquentiæ, ac Rhetorices legibus palàm repugnat, legitimamq;, & fructuoſam perſuadendi normam penitùs iugulat, pronuperq; *D* a phaleratis iſtis *E* Oratoribus ſacra etiã in Tẽpla importata eſt, cõferto euidentiũ argumentorum agmine in ampliſſimo hoc totius Orbis conuẽntu a me percelli, ac reuinci, quò publico, ac grauiſſimo veſtrûm omnium iudicio, calculisque damnetur, ac funditus euertatur, neceſſe omnino eſt. Vnde nullo negotio, viri prudentiſſimi, animad- C D E

uertitis, hodiernam hanc, quam modò ordior, diſceptationem, vtcunque etiam aliàs notam, adhuc tamen nobiliſſimâ veſtrâ coronâ, veſtriſque ſapientiſſimis auribus fore digniſſimam.

Præmunitio, ſeu præparatio prima, docens Oratoris finem, eſſe Auditorum perſuaſionem.

21 IAm verò ex iſtis ornamentorum, acuminumq; inſtitoribus *A* percontor,
A ego in primis, quum quidpiā agunt, vel aggrediuntur; num actiones ipſi ſuas, atque conatus aliquem ad finem, ac, veluti adhibitâ
B amuſſi, *B* exigant ad libellam C? Sine du-
C bio. nam qui in agendo nullum, quem intueantur, finem ſibi conſtituunt, pecudes ſunt, non homines, neque vllus eſt in Philoſophiâ tam hoſpes, quin hominis propriū eſſe & peculiare, vt omnia, quæ agenda ſuſcipit, ex fine metiatur, maturè didicerit, ac longè etiam ante omnem Philoſophiæ in-
D formationem, *D* naturâ ipsâ rationeque præeunte, deprehenderit. Cedò igitur, in fabricandâ pronuntiandaque Oratione quem ſibi finem acuti iſti, & ſententioſi Oratores obtinendum deſigunt? Hîc vos, Auditores, ſummâ animi attentione, quid reſponſi dent, notare cupio: quid de hac re ſentiant, quæſo, diligenter auſcultate. Perſua ſionem, inquiunt, animorum in Oratione nos quàm maximè conſectandam omnino iudicamus.

Per-

Perſuaſionem aiunt animorum?num loquuntur ex animo? num ſeriò? at videte viri politiſſimi, ne fortè ſubita vobis imprudentibus vox, fallente linguâ, exciderit. Adhuc ſpatium vobis,& poteſtatem, vt temerè indicatã ſententiam reuocare poſſitis, indulgeo. E E Rogo vos: hanc,vt mentẽ ueſtram perſpicuè omnes intelligamus, uerbis planioribus repetite. Audite quid replicent. Auditorum perſuaſionem,finem Oratoris proprium omnes Rhetorum Scholæ tradunt, omnis ueterũ Oratorum auctoritas ſancit, omnes eloquentiæ candidati uociferantur. Ad eam igitur perſuaſionem & nos etiã Orationem noſtrã dirigimus. Bene habet, Auditores. quæ ſit Aduerſariorum mens, quis animi ſenſus, exaudiſtis uniuerſi. Conſignate mihi tabulis,fide publicâ,hãc uocẽ, iuratis teſtibus hãc eorum ſententiam ſedulò commendate, ut, ſi quando data ſemel ſuffragia pro ſuo arbitrio,ac more reuocare tentauerint, tanquam inferiores cauſsâ,omniũ probris cõuicijsque multentur. Non abibo longiùs. Faxo, ut emiſſæ huius uocis mox illos pœniteat.

22 Hæc eſt enim mea cũ concinnis A iſtis A Declamatoribus ſermocinatio. Finem Oratoris externum animorum perſuaſionem, internum B uerò,qui ſemper in eius manu eſt, B accommodatè dicere ad perſuadendum conceditis. Non credo. In ſpeciem quidem, fucatiſque uerbis id per bellam ludificationem C prætexitis. At amoto fuco, reapſe in tornandâ oratione quid, oro uos, ſpectatis,quid C

intuemini? Perſuaſionem animorum? & cui rerum ita imperito hoc ipſum perſuadebitis? Deſinite, obſecro, iam ultra perſonam mentiri: liberā ueritati linguā cōmodate aliquādo. Ad famam ad famāingenij aucupandā, ad eruditionis, & memoriæ admirabilitatem faciendam, ad inanes doctrinæ plauſus colligendos, ad ueſtrorum acuminum gratiam celebrandám, omnem ueſtram induſtriam, contentionemque collineatis. Quid enim? quid? Quumdiuini Herois Cælitum albo iam inſcripti uirtutes laudatis, quò tot uerborum floſculi pertinent, quò tot criſpatæ
D ſententiæ, quò tam ſpiſſæ inculcatæque argutiæ referūtur? De induſtriâ id ego ab exornatiuo genere, in quo plerique Oratorem omni perſuaſionis curâ ſoluunt, liberumque gloriolæ undiq; captandæ campum ei relictum cenſent, exemplum peto. Nam ſi argumentis effecero, & in hoc laudationis genere omnem Oratoris artem ad Auditorem perſuaſione expugnandum niti oportere, teſtatum cuiuis erit, eundem finem multò magis in iudicijs quoque, & deliberationibus ipſi eſſe quærendum. Quem igitur ad finem, inquam, in exornationibus tota illa ornamentorum ſupellex inſtruitur? Non ſcitor iam, an una tantùm præcipua quæſtio in panegyricis locum habeat, hoc enim facilè interim condono. Non laboro, utrum præter quæſtionem principem, alia, quæ ad actionem impellat, initio perorationis collocari debeat. hac quippe de re diſtinctiùs infra

phi-

philoſophandum eſt. Sed hîc indago ſolùm, quid totâ illâ ceruſſatâ E Oratione pigmentarij F iſti Oratores moliantur? Laudare, inquiunt, virum omnibus abſolutum numeris in animo eſt. Audio. num igitur illa Oratio ad ingenerandam in Auditorum animis de ſanctiſſimi viri illius excellentiâ opinionem, vt ſcilicet eum collatis in ipſum laudibus dignum omnes ſibi perſuadeant, erit appoſita? Hîc, vt reor, iam aqua illis hæret, & quî ſeſe hiſce ex pedicis G expediant, non inueniunt. Si enim appoſitam fore aiunt, lis profligata eſt, cauſſaque ceciderunt. Nam hæc ipſa ſtabilis opinio de maximâ viri ſanctiſſimi excellentiâ Auditorum animis Oratoris inſerta artificio, illa illa eſt perſuaſio, a qua nunquam Oratori abeundum, nunquam aberrandum, nunquam omnino deflectendum eſſe decernimus. Sin autem iſtorum Oratio ad eam opinionem Auditori adiungendam haud ſatis erit accommodata: non igitur illam ad viri, quem laudandum ſuſceperunt, commendationem, ſed ad ſui nominis, ad ſuorum lepôrum, ad ſuorum ornamentorum prædicationem referebant. Deſinant ergo per doloſos verborum anfractus H inaniter iactare, in Panegyricis laudes egregiorum virorum amplificandas perſuadendasq; ſibi eſſe propoſitas: ſed, quod res eſt, aliquando ſine fraude fateantur, ſe, quum ad Sanctum aliquem virum, vel alium Oratione efferendum accedunt, re verâ in id vnum totos incumbere, in hoc vires omnes ingenij

exe-

exercere, non vt Cœlitem illum exaggeratis,
attribuiſque dignum præconijs, parem, aut
ſuperiorem fuiſſe perſuadeant; ſed vt Audito-
I res ſuorum acuminum illicio *I* deliniti,
K magnâ de ſuæ eruditionis penu, *K* magnâ
de argutiarum illecebris, magnâ de memo-
riæ portento, magnâ de ſubtilitate ſententia-
rum, partâ exiſtimatione; celeberrimi Herois
virtutibus ac promeritis interea obliuione
deletis, aut deluſi, aut eorum commemora-
tione fraudati, aut per hanc præpoſteram lau-
dandi rationem detritâ etiam, ſi quam ſecum
de eius præſtantiâ attulerunt, opinione, ſub-
offenſi diſcedant.

23 Num igitur conſilij atque propoſiti in-
conſtantiam purgare poſſunt? poſſuntne ex
A anguſtiſſimo, in quod inciderunt, decipulo *A*
euadere? poſſuntne tam diſſidentia ac pu-
gnantia componere, aut ad vllam concordiæ
ſpeciem redigere? an non datæ deſertores fi-
dei, an non comperti mendacij Rei inexcu-
ſabiles tenentur? Ecce. paulò ante Oratoris
finem Auditorum perſuaſionem conceptis
verbis perſanctè affirmârunt; & tam repentè
B nunc importuno vertiginis æſtro *B* corre-
pti, eò leuitatis deſcendunt, vt in exornati-
uo genere non illius, quem prædicare inſti-
tuerunt, virtutes perſuadendas, ſed ſui plau-
ſum gloriamque potiſſimè venandam exiſti-
ment? Niſi tamen, dum Oratori ad perſua-
ſionem animorum, tanquam ad finem omnia
collineanda ſupra edixerunt, hanc præcipuè
C ſuarum laudum nundinationem, *C* deſpectis

Cælitis illius, quem Panegyrico illuſtrabant, præconijs, tacitè, ambitioſeque aucupandam, verè atq; ex animo innuere voluerunt.

24 Quod ſi hoc in Laudationibus propoſitum illis eſt, ſi id exporrectâ fronte audent profiteri: ego ſanè iam peroraui, Auditores. Cum iſtis ego miris capitibus vltra nihil omnino diſputo. Nolo mihi cum ijs hominibus, qui tam abſurdâ agendi ratione, ſeſe hominum ex albo delent, quicquam eſſe negotij. Neque ego eos Oratorum nomine, qui in elaborandis Orationibus ſui commendationem ingenij maximè ſpectant, dignos vllo modo cenſere poſſum. Quid enim poteſt eſſe abſurdius, aut dementius? Recepiſti te de laudibus viri florentiſſimi, vt eum homine maiorem, omniumq; veneratione digniſſimũ perſuaderes, verba facturum; & currente Orationis rotâ, cuncta ad tui prædicationem nominis illico traducis? Quid peruerſius? Tune illum liberalem aut profuſum dicas, qui ampliſſimum munus ſe tibi largiturum prolixè pollicitus, fidem de ſubito fallens, promiſſoq; fruſtrans dono, inſuper tibi nec opinanti crumenam auro grauem vel clanculum ſublegit *A* vel per vim etiam ab inuito abripit? Si hæc liberalitas appellanda eſt, nihil eſt furibus & latronibus liberalius. At ex æquo certè Logodædali *B* iſti abſurdi ſunt ac præpoſteri. Nam oppigneratâ initio fide, ſe de laudibus alicuius Cælitis dicturos, deinde in totius Orationis curſu, laudum eã opinionem, quam de ſancti Herois virtutibus A

B

Au-

Auditorum animis inſculpere debebant, ſubdoli fures, irreligioſique prædones, de ſui ingenij præſtantiâ iiſdem affigere conantur. Per Sancti viri laudes ſurſum & deorſum feruntur quidem, ſed nihil penè in eum laudationis, quæ illum verè commendet; conferunt: quinimò omnia diuino viro debita præconia ipſimet ſurripiunt, atq; in ſui decus deriuant, ac transferunt. Improbum ſanè præſtigiarum genus; præſtigiarum, dicam, an impudentiæ; impudentiæ, an impietatis? quũ Cœlitibus te laudes donare profiteatis, iiſdem & quas habebant, nequiſſimè ſuffurari.

Præmunitio ſecunda, cauens oblectationem in Panegirico non eſſe præcipuum Oratoris finem, ſed perſuaſionem.

A 25 DEus diuiq; *A*, omnes hæc dedecora, hanc fraudulentam furacemq; laudandi normam a noſtris, inquiunt, exornationibus auertant. non huc tendimus, non hoc in Panegyricis quærimus; nõ noſtri laudes ſerimus, ſed eius, quem laudamus; ita tamen laudamus, vt totam laudationem ad captandam præcipuè Auditoris oblectationẽ, cui parandæ hic acuminum apparatus mirè conducit, referri debere arbitremur. Ex eâ deinde Auditorum oblectatione ſi conſecutione illâ plauſus & gloriæ potimur, quid piaculi, quæſo, eſt, quid criminis? Sed rurſum

ſum deſultoriæ *B* Oratores eloquentiæ, extra rationis circulum ſaltant, iterum aberrant, iterum vaticinantur. C Itáne verò oblectationem Auditoris in Panegyrico, præcipuum veluti finem Oratori contemplandũ putatis? *nimirum lupus pilum mutat, non mentem. homines ex argutis compacti technis, D* ſi quando ſibi veritatem ex labris paſſi ſunt excidere, illico redeunt ad ingenium, fucoq; rurſum mendacij os actutũ ac linguã ſublinunt. E Paulò enim ante, perſuaſionem Oratoris finem vniuersè pronunciârunt; nunc pro perſuaſione oblectationem peruersè ſubſtituunt. Scilicet, qui Orationis delicias tam perditè amant, oblectationi aurium velificari maximè oportebat. At quàm inani perfugio in fugam terga vertunt, quàm vano futilitatis F cuniculo præſidium inædificant? An non enim hæc omnia ſtupeæ nugarum propugnacula vnius Ariſtotelis Rhetorum omnium facilè principis ſola vox diſturbat, demolitur, proſternit? an nõ tanti auctoritas dicendi magiſtri ſolâ appellatione ſui nominis quemuis, cui ingenuus pudor cordi ſit, ab huius ſententiæ patrocinio deducat? Quæ erit deinde Aduerſariorum trepidatio, quis pallor, vbi rationibus ſtipata auctoritas atq; armata non tam pugnabit, quàm fulminabit? Quid enim? Quem non terreat, atque exanimet illud fulmen, quod tam validè vir ille admirabilis contorquet, dum adeo perſpicuè, atq; ex deſtinato Rhetoricam definit, vim eſſe ac facultatẽ videndi,

quid

quid in quaque re ſit ad perſuadendum accõmodatum? Vide, inquit Ariſtoteles, *a* quàm amplos habeat fines vis ad perſuadendum apta; atque ad eoſdem præciſè, neque citra, neque vltra, ipſam quoq; artem porrigi Oratoris, primum ſit, atque exploratiſſimum pronuntiatum. In quacunq; re, in omni materiâ, in quolibet argumento, quod pertractetur, Rhetoricæ artis munus id vnũ, & ſolemne eſt, ea, quæ ad perſuaſionem efficiendam iuuent, accuratè, ſollerterq; rimari. Deme hanc perſuadendi curam & vim ex Oratione, & illico Orationem totam corrumpas, neceſſe erit. Si igitur ab exornationibus hũc perſuadendi finem releges, quid calamiſtratæ iſtæ tuæ & voluptariæ exornationes cum Oratore, atq; Rhetoricâ, quæ in quacunq; re nihil, niſi perſuaſionem omni ope niſuq; molitur, habebunt negotij, quid affinitatis aut coniunctionis? Deinde cedò, quæ ſunt Orationis cuiusq; partes illæ ab eius naturâ atq; eſſentiâ ita manantes, vt ſine ijs nulla penitùs, ne exornatiua quidem conſiſtat Oratio? nonne ab eodem Ariſtotele *b* tanquam ex Delphico tripode, propoſitio rei, & confirmatio conſtituuntur? Iam, quum in exornatione quoque, ſi Ariſtotelẽ audire velis, quidpiam præcipuè ponendum ſit, & cõfirmandum; fierine poteſt, vt confirmatio ad id, quod poſitum eſt, perſuadendum non rectà, ac potiſſimè dirigatur? Quid enim, quæſo,

a *lib.* 1. *Rhetor. cap.* 4.
b *lib.* 3. *Rhetor. cap.* 13.

quæſo, eſt confirmare, niſi argumentis fidem eius rei, quæ confirmanda eſt, facere? quid porrò eſt perſuadere, niſi item fidem argumentis facere? & poterit aliquis in exornatione laudes, quas in virum Oratione laudatũ congeſſit, aptiſſimè confirmâſſe, quin vnà eaſdem laudes perſuaſerit? Notate iſtorum acumen Philoſophorum, qui, quum quidpiam veſtem eſſe concedant, negant tamen eſſe indumentum: quum gladiũ eſſe annuant, enſem omnino inficiantur. Re nãq; nõ minùs idem eſt confirmare, & perſuadere, quàm gladius, & enſis; veſtis, ac indumentum; & tamen exornationi confirmationem, vt neceſſariam prorſus iſti aſſerunt, perſuaſionem, vt ſuperuacaneam abſurdiſſimè detrahunt. De partibus ſatis.

26 Age nunc, inſtrumenta perſuadendi exploremus. Hæc ab eodẽ Philoſopho *a* quot, & quæ conſtituuntur? ſine controuerſiâ tria, argumenta ſcilicet, mores, atq; affectus: quæ omnia ſimul, vel iſtorum ſingula, vt apertè tradit Ariſtoteles, fidem faciunt, hoc eſt, rem confirmant, ſeu perſuadent. Quæro iam: nũ huiuſmodi genera probationum omni cauſſarum generi ſunt communia? ſi aſſentiuntur, certè & in exornatiuum cadent, & perſuaſioni, rem propoſitam confirmando, opitulabuntur. Sin quis, neſcio quo obſtinationis afflatu ſideratus, *A* laudationibus mores, affectus, atq; argumenta inuideat; carebunt nimirum omni fide Panegyrici, eruntq; expoſitio-

a lib. 1. cap. 5.

litiones planè commentitiæ, ac fuco tantùm
B oblitæ, *B* quandoquidẽ hiſce firmamentis, a quibus omnis, quæcunq; haberi poteſt, fides arceſſenda eſt, penitùs ſunt deſtitutæ. Nempe Ariſtoteles, quum hæc vniuerſa fidei faciendæ inſtrumenta eſſe teſtatus eſt, demon-
C ſtratiuum genus, tamquam ſpurium, *C* ad
D nothum *D* exheredauit.

27 At enim Enthymema, clamãt Aduerſarij, ab exornationibus ipſemet Ariſtoteles ablegauit. Ablegauit? vbi, quando, quo in opere? en iſtorum Declamatorum in oppugnandâ exornationum fide, fidem omnino nullam, aut
A planè Punicam. *A* Quid enim? an non ille amplificationem *a* peculiari quodam nomine laudationum propriam diſertè ſcribit? Quid verò eſt amplificatio, niſi vehementior quædam affirmatio ſeu confirmatio, vt omnes tradunt, hoc eſt, multorum argumentorum congeries validiùs compacta, atq; intorta? porrò ad ſtrenuè amplificandum in exornatiuo genere nonne idem Ariſtoteles multis vtendum argumentis, ſi nimirum quis ſolus, *b* aut primus, aut cum paucis ſocijs, aut præcipuus ex omnibus præclarum facinus aggreſſus eſt, perſpicuè aſſeuerat? Monet ille quidem, non abnuo, enthymema *c* magis eſſe proprium generis iudicialis, quàm demonſtratiui. At que dormitantis Dialectici infantia eſt, hinc effi-

a *lib. 1. c 23. ex Sigonio 3. c. 4. ex Maioragio. c. 9. ex Trapezuntio. & lib. 3. c. 43. vel 17.*
b *lib. 1. c. 23. vel 34. vel 9.*
c *lib. 1. c. 9. vel 23. lib. 3. c. 43. vel 17.*

efficere, in exornationibus enthimemati locum eſſe non poſſe? Eodem mentis ſtupore, atq; vertigine ſtatuas etiam, neceſſe eſt; in iudiciali, atq; exornatiuo genere piaculum eſſe maximum, exemplorum vti appoſitione, quia exempla *d* deliberatiui magis propria docuit Ariſtoteles: neq; in deliberatiuâ, aut iudiciali cauſsâ fas eſſe vllam conflare amplificationem, quia hanc exornationibus, vt magis propriam addixit. Quæ omnia ſunt, vt vides, malè ſana ingenij delirantis ſomnia. Deinde, nuſquam, nuſquam omnino a laudationibus enthymema remouit Ariſtoteles, quanuis iudiciorum magis proprium eſſe cenſuerit. Quam verò ob cauſam, aut quo id conſilio ille dixerit, nondum ſemitarij *A* Rhetores perceperunt, nondum diuinârunt. At ego non patiar iſtos tam ſententioſos Declamatores diutius allucinari. Negat Ariſtoteles in exornatione enthymematibus plerunque opus eſſe, quia facta ferè comperta ſunt atque teſtata. Quod ſi incredibilia *e* ſint, præcipit apertiſſimè, vt ea omnino adhibeantur: facta verò, quæ certa ſunt, pluribus amplificentur. Ecce ſalebras *B* pugnantium in ſpeciem præceptorum. Nā primò ait, quum facta ſunt in confeſſo, aut credibilia, ea argumentis, vt confirmentur, non indigere. exinde ſubdit, illa eadem amplificatione eſſe exaggeranda. At ſpiſſa luculentaq; amplificatio an ſine argumentis,

&

d *lib 3.c.43. vel 17. & lib. 1.c.9. vel 17. vel 23.*
e *lib. 3. c. 17. vel 43.*

& quidem validis, & multis, & maximis cō-ſtari poteſt? Nullo modo. Quid ergo? num ſibi non conſtat Ariſtoteles, atque enthymema laudationibus modò detrahit, dum rarò ab illis ait requiri; modò concedit, dū amplificationes earum maximè eſſe proprias enunciat? Codicē, Iudices, luſtrate oculis, & mentiar, ſi quicquam aliud vult tantus Philoſophus, quàm in exornationibus id genus enthymematis, quæ rem factane ſit, an non facta, confirment, quum eiuſmodi res incredibilis non eſt, minimè opus eſſe; illuſtria quippe facinora ſemper ferè vulgò nota eſſe, & pro compertis ſine aliâ confirmatione eſſe accipienda: habere tamen huius generis enthymata præcipuam in iudicijs ſedem, quòd in ijs plerunque de facto incerto ſit controuerſia. At verò illa enthymemata, quæ licèt non probent, facinus patratum necne ſit, quū pro teſtato ſumatur; oſtendunt tamen facinoris præſtantis magnitudinem, admirabilitatem, excellentiam, ſuntq; ad amplificationem fabricandam perneceſſaria, tantum abeſt, vt ille ab exornationibus arceat, vt etiā tanquam maximè earū propria cōſtituat. Teſtor hîc omnium Rhetorum, atq; Oratorum. quid Oratorum? ipſorum etiam eloquentiæ tironum fidem, quoties in exornationibus ad hanc ipſam rei factiq; magnitudinem per multiplices amplificationis, ut ita dicam, cō-
C tignationes, C ſenſim, cuſpidatimq; D ſuc-
D creſcentes extollendam argumenta, atq; enthymemata a partium enumeratione, a ge-

nere,

nere, ab antecedentibus, a conſequentibus, à contrarijs, ab adiunctis, a maioribus, a paribus, a minoribus, ab omni deniq; loco eruāt, ac centurient. *E* E

28. Quum igitur in exornationibus tria perſuadendi genera mores, affectus, atq; argumenta reperiantur, quâ, rogo, ex portâ ſomnij illud portentum duxerunt Aduerſarij, vt finem præcipuum laudationum eſſe oblectationem, non verò, vt reipsâ eſt, explicatam perſuaſionem laudum opinarentur? Neq; tamen adhuc deſiſtunt iſti obſtrepere ac vociferari; in Panegyrico, quum facta nota ſint atq; explorata, nihil opus eſſe argumentis, ſed totum campum amœnitatibus dumtaxat, delicijs ac leporibus laſciuientis Oratoris patêre. O mentis intemperias! *A* Imò verò A ſi vllâ in Oratione loci communes, argumentorum videlicet ſedes, vt magna vndiq; rationum vis ad cumulandas laudes conglobetur, excutiendi ſunt, in exornationibus præcipuè excutiendi ſunt. Eſto enim facta ſint compertiſſima, at factorum multæ prærogatiuæ, *B* multæ virtutes, multæ partes B vulgò ignotæ ſunt, populiq; fugiunt intelligentiam. Nouerint enim Auditores, facileq; credant (vt rem exemplo patefaciam) Mutij Scæuolæ errorem propriæ manus voluntario vlciſcentis incendio facinus celeberrimum. at quæ in eo facinore emineant virtutes, Auditorum pleriq; minimè obſeruârunt. Nam illis ex flammis ingens fortitudinis in aggrediendo lumen enituit, effulſit

ſumma

ſumma in patiendo conſtantia. Quid ampliùs? Emicuit ſingularis vindicandæ à ſeruitio patriæ pietas. Quid præterea? ſumma extremo in periculo prudentia, miraq; improuiſi, ac ſubiti conſilij ſollertia. Verùm has, atq; alias virtutes pauci eorum, qui facinus illud tenent memoriâ, ad amuſſim expenderunt, pauciores multo, quæ ſit deinde, ac quanta harum omnium virtutum præſtantia, quanta magnitudo, quanta exuperantia, *B* cogitârunt. Oratoris igitur artificio latentes hæ in aperto omnibus facto virtutes, ad Solem cognitionis argumentis ſunt euocandæ, earumq; excellentia in ſuo admirationis lumine amplificationis machinamẽto collocãda eſt. Externa enim corporis facies vna tantùm eſt, omniumq; ſubiecta oculis. At interiores venæ multę, abditi nerui multi, muſculi, arterię, oſſa inuoluta itidem multa. Haud ſecus quoq; facti cuiuſq; exterior color vnus eſt, vnius ductus lineamenta omnibus obuia. At interiores dotes, aut vitia a vulgaris cognitionis oculis remota permulta ſunt: habent multiplices meritæ laudis, vel probri venas, atq; arterias reconditas, tecta habent varia adiuncta, innumeras habent cauſſas, diuerſos habent fines, ſexcentis alijs, atq; alijs partibus occultè cõtinentur. Præclara igitur, cunctiſq; teſtata facinora varios in vultus flectenda ſunt: ad quædam laudum portenta, ad neſcio quæ præconiorum veriſſima non minùs, quàm ingenioſiſſima ædificia, enthymematum quaſi ſuculis *C* palangisq;

giſq; *D* ſubiectis, pulcherrimè ſunt tradu- D
cenda. Maneat ergo extimam facti, vt ita
loquar, cutem cuiuis ob oculos verſari poſſe;
at ipſa facti præcordia, hoc eſt, uirtutum
neruos, & prærogatiuarum fibras *E* Orato E
rij eſſe muneris dicendo extrahere, & demon-
ſtrare.

29 Verùm quid ego teſtium auctoritatem, ac fidem ampliùs appello? quandiu rationis extremum, atq; ineluctabilem ictum differro? Loricam induite, immodici ornatus phrygiones *A*. machęram altè iam in vulnus A libro. Agite. Exorhationis finem pręcipuū ſi oblectationem Auditorum eſſe fingamus: nonne oratoriam artem perimimus, & cum Poeticâ omninò confundimus? Hæc iure ſuo delectationem per laudes, Panegyricoſq; nobilium uirorum, quos ſuis illuſtrat carminibus, perpetuò quàm blandiſſimè rimatur. Si igitur hæc ipſa delectatio non minùs Poetæ, quàm Oratori propoſita ſit, qui alter ab altero in huiuſmodi munere ſecernetur? Certè Oratorem à Poetâ ſolum carmen haud ſatis diſtinguit, quum & Poeta in ſolutâ quoque Oratione ludere, ſuaſq; ſine verſibus fabellas voluptatis conciliandæ gratiâ canere poſſit, atq; exprimere. Neq; hîc variæ oblectationis, quam pro lubentiâ, ac fruſtra aliquis comminiſcatur, diſcrepantia vtrumq; ſeiunget; neq; diuerſa Oratoris, Poetæq; inſtrumenta, quibus quiſq; ſuam, aliamq; ab alterâ pariat iucunditatem; neq; diuerſus modus, quo iiſdem inſtrumentis ſinguli vtan-

tur, eoſdem mutuò inter ſe diſtinguet. Nam & Poeta mores, atq; affectus eoſdem, quos Orator adhibet, imitatur; enthymemata quoq; atq; argumenta ſibi, Oratoriq; communia ſæpe inſerit; quæ etiam omnia & in opere numerorum experte tractare poteſt: contra verò Orator nonnunquam Poetarum fabulas feſtiuè interponit. Tandem exordia, narrationes, confirmationes, perorationes, & figuræ viciſſim commeant. De ſtylo autẽ quid dicam? qui quum a certis numerorũ compedibus liber ſine carminibus a Poetâ vſurpari poſſit, ab iſtis Logodædalis Oratoribus ita ad poeticas illecebras exigitur, & cõformatur, vt oratoriam dicendi formam in poeticam planè licentiã tranſcripſiſſe *B* videantur? Quare niſi altera ars ex diuerſo fine ab aliâ diſcriminetur, quòd hæc ſcilicet vniuerſa inſtrumẽta, quâ ad gignendã potiſſimẽ perſuaſionẽ aptè cõponuntur, ac diriguntur, in cenſu ſint Oratoris; quâ verò oblectationis gratiâ maximè accerſuntur, in ære iudicentur Poetæ; de oratoriæ, poeticæq; facultatis diui-
C duo *C* contubernio actum penitùs eſt, atq;
D vtraq; in ludicrum, & congeſtitium *D* acroa-
E ma, *E* tanquam vaſa Corinthia, *F* miſerè
F malè ſani ingenij, atq; iudicij æſtuantis incendio, conflatur, inſcitiaq; & temeritate
G ferruminante, *G* coaleſcit.

Præmunitio tertia, explodens commentitiã Rhetoricæ Academicæ formam, immodicæ venatricem oblectationis.

30 PVtabam vnicum hoc, miſerumq; perfugium Tullianę transfugis eloquentiæ ſupereſſe, Auditores. Atqui, vt video, altero adhuc, eoq; perangusto deſperatiſſimæ cuiuſdam pertinaciæ gurgustio, à quo minùs dent manus, ſe ſe continent, ac tuentur. Nam hæ omnes machinæ, inquiunt, quas ad perſuaſionem animorum, tanquam ad finem primarium, in Panegyrico etiam Oratori ſtatuendam tam operosè hactenus molitus es, ſi de eloquẽtiâ, ſeu Rhetoricâ forenſi loquamur, validiſſimæ planè ſunt: ſin verò de Academicâ dicendi formâ ſermo ſit, imbecilles omnino, aut prorſus nullæ. Quid enim? Noſtra ętas, aiunt, oratoriam artem in duo veluti caſtra ſecuit, ac diuiſit: alteram, vt in foro, in ſenatu, in templis Auditorum perſuaſionẽ conſectaretur, ciuili facultati ſubiecit: alteram, vt in Academicis gymnaſijs (quod te imprudentem fugit) delectationem, plausũq; maximè quæreret, ab illius legibus quaſi ſeuerioribus exemit. Quæ ſanè Academica eloquentia, licèt perſuaſionis inimica non ſit, perſuadet tamen, non formidabili illâ quidem argumentorum acie, ſed molliore quodã cultu gratiarum, hoc eſt, Auditorem non tam rationum vi percellendo ſubigit, ac

domat; quàm Orationis lepôre oblectando demeretur, ac trahit. Hæc nimirum eſt, Auditores, Aduerſariorum arx munitiſſima, atq; inexpugnabilis. Sed quàm cereis, ruinoſiſq; propugnaculis obuallata ſit, leui argumentorum, ſed grauium oppugnatione, mecum iam facilè experiemini.

31 Nam primò, etſi hæc omnia Academicis iſtis Declamatoribus aſſentirem, nihil prorſus meæ officerem cauſſæ, qui de eloquẽtiâ Academicâ, vel ioculari in hac meâ Actione non loquor, ſed de forenſi tantùm, & ſacrâ, graui, ſeriâque, vt explanatè, & ſine circuitione paulò ante teſtificatus ſũ. Deinde, in Rhetoricis Gymnaſijs duplicis generis Orationes elaborari poſſunt. aliæ, quæ ad id, quod Auditoribus explicant, perſuadendũ aptè ſunt conformatæ, & quamuis in literario ludo, aut Academico cœtu minimè feriò, ſed in ſpeciem tantùm, vel ad imitationem haberi ſoleant; tamen ſi ex vmbrâ ad Solem transferrentur, atq; in arenam verè deſcenderent, Auditorum animos perſuaſione omnino vincerent, ac deuincirent. Atq; his quoq; Orationibus, etſi Scholaſticis, vel Academicis, non oblectationem, ſed perſuaſionẽ ceu primariũ finem eſſe propoſitam, ſi quidẽ eâdem formâ dicendi, & perſuadendi, quâ forenſes, & ſacræ, vt liquet, inſtructæ ſunt, manifeſtum eſt. Aliæ verò Orationes ſunt, quæ ſeu in Scholis, ſeu in Academijs declamentur, non ſolùm feriò minimè aguntur; verùm etiam a rei declamatæ, vel peroratæ

perſua-

perſuaſione in puerilem quendã, exlegemque ornamentorum luxum deflectunt. At quum hæc Academica declamandi ratio exordij frontem tanto venerum *A* minio illitam A inuerecundè exporrigat; quum tantâ metaphorarum grandine confirmationis veſtem vndique obrutam, tam longo annominationum, dictorumq; ſyrmate *A* productam atq; A expanſam *B* immodeſtè circumferat; quum B perorationis non graues cothurnos, *C* ſed C leues ſoccos, *D* elatos illos quidem, ſed acu- D minũ farturâ *E* preſſos intẽpeſtiuè ſubijciat; E quum totâ Oratione nuſquã non criſpatâ, *F* F vbiq; calamiſtris inuſtâ, perpetuò affectationis vnguento ceruſſatâ, impudenter renideat; quum oblectationis demũ indagatrix tã ſolicita, plauſuſque tam impotens ac perditum ſit mancipium: quàm vereor, Auditores, ne iſta non tam hoſpita ſit eloquentiæ; quàm adultera: quàm timeo, ne oratoriæ artis non tam ſoror, quàm amica, ſcortumq; laſciuientis ingenij videatur. Sed agite. Ceruſſam miniumque ex iſtius fronte vel molli diſceptationis ſpongiâ, vt eam omnes facilè agnoſcatis, deleamus, Auditores.

32 Illud principio ſine controuerſiâ, vel Aduerſarijs ipſis facilè adſtipulantibus, *A* tãquam firmum, atq; compertum ſumo: nullã A Orationem, ne Academicam quidem, qualem iſti delineant, eſſe poſſe, quin ad aliquid perſuadendũ, quoquo tandem modo perſuadeat, de quo nihil in præſens diſputo, ſit accom-

modata. Quæ enim Oratio argumentis, moribus, atq; affectibus orbata; quæ propoſitione, & confirmatione vacua; quæ amplificatione atq; exaggeratione inanis, nomen retinere poſſit Orationis? Si tu Academicam Orationem vocas, in quâ nec vllius quæſtionis veſtigium ſit, nec vlla appareat confirmatio, nullæ rationes conglobatæ, nulla intorta enthymemata, nulli mores leniùs deſcripti, nullæ affectiones grauiùs commotæ, nulla amplificatio vehementiùs exonerata: iā Orationis nomen, atq; notionem ex æquo ad Poetarum fabellas, ad Hiſtoricorum narrationes, ad Philoſophorum effata, ad Aſtrologorum problemata traijcis. Imò hæc omnia ferè multò magis, quàm tuum hoc Academicæ Orationis factitium B emblema, C
C Orationis nomen ſibi meritò vindicabunt, quippe quibus plerunq; aliquid ponere, & rationibus ſtabilire, vel moribus, affectibus, ue expingere, vt aliquid tandē demonſtrent, aſſenſumq; ab animo eliciant, decretum ſit. Neq; vllus omnino ſanæ mentis, puto, reperietur, qui, cuius coloris iſtæc Academica, & nugatoria Oratio ſit, & quàm ridiculè nomen ſibi aſſerat orationis, ſecum facilè non reputet. Quod ſi in omni penitùs Oratione, etiam Academicâ, & propoſitio aliqua initio afferenda eſt, & ea argumentis confirmanda, ſolidiſque amplificationibus inculcāda: quî, aut quando hęc omnia in vllâ Oratione cōſiſtent, quin ad aliquam Auditorum qualem qualem perſuaſionē nitantur, atq; graſſentur?

33 Sine

33 Sine dubio aliquid negotij noſtra Academica Oratio, excipiunt Aduerſarij in tempore, habet cum perſuaſione Auditorum. Volumus ſanè, vt noſtra dictio perſuadeat, ſed oblectando. Volumus, vt argumenta, mores, & affectus adhibeat, ſed quàm politiſſimè coagmentando, & venuſtiſſimè exornando. Perſuadendi curâ illi non interdicimus; dummodo oblectandi induſtria ei cordi ſit, ac prima lex: dummodò eloquentiæ oſtentatio & pompa quædam diuitis ingenij hilariùs expoſita, totius conatus meta defigatur. Rectè. Habemus iam, Auditores, quæ ſit Academicæ Rhetoricæ prouincia, quis ſcopus ac finis. Ego verò poſſem primò, recenti huic Rhetoricæ facultatis generi ex longinquis ingenij peregrinantis regionibus ad Vrbem veræ eloquentiæ appellenti cancellos, vt in peſtis lue temporibus fieri ſolet, non immeritò ſtatim obijcere; atque abeâ, quâ ex Orbis parte, quà valetudinis, hoc eſt, ſani iudicij teſſerâ *A* munita, noſtros fines ingreſſa ſit, ſciſcitari; quumq; nullum illa, niſi audacis cuiuſdam nouitatis chirographum *B* proferre queat, poſſem decreto vniuerſi Senatus oratorij eam ad contagionis purgandam ſuſpicionem in remoto ab Vrbe valetudinario *C* non tantùm quadragenariâ, verùm etiam perpetuâ cuſtodiâ multare, ac ſubmouere. Poſſem deinde hanc extraneã Rhetoricam in perduellionis *D* crimen vocare, & tanquam a ciuili abiunctam facultate, cui quæ non famulatur ars, artis nomen amittit,

A

B

C

D

quum Academicæ voluptati dumtaxat ſtu-
E deat indulgere, ſtigmate *E* inſcripto pro-
ſcribere. Sed hæc omnia, quanquam graui
ſanè ad profligandos Aduerſarios prælia, v
F leuioris armaturæ velitationem *F* hîc præ-
termitto, quò repente totam pugnam reuoc-
G ad Triarios *G*. Ab iſtis ergo delectationi
artificibus iam quæro præterea, quum Aca-
demica eloquentia voluptatem a perſuaſione
ſeparatam penitùs nolit, ſed perſuadere co-
netur oblectando: an oblectationi tanquam
fini primario obſecundandum putent; an e
contrario perſuaſionem ipſam veluti Orato-
rij muneris præcipuum finem ſpectādam exi-
ſtiment. Quum enim præcipuus finis ſit is,
cui minùs præcipuus ancillatur; tradantq;
ipſi Academicum Oratorem delectando per-
ſuadere: quis non ſtatim animaduertit, oblec-
tationem ab eo, tanquam citeriorem finem
ad perſuaſionem ceu finem extremum; aut, ſi
mauis, tanquam inſtrumentum ad finem cū
tali inſtrumento concinentem deſtinari?
Quod ſi oblectatio, quaſi inſtrumentum ad
alium vltra finem obtinendum porrigitur,
ipſa profectò finis princeps nullo modo eſſe
poteſt. Quid enim aliud eſt oblectando per-
ſuadere, quàm dare operam, vt oblectatio-
ne demulcendo Auditores, ab ijſdem perſua-
ſionem eblandiaris? quid porrò eſt perſuaſio-
H nē oblectationis illicio *H* eblandiri, quàm
oblectationem velut inſtrumentum ad per-
ſuaſionem, ceu præcipuum finem dirigere?
Piſcator, qui hamatâ eſcâ piſcem captat,
quor-

quorſum eius ob oculos edulem bolum K K
demittit? nempe vt voluptatis titillatione
tanquã inſtrumento ad prædam piſcis, velut
primarium finem vtatur. Et qui brachium
tantopere ſcalpit, fricat, ac refricat chirurgus;
donec eo penitùs obſtupefacto, venam nihil
ferè ſentienti ægro incîdit, quò illam, quæſo,
perfrictionem inciſuræ præuiam, niſi ad ſecandam venam, hoc eſt, tanquam appoſitam
præparationem ad finem conſequendum præmittit? Haud ſecus quoque, dum oblectationis hamo in perſuaſionem trahere vis Auditores, ſcilicet oblectatione, tanquam inſtrumento, ſiue tanquam præparatione quadam
præuiâ, viam tibi ad metam præcipuam perſuaſionis attingendam munis ac ſternis.

34 Poſtremò, ſi oblectationem finem præcipuum eſſe contendas Academici Oratoris;
repetam, quod ſupra iam obieci, rurſum a te
Rhetoricam artem cum Poeticâ miſceri, &
perturbari. Satis hoc inexcuſabile crimen
Aduerſarijs meis, vt nihil addendum ſit, paulò ante exprobraui, ac demonſtraui. Quare
quum hæc Academica dicendi forma, recensq; nata Rhetorica oblectationi concinnandæ, tanquam fini potiſſimo, perſuadendi
curâ aut omiſſâ penitùs, aut a tergo relictâ,
ſe totam deuoueat; nunquam ſe cum Oratore, legitimis nuptijs, maritabit; nunquam ſe
cum laſciuientis Declamatoris ingenio, niſi
fœdiſſimo adulterij probro in dotem numerato, pellex A perdita copulabit. Quod ſi A
Aduerſarij argumentis adacti, perſuaſionem

 finem

finem Oratoris præcipuum tandem fateantur, illamq́; oblectationis blandicijs quàm maximè ab Auditoribus exprimendam velint: quum nos etiam vnà cum omnibus dicendi magiſtris Oratorium oblectamentum perſuaſioni lenocinans ferendum doceamus; ſublata erit inter nos omnis ferè vmbra diſſidij, nullaq́; penè, niſi fortè de modo ac vi delectationis, qualis nempe, & quanta ad perſuaſionis finem requiratur, aut tolerari queat (de quo infra pluribus) nulla, in quá, B nulla quaſi ſupererit controuerſiæ orbita aut veſtigium. Quippe ſatis mihi, ſuperq́; hoc vnum eſt, quod a fucatis iſtis Declamatoribus enixè ſtudeo obtinere, finem potiſſimum Oratoris, etiam Academici aliûs, quàm Auditorum perſuaſionem, nullum eſſe, aut fingi poſſe.

Quomodo Auditor in exornatiuo genere de facultate iudicet Oratoris.

35 AT reſtat vnum telum, cuius acumine mirè ſibi blandiuntur Aduerſarij, planeq́; triumphant; nullo tamen negotio repellendum. Oblectationi, inquiunt, tanquam laudatiuę orationis moderatrici primariæ, ac fini omnia eo in genere ancillari, nullus inficiari poteſt, niſi qui Ariſtotelis * de arte Rhetoricâ libros nunquam inſpexit. in quibus quum mirificus ille Rhetor triplex cauſſarum genus pro triplici Audito-

* lib. 1. cap. 5.

litorum conditione diſtinxiſſet, exornatiuæ eos ſolùm Auſcultatores adſcripſit, qui de Oratoris facultate iudicarent. Hîc iſti voluptatis aſſeclæ ſtrepunt, hîc tripudiant, hîc vſq; ad rauim .... vociferantur. Quæ hîc mentio, aut ſuſpicio perſuaſionis? Iudicialis ſanè generis, ac deliberatiui hic finis eſt. at demonſtratiui nunquam omnino. In hoc enim Auſcultator nullam ad rem iudicandã, aut deliberatione terminandã impellẽdus eſt. Sed eo tãtùm nomine aures accõmodat Oratori, quòd magnum ab illo, valde eminens, plenum admirabilitatis, totumq; ad oſtentationem compoſitum artificium, quo ſummopere delectetur, tanquam melle nectareq; ſuauius præſtolatur. A

36 Hæc vehementiſſima eſt Aduerſariorũ impreſſio, hæc fulminea catapulta. *A* Verùm aſpicite, quæſo, quàm minimè formidoloſè, quàm nullâ difficultatis inclinatione, ſed animosè ſtrenueq; totum iſtum globum ſim reiecturus. Primò, ex hiſce voluptatis ſeruis percontari lubet, quî locum hunc Ariſtotelis perobſcurum cum tot alijs maximè perſpicuis a me proximè recitatis e regione apertiſſimè pugnantibus ipſi componant. A

Amens ſim, ſi nodum hunc Gordianum, quando aurium titillationem exornationum finem pertinaciùs tueri volent, alio, quàm deſperationis gladio diſſoluerint. Certè plurium locorum, quos protuli, dilucida planaq; ſententia vnius loci dubiâ inuolutaq; interpretatione antiquari non poteſt. Quid B

C

ſi deinde ne hoc quidem teſtimonium quicquam iſtorum delicijs Oratorum patrocinatur? Adeſte hîc auribus,atq;animis alacres, Iudices. Eo in loco quum tres in formas Auditores tribuat Ariſtoteles, ponatq; alios de futuro ſtatuere, quos deliberationibus addicit; alios de præterito, quos iudicijs aſſignat; demum ſubdit, Auſcultatorem, ſeu Panegyrici Auditorem de Oratoris facultate iudicare. Quid hoc rei eſt? quæ horum ſẽtentia notioq; verborum? Perinde omnino eſt, ac ſi dixiſſet: tempus præſens a tali Auditore ſpectari. ac niſi id ille innuat, ſui immemorem,mancum,curtumq; Philoſophum eſſe, concedant, neceſſe eſt. Quum enim ibi cauſſarum,atq;Auditorum genera ex diuerſâ temporis ratione partiatur; vbi præteritum, futurumq; deliberationibus, & iudicijs attribuit, ſuum etiam exornationibus, hoc eſt, pręſens neceſſariò erat deſignandũ: & tamen nihil deinceps de tempore pręſente laudationum proprio vltra ille memorauit, vt non obſcurè indicaret, hoc idem tempus pręſens in Panegyricis ab Auſcultatore, quum eum de Oratoris facultate iudicare ſcripſit,attendi. Maius enim neſcio quid, qui laudat, quàm qui accuſat, aut ſuadet, profitetur. Iſti facilè, quę Iudicibus,ac Diſceptatoribus ignota ſunt, ex pręterito promunt, aut ex futuro ſollerter conieɛtant, longeq; procliuiùs ſuis poſſunt imponere Auditoribus. Ille verò, qui laudat, quum in Oratione ea facinora, quę in omnium oculis ſunt, pertraɛtat;

toto

toto ingenio niti debet, vt rem præſentem, notamq; intuentibus Auditoribus, velut per occulta ſummi artificij machinamenta, ac prodigioſa amplificationis automata, D in immenſam quandam educat magnitudinem, eamq; mirâ perſuaſionis dexteritate credibilem omnino animis admoueat Auſcultatorũ. Atq; hoc demum amplificandi artificium, quod tamen totũ ad perſuaſionem dirigitur, illa illa facultas eſt Oratoris, de quâ Auſcultator, tanquam oculatus ſpectator, iudicat, eamq; ab illo requirit, cuius molimine fidem aſſenſumq; explicatis, amplificatisq; ab eodẽ præconijs tribuat. Addo etiam, quum in laudationibus omnia ad laudes perſuadendas præcipuè exornentur, & longè vberiùs, quàm in reliquis cauſſis, florentis eloquentiæ exultet opulentia, atq; interdum licentior quædam ſe prodat oſtentatio; rectè in his iudiciũ de Oratoris facultate ab Auſcultatore ferri, Ariſtotelem aſſeuerâſſe. Cæterùm, quis ſit Rhetoricæ Academicæ finis, oblectatio, an perſuaſio, quia de eâ diſceptare mihi in animo non eſt, neq; conſilio meo quicquam aduerſatur, diligentiùs porrò exquirere, ſuperuacaneum eſt.

Præmunitio quarta definiens, qualis ornatus in exornationibus requiratur, qualis repudietur.

37 Hîc enimuerò, Auditores, magnũ mihi videor exaudire Aduerſariorũ clamorem,

rem, & quaſi omnia eloquentiæ ornamenta
A penitùs ſint conclamata, *A* his tumultuantium vocibus vndiq; certatimq; me oppugnari. Ergone ab Oratione omnis concinnitas, omnis metaphorarum lepos, omnes acuminum veneres arcendæ ſunt? ſquallor tantùm, ſitus, ac macies quædam ſtyli omnia occupabit, & deformabit. Deliberatiuæ, Iudicialesq; cauſſæ, detritâ atq; incultâ lacernâ
B *B* indutæ, per curiam & forum tantummodò incedent? malum! Sed ferendum vtcunq;. At in Demonſtratiuo genere, quod totum iucunditatis cauſsâ comparatum eſt, & artem ſcitè venuſteq; dicendi non modò habet, ſed profitetur; in quo & ſententiarum gratia paranda eſt, & arguti, certiq; periodorum ambitus
C graphicè deſcribendi; quis pędorem, *C* triſ-
D titiam, atq; horrorem ſtrigolæ *D* ferat Orationis? Hæc ſunt, opinor, ne quid aſperius dicam; hominum feſtiuè ſomniantium anilia
E terriculamenta. *E* Nam quis eſt tam ſeueri ſupercilij, quis tam agreſtis ingenij, vt omnē
F mundum *F* cultumq; inuideat Orationi? Ecquis Stoicus tā ſiccus ac ieiunus aliquando fuit, quin longè maiorē popularibus cauſſis, quàm philoſophicis diſputationibus; & exornationibus, quàm cæteris generibus, largiretur feſtiuitatem? Quaſi verò vllus vnquam in literarijs Gymnaſijs tiro tam bardus, vllus tam fungus, vel ſtipes exiſtat, quin ipſo penè Rhetoricæ facultatis in limine intelligat, certa quædam ſchemata, & lumina, ſuas argutias, atq; ſententias, verborum, rerumq;

rerumq; ornamenta quum omni Orationi pro loco, cauſsâ, tempore, ac perſonis, tum verò laudationibus maximè iure deberi, & propria eſſe? Nolite, quæſo, ornamentorum Myropolæ, *G* in re minimè controuersâ G tricari *H* putidè. Ornamenta, ſententiæ, H acumina ne detrahãtur Orationi, metuitis? non detraho. Demonſtratiuum genus majore quodam nitidioris eloquentiæ apparatu gaudere contenditis? non repugno. Breuiter, atq; explicatè, ne quis veſtrum contra hiſcere *I* deinceps poſſit, quid totâ hac de I re ſancitum habeam, accipite.

38 Ego ornatum illum, ſiue rerum, ſiue verborum, acuminum, vel ſententiarum; argutiarum, aut venerum, non inuitus recipio omnem; quin vltro etiam requiro, qui, quum Oratoris fini, hoc eſt, perſuaſioni conſequendæ nihil incommodet, eidem inſuper perficiendæ conducit: illum verò, qui cum eodem fine vel rectâ pugnat, vel ex obliquo ipſi quacunq; tandem ratione officit, omnem proſcribo, eidemq; igne, atq; aquâ penitùs interdico. Datur igitur in exornatione venia hilarioribus deſcriptionibus, datur amœnioribus floſculis, datur acutioribus ſententijs. Patior. Digreſſiones aliquando interſeruntur. Conniueo. At illud ſemper arctè tenendum, illud præ oculis continuò habendum, quî cum fine Oratori propoſito hæc omnia, & ſimiliter conſentiant. Nam ſi quis putaret licere Oratori arbitratu ſuo, modò in hanc, modò in illam ab cauſsâ diſſitiſ-

ſimam

ſimam digreſſionem intempeſtiuè diuerteret; næ ille toto, quod aiunt, Cælo aberraret. Quæ enim magis poſſet eſſe præceps licentia, quæ magis inſana temeritas? Verùm ſapientiſſimi dicendi magiſtri, quum huiuſmodi præceptis ſuos imbuunt diſcipulos, hoc tantùm docere cupiunt, id genus amœnitates ad tædium vel longioris Orationis, vel triſtioris argumenti, vel alterius incommodi leuandũ, nunc ad palpandos Iudices, iam ad irridendos Aduerſarios, modò ad diluendam teſtium fidem, nunc deniq; ad alia conſimilia officia, quæ tamẽ omnia cum cauſsâ, fineq; Oratoris copulata ſint, aptè & commodè poſſe vſurpari.

59 At intercedet hîc aliquis huic pſephiſmati
A *A* ac legi: Liberior multò, inquiet, in exornationibus Oratori patet campus, quàm vt has in anguſtias, ſalebraſq; miſerè compingatur. Nam ſi placeat ad aures demulcendas venuſtum aliquid mollioribus ſonis modulari; ſi ad riſum excitandum iocis ac ſalibus
B liberaliùs ſedeat *B* indulgere; ſi ad curioſitatis delicias condiendas acuminibus argutijſq; infercire arrideat orationem, ſi ad voluptatem afferendam lepôres omnis generis, ac lumina lubeat frequentare; etſi hæc omnia ad finem Oratori propoſitum non conferant, nihil refert; ſatis eſt, ſi non obſunt. Quis enim eſt iſte eloquentiæ Dictatorne dicam, an Tyrannus, qui Oratorem, quo minùs ad oblectandos Auditorum animos huiuſmodi etiam ſtyli hilaritatibus expolire queat Orationem,

tionem, intolerabili audeat ſeueritate, aut potiùs ſæuitiâ prohibere?

40 Verùm nihil agunt, nihil moliuntur cincinnatæ, *A* vt ita loquar, ac plus æquo vibrantis *B* eloquĕtiæ lepidiſſimi defenſores. Nam rurſus illud vrgeo, nullam deſcriptionem. quid deſcriptionem? nullam ſententiã. ſententiam? imò nullum acumen, nullamq; particulam in Oratione otioſam eſſe tolerandam: omnia, quæ perſuaſionis fini obtinendo non fauent, de medio prorſum eſſe remouenda. Quid enim? ſi nulli ſunt vſui, quin tutò omittuntur? ſi perſuaſionem nullâ ex parte promouent, quorſum intruduntur? At oblectant Auditorem. Eſto. Sed illa oblectatio ab eiuſmodi Orationis afflata mulſo, *C* quæro, Auditoremne reddit magis attentum, vel Oratori magis beneuolum, vt quæ deinceps ille dicturus eſt, lubentiùs auſcultet, auditis faciliùs aſſentiat, perſuaſionemq; procliuiùs accipiat? Si huius notæ, ac generis eſt illa delectatio, quis non videt, eam cum perſuaſionis fine eſſe ſociatam? Siue enim proximè, ſiue longiùs ad finem ducat, dummodo eò feratur, nihil moror. Quin ego ipſe, qui omnem ornatum, quicunque, & quantuſcunque ſit, modò Oratoris fini obſequatur, iam antea non ſolùm a me probari, ſed experi etiam profeſſus ſum, eiuſmodi oblectationem per has illecebras venereſq; concinnandam pronuntio. Sin autem ea delectatio Auditorum animos vel auocat a cauſsâ in longinquum, vel intemperantiùs exhilarat;

vel

A

B

C

vel motum, quem iam intorta enthymemata excitârant, reſtinguit, aut certè refrigerat; vel fidem explicatarum rationum ſenſim imminuit; vel grauis, robuſtæq́; orationis paulò ante vibratæ recentem obſcurat memoriam; vel ad ea, quæ proximè ſubijcienda ſunt, Auditorem non præparat, ſed præpedit; ſi demum a perſuaſione quacunq; tandem ratione retrahit, præcidenda omnino eſt, atque omittẽda. Adde etiã, etſi eiuſmodi ſermonis irritamenta fini aſſequẽdo vtcunq; inſeruiant; ſi ijs prætermiſſis, alia rationum momenta, eorum explicata loco, meliùs, firmiusq; ad eundem perducant finem, amputanda itidem eſſe, vt validioribus locus rationibus concedatur. Alioqui ſi ſatis eſt, Auditorum aures qualicunq; oblectatione detinere, licebit in rerum ab Oratione alieniſſimarum importunas deſcriptiones excurrere; licebit allegorias e locis cauſſæ noſtræ contrarijs educere; licebit omnes deliciarum flores temerè carpere; licebit cunctos annominationum luſus iocosq́; velut in mergitem, *D* ac faſcem per-
D turbatè colligare. Quo quid dementius deliræ anus excogitare poſſint, equidem diuinare nequeo. Hæc igitur per ſe ita perſpicua ſi quis adhuc in conſultè neget, cui tandem veritati ſubſcripturus ſit, planè non video. Nam ſi hoc cuiuis naturâ duce in confeſſo eſt; ſi fine potiri velis; omnia, quæ, quo minùs eo potiaris, te remorantur, eſſe amolienda; quæ inſania eſt, eam Auditorum voluptatem, quæ illos a perſuaſione vel penitùs abducat, vel

certè

certè tutardet, venari? Quare non ornamentis omnibus, non acuminibus, non argutijs, non ſententijs, non alijs huiuſmodi coloribus ſpoliamus Orationem; ſed nimiam tantùm frequentiam carpimus, immodicum vſũ coercemus, effrænem quandam intemperantiam reprehendimus.

Præmunitio quinta, exploratè demonſtrans, quomodo acuminum aut ornamentorum vitioſa redundantia a caſtigata eorundem moderatione ſecernenda ſit.

41 Sed ne in confirmationis paulò poſt à me texendæ ſtructurâ nodus vllus tanquam in ſcirpo *A* ab Aduerſarijs quæri A poſſit, quid ſit hæc ornamentorum exuberantia, *B* quam ſugillamus; quid eorundem B temperatio, quam laudamus, præcisè enucleateq; pluribus ediſſerendum eſt, ne, ſi incertis finibus vtramque confuſam relinquamus, vnam pro aliâ noſtri iſti oblectationis Cupedinarij *C* ſibi curæ eſſe ſubdolè præ ſe C ferentes, denſamq; acuminum ſiluam temperantiæ nomine bellè cohoneſtantes, extra omnem huiuſce Actionis meæ ictum ſe poſitos, ac tutos arbitrentur. Aliam certè ab alterâ vſu facilius atque experientiâ, quàm ſermonis coloribus, aut linguæ penicillo licet diſtinguere. Nihilominùs haud obſcuris veſtigijs vel intima veritatis cubilia hîc quoq; ſe
produnt,

produnt, quæ paucis notare iuuat, Auditores.
D Nam ſicut in ſagittâ eam pinnarum D vim ac multitudinem, quæ illi celeritatem atque alas ad ſcopum attingendum addit, tanquã moderatam, congruentemq́; probant omnes; quæ verò complurium plumarum non leui pondere expeditum eiuſdem ſagittæ volatũ retardat, paulatimque a metâ retrahens, in terram deprimit, velut immodicam, atque ineptam meritò improbant: ita ego illam ornamentorum copiam, quæ rem ipſam, quâ de agitur, vt Auditoris menti altiùs infigatur, fortiùs vibrat torquetque, ceu moderatã, atque amplectendam pronuntio: contra verò eorundem ornamentorum ipſiſſimam deſigno intemperantiam, quum hæc Auditoris animum à rei propoſitę attentione auocant, atque ad Oratoris artificium, gratiam, atque ingeniũ contemplandũ, admirandumque, tũ inani, & præpoſtero ſalutandum plauſu, identidem ſępeq́; transferunt; ac propterea argumẽtorũ vim pariter, quo minùs in eiuſdẽ Auditoris pectus deſcendant, remorantur vnà, atque fruſtrantur. Ab attentione verò propoſitę rei ad Oratoris prærogatiuas ſuſpiciendas Auditores haud rarò fuiſſe traductos, certiſſimo indicio eſt, quũ hi ab illo dimiſſi, multam illius eruditionem dumtaxat, aut pręcipuè commendant, venuſta extollunt acumina, antithetorum futiles colluſiones eximiè prę/dicant, toti ſunt in amplâ memoriâ, doctrinaque celebrandâ. at de re ipsâ, quę

Oratio-

Orationis machinâ, ſcilicet fluxâ atq; eneruî, inculcata eſt, nullum faciunt verbum, nihil ſe commotos, nihilq; eius ſibi hęſiſſe in animo; ſed ita planè integros, atq; in ſententiâ firmos conſtantesque, quales acceſſerant, abire demonſtrant. De honeſtate autem virtutis capeſſendâ, de vitij turpitudine deteſtandâ, ſi in Oratione diſceptatum eſt, nihil mutiunt, *E* nihil omnino, aut parum valde meminerunt. Vbi ergo in huiuſmodi præconia, atq; admirationes ingenij, eruditionis, ac memoriæ Oratoris, Auditores prope vniuerſos ſeſe ludibundos effundere; de expoſito verò argumento nihil reputare, ſed miro illud ſilentio inuoluere, haud obſcurè, viri ornatiſſimi, animaduerteritis; germanam eiuſmodi ornamentorum luxus ſyngrapham, *F* exploratamque inconſideratę, ac noxiæ redundantię notam tenebitis. Cui & hanc alterã, nec minùs certam nunc, quęſo, adiungite. E F

42 Cernitis iſtam in omnes oras a ſole manantem lucem? hęc illa eſt, quæ, quum interiectas rerum formas ita illuminat, vt eas oculus & diſtinctiùs & magis ex longinquo intueri poſſit, oculumque ipſum iucundâ recreat amœnitate, apta, ac temperata cenſetur; at, quum tanta ſeſe luminis copia in oculum infert, vt ipsũ exoculet, *A* hoc eſt, ipſum lędat, pręſtinguat, *B* obiectarũq; rerũ fraudet obtutu; vtique nimiam illam fuiſſe atque immodicam omnes agnoſcunt, nec pauci ſuo etiam malo experiuntur. Haud ſecus quoque, quum a cõmentitijs huiuſmodi Ora- A B

torum

C torum parelijs, C hoc eſt, ab adumbratis Solibus tantam Auditorum intelligentię affundi lucem videmus, vt explicatam Oratione quęſtionem non clariùs illi percipiant, ſed immodico potiùs ſententiolarũm obruti ſplendore, rerum memoratarum aſpectu, & conſideratione prohibeantur, tum, ignorantiâ maximè obſcurante, tenebreſcant, nimiã enimuerò nimiam illam acuminum ornatuſque vim, nimiam abundanciam ſuperfuſam eſſe, omnes manifeſtò colligimus.
Hanc porrò ſuperuacanei ornamenti internoſcendi normam certiſſimam, rogo vos, per veſtram fidem, atq; humanitatem, memoriæ non ſolùm diligenter mandate, ſed accuratè etiam obſeruatam penitùs inſculpite. Ad hanc ad hanc Orationes omnes, Cõcioneſq; quotquot auditis, aut legitis, exigite; & quo vnaquæq; Auditores à propoſitæ rei argumento perpendendo ad Oratoris præſtantiã admirandam minùs abduxerit, eo meliorem; quo magis verò magiſq; abſtraxerit, tanto deteriorem exiſtimate.

43 Quod ſi aliquis hæc veluti veſtigia relegens, nec dum, vbi ornamentorum, acuminum præſertim, iſta redundantia habitet, vbi verſetur, ſatis perſpicit (quanquam ſi attendat, ſi intelligentiæ illa, vt ita dicam, A diuortia, A animiq; auocamenta, B quæ B iam perſtrinxi, diligẽter obſeruet, perſpiciat, neceſſe eſt) aſſero alium præterea ad hanc C ipsã ornamentorũ luxuriã deprehendendã cõ- D pertiſſimæ fidei teſtem, C ac diſcernendũ. D

Nam

Nã quũ facti alicuius, aut actionis ſimplex, nudaq; de egregio aliquo viro, Hiſtorici ſtylo candidè exarata narratio Lectorem magis afficit, eidemq; viro magis deuincit, quàm de eâdem actione factoue integra Oratio, vel Concio operosè conflata Auditorem feriat, ac demereatur, certiſſimũ eſt, huiuſmodi Orationem, vel Concionem, ſi cæterę quidem Rhetorices Leges in eâ fabricãdâ in vſum omnes ſint reuocatæ, ſed hiſce pigmentis illam delibutam eſſe cõſtet, ornatus intemperantiâ laſciuire. Quaſo vos, quid hîc ego affirmauerim, non ſolùm expendite, verùm etiam ſyllabatim repetite, Auditores. Non dixi integrum totumq; Hiſtorici volumen Diui alicuius actiones omnes complectens ad percellendum Lectorem magis, quàm vnius duntaxat facti adornatam laudationem ad Auſcultatorem demulcendum, valere: ne quis ſtatim in cõparatione vitium notaret, iureq; exciperet. *E* Sed penſiculatè *F* hinc Hiſtorici merã vno de facto narrationem, illinc de eodem ſoloq; pariter facto Oratoris Panegyricum e regione conſtitui, mutuoq; compoſui: tum conſultò ſubieci, iterumq; in præſentiâ confirmo, quum eiuſmodi Hiſtoria audita, vel lecta Auditorem, aut Lectorem magis, quàm de eâdem re Oratio, aut Concio item audita, vel lecta, mouet; hanc, licèt alioqui cæteris omnibus perfectam numeris, iſtarum uenerum luxu eſſe corruptam. Quum enim Oratio, præſertim Panegyrica, luculentis amplificationibus ſplendere debeat: amplifi-

amplificatio autẽ nihil aliud ſit, quàm vehemẽtior quędã affirmatio, quę nẽpe facti, quod ab Hiſtorico ſimpliciter, & ſine fuco deſcribitur, adiuncta omnia enucleat, atq; exaggerat; a quauis amplificatione, multoq; magis ab Oratione uniuersâ ex pluribus contextâ amplificationibus, duplo ſaltem maiorem impreſſionem in Auditoris animum, quàm a ſolâ facti narratione, fieri par eſſet. Si quam enim laudem nuda illa facti narratio alicui viro apud Lectorem aſſerit; quanto magis amplificatio eiuſdem facti tanquam, G admirabilis ſiſtucæ G machinamentum altè ſublatum, demiſſumq; illam ipſam laudem in Auditoris animum geminatis ictibus adiget? Quid ſi igitur ſecus accidat, & ſimplex Hiſtoricus magis, quàm expolitus Orator, Auditorem incendat? Tunc liquebit, puto, euidenter, huius Orationem ad perſuadendũ minus virium, quàm illius expoſitionem, habere: ac proinde, ſi multis ornamentis niteat, nec in ullam aliam Rhetoricæ legem peccatum ſit, iſtorum redundantiâ opprimi; uel certè ſi hiſce careat, quoquo tandem uitio laboret, omnino eſſe uitioſam. Quid enim? Quum amplificatio, atq; Oratio ea propter elaboretur, ut maiorem quandam in Auditore, quàm ſimplex Hiſtoria, commotionem excitet: ſi ex aduerſo, motum ne parem quidem, ſed minorem, quàm Hiſtoria, in eodem efficiat, nonne peruerſa, prępoſteraq; ſit, neceſſe eſt? Si igitur ea Oratio acuminibus, ſenſiculis, aut alijs ornamentis farta ſit, cui

hoc

hoc experimento aperta eorundem intemperantia non ſe prodet?

44 Geminum huic parq; omnino piaculũ eodem prorſus modo apud M. Tullium in tertio de Oratore notauit, ac perbellè irriſit M. Craſſus, quum ſcilicet Patronus ita dicit, vt, quid velit dicere, difficiliùs, quàm ſi ipſe ille, qui Patronum adhibet, ſuâ de re diceret, intelligitur. *Iſti enim* (inquit) *qui ad nos cauſſas deferunt, ita nos plerunq; ipſi docent, vt non deſideres planiùs dici. Eaſdem res autem ſimul ac Fuſius, aut veſter æqualis Pomponius agere cœpit, non æquè, quid dicant, niſi admodum attendo, intelligo: ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil vt ſit primum, nihil vt ſecundum, tantaq; inſolentia, ac turba verborum, vt oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem & tenebras afferat; atq; vt quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur*. Hæc M. Craſſus. Vt igitur Patronus, quum non ſolùm obſcuriùs, quàm cliens, dixit; verùm etiam, quæ hic clarè docuit, dicendo obſcurauit, ineptus, atq; præpoſterus, quòd rebus ſibi a cliente propoſitis non tenebras, ſed e contrario lucem dare debuerit, illico iudicatur: Ita ſanè, quum ſimplex Hiſtoria Lectorẽ magis, quàm Auditorem Orator eâdem de re diſſerens commouet; quod tamen contra, hic longè magis, quàm illa afficere deberet, flagitioſæ eloquentiæ chirographum minimè anceps ea in manus porrigit. Atq; hinc, Auditores, complurium Concionatorum dicendi aciem, vt ita loquar, huiuſmodi cote

ren-

tentare licet, atq; experiri. Nam ſi horum auditis de ſanctiſſimâ Cœlitum vitâ laudationibus nullos vos pietatis igniculos concepiſſe, nullâ vos eorum veneratione, aut cultus diuini cupiditate tangi; nullo beneuolentiæ
A tacito quodam magnete ad ipſos rapi ſentitis; contra verò perlectis ex Hiſtoriâ eorundẽ Diuorum egregijs facinoribus, ſubito amoris vinculo ijſdem vos adſtringi, virtutum admiratione capi, imitandiq; ſtudio ardere animaduertitis: quis veſtrum illico nõ agnoſcat eiuſmodi exornationes mancas, ineptas, abſonas, acuminũ luxu, vel alio quoquo vitio
B eſſe temeratas? Itane nuda, & muta Hiſtorici narratio, magno ſilentio pacateq; luſtrata oculis, vos Lectores vehementiùs, quàm Oratio opulenta, etſi tanto inſuper verborũ, rerumq; apparatu inſtructa; etſi actionis etiã machinâ potentiſſimâ excuſſa; etſi voce, manibusq; intorta, vos eoſdem Auditores inflammauit? Vnde id monſtri, niſi ex ornamentorum, quibus Oratio non diſtinguitur, ſed confunditur, immoderato luxu?

45 Neq; verò eſt, cur hîc ſerò ſapiant (quãquam haud ſeriò) aut ſapere ſe fingant per-
A elegantes noſtri Phryges. Non eſt, cur phalerati iſti Oratores hanc ornamentorum intemperantiam ſibi quoque diſplicere cauſ-
B ſentur, aſtuteque comminiſcantur. Non eſt, cur obtendant, ſe lepôres & delicias elocutionis in dicendo quidem adamare, ſed redundantiam odiſſe: frequẽtare ſe ſchemata, & lumina, ſed conſertarum opũ fugere oſtentatio-

tationem. Homines planè ſagaciſſimi, vbi tot ſuis ornamentis ad incitas ſe redactos vident, quas ſe in formas non vertunt, quas præſtigias non architectantur? Sat ſcio, iſtos ore quàm blandiſſimo, & linguâ quàm modeſtiſſimâ, quum argumentis vrgentur, perſanctè affirmare, ſibi harum illecebrarum moderationem in dicendo cordi ſemper eſſe; contra verò fatuam exuberantiam monſtro peiùs inuiſam. Dicuntur hæc quidem ab illis in ſpeciem pulchrè, ac ſcitè. at reapſe ſi huiuſmodi voces ad experimenti trutinam reuocentur, non tam ignem cum aquâ, aut cũ luce tenebras pugnare, quàm iſtorum facta a verbis diſſentire reperiemus. Temperantiam harum amœnitatum ſe conſectari bonis quidem illi verbis pollicentur. Sed eorum pollicitationes cum ijs, quas expoliunt, habent, eduntque, Orationibus, atque Concionibus, quæſo, contendite; amens ſim, ſi denſiùs vſpiam ruunt, liceat mihi ita loqui, acuminum nimbi, aut immenſus quidam ſenſiculorum D cataclyſmus tam præcipitanter exoneratur. E Quàm multa enim Auctorum monumenta, tanquam ſata, procelloſâ iſtâ acuminum F grandine, fœdaq; luxuriantium ornamentorum tempeſtate nimium quantum flagellata poſsé, ſi luberet, appellare? Non eſt, cur quis fingi a me Aduerſarium, aut pro arbitratu, eloquentiæ præuaricatorem apponi, vel emi ſuſpicetur. O ſi ſe huius facinoris Rei nominari paterentur! o ſi liberè ſuas ſibi dictionis intemperias, ac veluti malè venditas merces

G redhiberi non indignè ferrent! quas, & quot harum decurias, quot manipulos, numerando percenſerem! Sed nolo quenquam deſignare, Iudices, neminem appello, maloq; totam hanc meam accuſationem ad vitium ipſum dumtaxat, temporum iniquitate ſerpens, quàm vllas ad perſonas, vel ſcriptores pertinere.

Præmunitio ſexta, explicans, quænam ſit Ciceroniana Eloquentia.

46 VErùm quia hanc acuminum ornamentorumq; redundantiam, non ſolùm quò ab omnibus reijciatur, profligaturus ſum; ſed etiam ex aduerſo Tullianæ eloquentiæ decus, quò ad imitandum cunctis proponatur, in ſolio collocaturus: ne quid dubitationis in verbo veſtram intelligentiam
A moretur, Auditores, in anteceſſum moneo, me Ciceronianæ eloquentiæ nomine non ſolùm illam, quâ aliquando M. Tullius in ijs Orationibus, quarum adhuc monumenta retinemus, vſus eſt, intelligere; ſed illam etiam, quam pro materiæ varietate, atq; opportunitate adhibuit, & verò multò magis, ſi noſtrarum argumenta Concionum tractauiſſet, ſine dubio fuiſſet adhibiturus. Nam etſi Tulliana dictio atq; oratio alicubi fortaſſe aridior, aut ieiunior videatur, tota hæc qualis qualis ſiccitas ipſi potiùs materiæ, quam verſabat, quàm eiuſdem eloquentiæ, quâ illam exornabat, adſcribenda eſt. Nempe

feruiebat ille, foro præcipuè, ac populo, eiuſdemq; generis multas cauſſas identidé agere, ac repetere cogebatur, nec nõ de rebus omnino exiguis emptus Orator frequenter dicere neceſſe habebat; vt propterea argumenti, & materiæ iniquitate ſæpenumero preſſus, vim illã ſuam eloquẽtiæ incredibilẽ efferre nullo modo potuerit. At quando materiã nactus eſt grauẽ, egregiã, ac nobilẽ, tum verò beatiſſimę ſuæ in dicendo copiæ diuitias non tantùm fudit, ſed etiam profudit. Quod ſi æuo noſtro, noſtrâ initiatus religione, viueret Tullius, ſacrarumq; argumenta Concionum præſtantiſſima ſtylo ſuo exornaret; nihil profectò eloquentius, nihil ſollertius, aut vehementius audiri poſſet. Perinde igitur ac peritus nauis gubernator, quando eam impegit vadis, artis ſpecimen edere nullum poteſt, at medijs in fluctibus, in turbido, & procelloſo mari peritiam ſuam oſtendit, ac probat; ſic Ciceroniana eloquentia, quum in medijs Concionum fluctibus, atq; turbinibus maximè exultet, ac regnet; ſi quando cauſſarum ſalebris impeditior, atq; tenuior euadit, in materiæ ipſius, vt ita dicam, vada ſyrteſq; tota hæc culpa inclinanda eſt. Tullianam igitur eloquentiam hîc illam definimus, quam quicunq; Orator, vel Concionator, ad Tullianas leges, hoc eſt, ad elegantiſſimum Ciceronis ſtylum, ad vim illam roburq; verborum, ac rerum, ad eam ingenioſiſſimi artificij texturam, ad illam amplificandi normam eximiam expoliens, quacunq; in linguâ aptiſſimè imitatur. B C

Te-

Totius Confirmationis meta depangitur.

47 OPeræ pretium fuit, Auditores, hæc omnia, antequam propiùs manus cum Aduerſarijs conſeram, paulò diſtinctiùs, atq; vberiùs exponere, vt clariùs, certiusq; in quo tota quæſtionis, ac diſſenſionis A ſtirps verſetur, in propatulo collocetur, quò deinde eos in anguſtias redactos preſſiùs, atq; valentiùs poſſim configere. Quum igitur Oratoris, vel Concionatoris finis præcipuus, non proprij gloria nominis, neq; Auditorumoblectatio, ne quidem in Panegyricis, etiam Academicis, ſed Auditorum dumtaxat perſuaſio quolibet in genere, vt oſtendimus, ſtatuendus ſit: quumq; ornatus rerum, verborumq; a me non repudietur, ſed redundans tantùm, quiq; perſuaſionis fini incõmodat; qui verò eidem opitulatur, vltro a me laudetur, ac requiratur: nec non certam exploratamq;teſſeram Orationis nimio cultu luxuriantis a temperatâ internoſcendæ in medium attulerim; atq; huius ope, ductuq; ornatus iſtos vindices explicatæ obnoxios intemperantiæ, cuius ſolius cauſsâ eos ego hac in Actione reos ago, probauerim; tum Ciceronianæ formam eloquentiæ tempeſtiuè deſcriptam oculis veſtris ſubiecerim: accedo tandem ad eam fidem, quam dudum antea oppigneraui, liberandam, doceoq; tam Orationes, quàm Conciones, ornamentis, maximè acuminum & ſententiarum, intemperan-

ter

ter fucatas & pictas,corruptiſſimo eloquentiæ genere ſummopere eſſe deprauatas.

48 Concedent, opinor, hîc mihi non inuiti Aduerſarij mei,quodcunq; inſtrumentũ, quod fini ſuo conſequendo aptum non eſt, omnium ſuffragijs, mãcum eſſe,inconcinnũ, ac peruerſum. Sic nimirum penicillum ex milij conflatum paniculis pingendo intractabilem pictor explodit; ſic malleum e cerâ compoſitum tundẽdo inhabilem aurifex irridet; ſic citharam non fidibus, ſed funibus intentam edendo concentui abſonam citharœdus exſibilat; quia iſtæc omnia inſtrumẽta ad proprium cuiuſq; artificis finem obtinendum minimè ſunt accommodata. Quid porrò, quæſo, Oratio, quid Concio eſt, niſi inſtrumentum ad finem perſuaſionis vtriq; propoſitum eblandiendum, vel etiam extorquendum operosè conditum? Si igitur iſtorũ quum Orationes, tum Conciones, tot ornamentis, præcipuè acuminum, ſuperfluentes, ad hanc ipſam perſuaſionem in Auditorum animis ingenerandam, ineptas, finiq; ſuo nullo modo conſentaneas reuicero; nemo, credo, rationis compos, quin me cauſsâ ſuperiorem, ac ſecundùm me iudicet, reperietur.

49 Agite ergo, Auditores, quænam tandem illa ſunt, quæ animorum perſuaſionem, Oratorium videlicet finem, cõficiunt? tria omnino, vt iam tetigi, omnesq; dicendi magiſtri cum Rhetorum anteſignano Ariſtotele cõſentiunt,rationũ ſcilicet põdera,mo-

rum lenocinia, affectuum fulmina. Quid ſi iam ego nihil iſtorum ab Aduerſarijs, niſi perperam, adhiberi, tractariq́; firmiter, ac neruosè probauero? Nihil ego vos moror. Agite, experiamur.

Partitionis I. membrum. Ornamentorum redundantiam argumentis vacuam eſſe, vel leuibus tantùm ſuffultam.

5 A primo ordiens perſuaſionis machinamento, frequentiam hanc contortularum ſententiarum ad quæſtionem ratiocinatione cōfirmandam ineptam eſſe iam vobis, Iudices, planū facio. Piget me adumbratis iſtis Oratorum ſimulacris, qui in Orationibus nihil minùs ſatagunt, quàm illam munire rationibus; qui quas tractant res, an perſuaſioni ſeruiant, nihil habent penſi; contra verò, totā induſtriam in conglomerandis acuminibus ſenſiculisq́; collocant, de argumentis intorquēdis mentionē vllam inijcere. Sed liberaliùs agam cū illis. Patiar mihi hodiernâ luce imponi, patiar me non imprudentē traduci. Conſilium Aduerſarijs meis, ac ſtudium in Oratione ſolidè probādi ineſſe non abnuo, vel vltro etiam indulgeo. At quas tandem hi, & cuius notæ, vel ponderis rationes poſſunt coagmentare? bellulas, ſcitulas, pulchellas, opinor; ſine dubio pulchellas. Cernas mellitorum declamatorum in

Orationibus acumina argutijs contexta; ſuccedunt feſtiui ioci. hos aculeatæ excipiunt ſententiæ; mox hinc atq; illinc antithera ſubſiliunt; paſſim deſcriptiones laſciuiunt, vbiq; annominationes, ſaleſue tripudiant. At in his omnibus quæ rationis vmbra, quod veſtigium eſſe poteſt, vbi cuncta longè arceſſita? vbi omnia peruerſa vbi nihil proprium, nihil niſi plumâ, & vento leuius? vbi emendicatis vſq; ad inſaniam coloribus, argumentorum ſpecies omnis ac forma decoloratur? Mitto iam reprehendere, quàm multa plerunque dura, atq; aſpera intrudantur; mitto, quàm ſæpe frigida, quàm crebrò diſſentanea: mitto, quàm abſona nonnunquam, puerilia non raro, obtuſa frequenter, hiſce Oratoribus tam ſubtilibus ſint in pretio, ac mirè placeant: mitto, quoties rei, de quâ diſſerunt, illa, quæ ita expoliunt, atq; acuunt, non cohæreant: mitto, quàm ſæpe mutuò ſibi aduerſantia committant, quàm ſæpe calida frigidis, ſiccis permiſceant humida, vt ſcilicet poſtremò vniuerſa perturbent. Hæc omnia, inquam, iſtis tam ſagacibus, ſolicitiſq; ornamentorum indagatoribus non inuitus condono, quanuis intolerabilia ſint, quæ vitupero.

51 Sed fac eos demum, neſcio, quid rationũ ſuas in Orationes cogere; fingamus illos, neſcio, quid argumentorũ ſomniare, & comminiſci; quàm erunt tamen iſta exilia, quàm imbecilla, quàm exſanguia? Quis enim vnquam Rhetoricam, aut Dialecticam vel a

limine ſalutauit, quin illico perceperit, ex omnibus rationum generibus nullas infirmiores, aut languidiores, quàm quæ a ſimilitudine petuntur, quippe quæ neq; argumenta ſint, ſed argumentorum tantùm affines quædam, non ad confirmandum, ſed ad explicandum accõmodatæ affectiones, reperiri? At iſtorum Oratio quibus, obſecro, rationibus, quibus enthymematis vel argumentis muniri poteſt? Sed quid ego rationes aut argumenta cõmemoro? Intempeſtiuis illa metaphoris tota ſcatet; perpetuis inuoluta allegorijs ſepelitur; denſo oblita minio, adulteratur; ſuauibus aurium illecebris delinita, perfunditur. Et quibus demum enthyme-
A matis noui iſti eloquentiæ promi condi, niſi commentitijs ac ſimulatis, niti poſſunt? Laruæ, quæ vultibus inducuntur, laruæ ſunt, non vultus. Imagines, quæ homines red-
B dunt, imagines ſunt, non homines. Conferte iam laruarum colores cum vultuum lineamentis, & ſuauitate; frigida ſtatuarum marmora cum viris ſpirantibus. Quantum diſcriminis hæc in ſpeciem ita cõiuncta diſiungit? Quàm longâ naturæ inter-
C capedine, etſi colore, locoq; ſociata, diſtiſtinentur? In homine adſunt oculi, hos exprimit imago. eriguntur aures; has & imago
D habet. Frons caperata rugis adducitur;
E hanc imitatur imago. Cirris, anulisque
F criſpata cæſaries ventilatur aurà; hanc æmulatur imago. manus, pectus, tibiæ, pedes, genua membris, atque articulis diſtinguuntur,

guuntur; hæc etiã omnia repræſentat imago. Sed quid? an imago cum homine coaleſcit? Scilicet coaleſcit. In homine hæc vniuerſa vitam ducunt; oculi nictant, & vident; G frons exporrigitur, & criſpatur; aures ſonum percipiunt, & tinniunt; manus explican- H tur, & cõtrahuntur; pectus ſpirat, cordeq; animatur; pedes ambulant, currunt, ſaltant. At in imagine cuncta hæc adſunt quidem, ſed ficta, ſed perſonata, ſed mortua. Repe- I riuntur in ſtatuâ oculi, at non intuentur; reperiuntur aures, at ſurdis canitur; reperitur frons, ſed riget immota; reperiuntur manus, ſed duratæ ſaxo; reperitur pectus, at ſine corde; reperiuntur pedes, at ſine motu. Luſtrate iã animo, ſi lubet, argumentorũ exercitum, quo delicati iſti Oratores inſtructi ſunt. Potiſſima ſine dubio eorum pars, ne dicam, tota acies, ab imagine ac ſimilitudine ducta eſt. At ſimilitudines argumenta non ſunt, ſed argumentorum tantùm ſimulacra. Vis, robur, nerui in argumentis ſunt. hæc expingit etiam ſimilitudo, ſed expingit ſolùm, non habet. Vis, robur, nerui in illis vigent, ſpirant, animaq; conſtant. at in ſimilitudine color dumtaxat, ceruſſa & fucus ſine ſpiritu extat, etſi per ipſam ſimilitudinem argumẽti quædam uis pelluceat, atq; ad Auditoris K animum explicatione traducatur. Quid igitur uirium præ ſe ferre queunt illa argumẽta, quæ pictis tantùm neruis imaginum, colorato dumtaxat ſimilitudinum robore, umbratili ſolùm affinitatis ſpiritu ſuſtinentur? Nempe

ubi omnia metaphoris ſtipata ſunt, ubi metaphoricæ rationes gemmatis acuminibus ueluti incruſtantur, molliumq; uerborũ M albario, quaſi opere tectorio trulliſsantur; & confirmatio metaphorica, hoc eſt, impropria, leuis, delumbis euadat, neceſſe eſt.

Argumenta Aduerſariorum, etſi propria, adhuc fracta ſunt.

52 SEd eſto. Iſtorum argumenta pleraq; a ſimilitudine non deriuentur; ſed proprijs e locis promantur; vel ſi a ſimilitudine propagantur, pro argumentis nihilominùs habeantur. Adhuc tamen eiuſmodi argumenta infirma ſunt, adhuc ſubleſta, adhuc plumbea. Vidiſtiſne vnquam a dulciculis piſtoribus ſaccharata cruſtula, atque placentas nunc in pugionem formari, modò in bipennem flecti, aliquando in haſtam produci? quem tandem, rogo, tam mollia, ac delicata arma deterrent? deterrent autem? imò puerorum, credo, palatum potiùs, quò eorum guſtu, dũ recentes ſpiræ calent, frui properent, inuitant. Iam ergo liberate vaginis, ſuauiſſimi Oratores, iam in mediũ educite, iam expromite veſtra argumentorum arma; nunc, qui ſint veſtri gladij, quæ haſtæ, qui acinaces, quâ acie, quâ cuſpide, quâ firmitate, exploremus. Omnes e ſaccharo compactos reperiemus. Nihil hîc ſolidi chalybis riget; grauis, duriq; ferri ne hilum quidem ſtridet. Pugiunculi mellei ſunt totis

toti non ex aſperis laminis, ſed ex lenibus annominationum libis coagmentati, papauere inſuper argutiarum conſperſi, totiq; planè ex piperatis ſenſiculorum acuminumque maſſulis facti. Hos in orbem rotant audacter, hos circumducunt, his minantur, his armati clamorem ingeminant, his animati cruentam, & ſupra Herculeos labores efferatam faciunt impreſſionem. At quem tandem illi feriunt? quem iugulant? Aerem quidem ſtrenuè diuerberant, & pro flabello muſcas commodiſſimè abigerent. Sed vbi in Auditoris animum aduerſę opinionis loricâ munitum incurrunt, ſtatim obtunduntur, curuantur, diſſiliunt, franguntur. Vellicant nonnihil aures, non diffiteor: at ſi arrectæ iſtæ perſiſtant, hebetantur; ſi ad iudicij trutinam exigantur, diſſoluuntur. Audiui ego, ac vidi non ſemel huiuſmodi aucupes ſubtilitatum hilari ſe ſe fronte, magnificeq; circumſpicientes, digitis, manu, oculis, ſupercilijs, verbis, atq; ſententijs tam graphicè, tam ſcitè, venuſteq; ludere, vt venuſtius nihil, nihil lepidius ab arguto circulatore expectari poſſit. Spectaſtis, ni fallor, aliquando cum riſu, quum neque dum ex ephebis exceſſiſſetis, præſtigiatores, neſcio quos, in foro iucundiſſimis quibuſdam iocis oblectantes, detinentesq; plebeculam. Vbi pecuniarum corraſum eſt ſatis, vbi ſpectatorum crumenæ ſatis emunctæ, ſatis exinanitæ ſunt; ſublatâ cortinâ, nugarum verſipellis architectus in proximum pegma, cadurco

G H I K L M N

O centone que ad imum vſque obductum ſubit.
In fronte ſupra eleganter depictâ ſcena, in
P hemicycli formam ſinuata panditur. Mox
Q intus audias totum muſſitare choragium,
ſtrepere, turbas ciere, dando ludo ſe ador-
R nare. Hiſtriones, mimi, ſanniones iam
in proſcenium geſtiunt prodire. Nec mora;
S proſiliunt ſubitò hinc ex argillâ fictæ
T imagunculæ, illinc ex ſcrutis fartæ, com-
V pactæque pupæ; hinc venuſtula oſcilla,
X illinc argutula ſigilla torno affabre ela-
boratâ. Hæc quum ſenſu ſpirituq; careant,
artificio, ac technis animantur. Cernas illa
corpuſcula nunc ſeſe librare in ſaltus, nunc
choreas ducere, nunc in factiones diuiſa
concurrere. Quid? laruata illa ſpectra, per-
Y ſonatique, vt ita dicam, lemures brachia
dexterè in orbem torquent, caput modicè
inclinant, argutijs digitorũ per quàm blandè
micant: voce ad aurium captandam volup-
tatem vtuntur acutiſſimâ; ſibilant potiùs,
quâm loquuntur: officioſè aliquantiſper, ac
familiariter inter ſe agunt; ſi ſpuunt, ſales
α ſpargunt; ſi ridere conantur, hinniunt; ſi que-
β runtur, gallinam glocire, aut gannire vulpem
putes; ſi minantur, mures acutum quid ſtri-
γ dere videntur. Interim tota concio in ca-
chinnos effuſa, riſu diſrumpitur. Quid
plura? a facetijs tranſitur ad iurgia, a iurgijs
ad manus, à manibus ad plagas. O præſti-
gias oculorum! o illecebras! En commen-
titij homunculi ſubirati, pictos e vaginâ
δ nudant gladiolos, ſicis, enſiculiſque

minitabundi alij in alios inuadunt; altè librant hi in hoſtem ictus; illi supernè cædunt; iſti pectus fodiunt; illi latus ſubiecto mucrone hauriunt, donec ſicariorum vnus ex illis audaciſſimus palmari e fiſtulâ, quid dico, palmari? vix digitali ex tubulo repentè diſploſâ papyri glande, primum quẽcunq; temerè obuiam factum reſupinat. Audito bombo, omnes terga vertunt, pedes in fugam, auolant. Quis iam Cato tam rigidus, quis caperatæ adeo frontis Fabricius, tam feſtiuo ſi interſit ſpectaculo, rugas non remittat? Spectatum admiſſi, Auditores, riſum teneatis? neſcias planè difficiliuſne ſit tenere, an terminare. Nam tota illa pugna, totum illud prælium, illa vulnera, illæ cædes, illa arma ſimulata & ficta ſunt. Eorum vulnerum nullus editur dolor, ſed plauſus; illæ ſtrages non commiſerationem excitant, ſed riſum; bracteati illi pugiunculi non ſanguinem, ſed cachinnos eliciunt.

53 Facilè reor, Auditores, iam, quo tota mea hęc pertineat oratio, prouidetis. Adumbratis illis non hominibus, ſed hominum ſimiolis acuminum iſtos Phrygiones quâm ſimillimos dixerim. Vbi enim in ſuggeſto, tanquam in proſcenio conſtiterunt, non ſecus atque illi de triuio circulatores technas omnes ad ſtipem, plauſumq; exprimendum componũt; omnem iſti artem ad proprij famam ingenij, ad ſapientiæ opinionem colligendam exercent; vt nemo ſit tam hebes ac ſtupidus, quin fucum ab illis fieri initio ſta-
tim

tim dicendi animaduertat. In Orationis
exordio quandam veluti ſcenam acuminum
floribus viridantem, argutijsq; opere quaſi
B teſſellato incruſtatam expandunt. Sales
ſalibus condiunt, ſententias ſententiolis far-
ciunt, luminibus lumina obruunt. Vt ad
propoſitionem ventum eſt, proſcenium fabri-
cantur, mox amœniſſimas in narrationes ex-
currunt, rurſumq; per ornamentorum aciem
ſpatiantur. Tandem ad firmamenta cauſſæ,
C tanquam ad fabulæ *epitaſim, cataſtrophenq;*
deſcendunt. Hîc enim verò de verborum
cultu mirè ſoliciti, non quî animum fran-
gant, ſubigantque, ſed quomodo aures titil-
lent, ac ſcalpant, argumentorum machæras
euaginant. Facilè credas hiſtriones ludi-
cram pugnam inire. Quæ enim iſtorum ar-
gumenta ſunt, quæ arma? o ludibria elo-
quentiæ! o dedecora! Rurſum quo filo ora-
tionis telam ordiri cœperunt, eodem pergunt
D deinde pertexere. Vibratas ſententias, non
ex cauſſę, vt ita loquar, armamentario erutas,
ſed ex laſciuientis ingenij areolâ decerptas
intorquent. Antithetis ludunt, argutiolis
blandiuntur, micant luminibus, dicterijs, &
E ſcommatis iuuenantur. Hæccine ſunt arma?
hoc ferrum? hi gladij? metaphoris pictos
F enſes, allegorijs bracteata argumenta, anno-
G minationibus illuſas rationes centuriant,
H hiſq; cataphracti armis cum Aduerſario
præliantur. Fallor: non cum Aduerſario,
cui quàm minimè moleſti eſſe cupiunt, di-
gladiantur; ſed modò cũ hortorum floribus,

quos

quos deſcribunt, bellè colludunt; iam cum
luſciniâ ſuauicantitant murmure; nunc ma- I
ris tempeſtatem intempeſtiuè depingunt;
identidem veris delicias inaniter exponunt;
multarum ſubinde rerum leuiſſimarũ formas
ſubtiliſſimo orationis penicillo reddunt,
oculiſq; ſubijciunt. Hæccine ergo ſunt fir-
mamenta cauſſæ, hæ ratiocinationes? vocem
in dicendo molliſſimè inflectũt, nictant ocu- K
lis, manibus argutantur, totâ ſibi corporis L
conformatione mirè aſſentantur. En præliũ
infeſtiſſimum, en pugnam acerrimam. Ex
tantâ verò animi contentione, ex Marte tam
incitato, ex tantâ fulgurantis orationis im-
preſſione quantum ſanguinis funditur? quæ
vulnera, quæ plagæ, quæ cædes cõſequuntur?
Metũ ponite, Auditores: inanis faceſſat pauor.
Ludibria ſunt iſta omnia oculorum, atque
aurium. At Auditoribus ne leuiter quidem
vel ſumma cutis perſtringitur; tantum abeſt,
vt ſanguinis quicquam, vel vna gutta eli-
ciatur. Rident effuſè, rident vniuerſi, vel
mutuò in aurem garriunt, conferunt capita,
notant acuminum illam farraginem, totiq;
ſunt in Oratoris arguto, atq; experrecto in-
genio commendando. Hoc porrò commen-
titij plauſus genere capti Auditores, num
eiuſdem Oratoris propoſitæ ſententiæ (ſi quã
tamen propoſuit) aſſentiuntur? nihil minùs.
Luſiſſe illum putant, vt verè luſit, de perſua-
ſione inculcandâ nunquam aut cogitâſſe, aut
ſomniâſſe, ſibi, nec immeritò, perſuadent; ac
proinde nihil etiam tale ipſum a ſe præſtolari

iure optimo ratiocinantur. Nimirum hæc
I omnia iſtorum tam venuſtorum arma Orato-
rum commenticia ſunt, argumenta euanida,
M rationes purpuriſſo obductæ, vi, neruis,
robore deſtitutæ. Fulgura ſunt cuncta iſta,
at ex vitro edita, ac veluti quædam ex papy-
N ro, nitrato farta puluere inuolucra, quæ
O magno quidem bombo ac ſtrepitu crepant;
X ſed innoxio ictu diſſiliunt, nihilque præter
auras, diuerberant. Haud ſecus quoque ar-
P gumentorum, neſcio quæ, conceptacula
Q acuminibus inculcata, & preſſa, inflatis
buccis, labriſq; ſibilãtibus ab iſtis Declama-
toribus diſploduntur quidem, ac diſrum-
puntur; at crepitante ſonitu aures duntaxat
commouent, ſtuporeque defigunt. Quando
enim ij vnquam in ſuis Orationibus argu-
menta ex cauſſæ tracta viſceribus librãt? quã-
do negotij partes diſtribuunt? quando con-
trouerſiæ nexus perquirunt? quando cauſſis
effecta componunt? quando antecedentia
indagant? quando conſequentia perpendunt?
An quiſquam iſtorum e grege eſt, qui a gene-
re, a forma, a repugnantibus rationes arceſ-
ſat? quis in aduerſarium rectà impetum
facit? quis collato pede eum ferit? quis in
cauſſam ita incumbit, vt in eâ ſemper hæreat,
illam vrgeat, denſatis illam enthymematis
muniat, illã circumductu inductionis obual-
let, illã exemplorũ aggere claudat? Vbi vbi a-
R mentatæ epicherematũ haſtæ, vbi bifida illa,
S ac veluti ſquamatim commiſſa complexionũ
fulmina? vbi grauium figurarum arietes? vbi

amplificationum maiora veluti tormenta, & catapultæ? Fruſtra fruſtra horum aliquid, Auditores, a blandis iſtis deliciarum meliturgis expectatis:

54 Hanc porrò eneruis eloquentiæ formam dum mecum, non ſine, indignatione dicam, an commiſeratione? reputo, ſubit memoriam prudentiſſimum illud, ac ſapientiſſimum Charidemi Athenienſis conſilium, quod quia controuerſiam noſtram per quàm appoſitè exprimit, dirimitq; totum paulò accuratiùs explicandum eſt. * Darius Perſarū Rex, quum infinitam militum vim aduersùs magnum Alexandrum in immenſum quendam coegiſſet exercitum, eius vniuerſi aſpectu admodum lætus, purpuratis ſolitâ vanitate ſpē eius alentibus, atque inflantibus, ex Charidemo belli peritiſſimo Duce, ſatiſne tanto ad obterendum hoſtem exercitu ei videretur inſtructus, gloriolæ nempe, atq; aſſentationis captans illecebras, percontatur. Hîc Charidemus enimuerò liberam, veramq; vocem nō preſſit. Vereor, inquit, ne vera monenti obſtrepas. At niſi modò dixero, neque aliàs vnquam enuntiauero. Cernis has tanti apparatus copias? vides hanc tot gentium, ac totius Orientis ſuis excîtam ſedibus molem? Finitimis, hoc eſt, vnguentatis hominibus, ſui nimirū ſimillimis, terrorē poteſt incutere. Splendet purpurâ, auro, argento, gemmis, infinitâ opulentiâ. Nunc contra Macedonum aciem contemplare. Aſpera illa quidem

* *Ita narratur à Q. Curtio lib.* 3.

dem, ac torua eſt; dura, atque inculta; ſed
A clypeis, atq; haſtis immobiles cuneos, inuictaque robora virorum tegit. Vir viro, armis arma, ſcuta ſcutis conſerta ſunt. Ad nutum imperatoris expediti ac prompti; ſequi ſigna, ſeruare ordines ad vnguem callent omnes. Edicta ducis excipiunt alacriter, excurrere, obſiſtere, inuadere, circumducere, in cornu mutare pugnam, ex æquo milites, ac duces nôrunt. Non illos auri, argentiq; cupiditas ſolicitat, paupertate magna merent ſtipendia; fatigatis humus pro cubili eſt; cibus, quem occupant, ſatiat; tempora quietis ſomniique arctiora ſunt, quàm noctis: & tu inuictam illam bello, ac formidabilem gentem fundis putas, atque haſtis igne duratis repelli poſſe? Falleris. Pari robore opus eſt. In illâ terrâ, quæ hos genuit, auxilia quærenda ſunt. Argentum iſtud, atq; aurum, quo tuus exercitus non munitur, ſed hoſtium oculos inuitat ad prædam, ad conducendum militem mittito. Vbi hæc Charidemus Dario conſultiſſimè expoſuit, libertatem ſapientiſſimi, veriſſimique conſilij, per ſummam regis impotentiam indignatione, furoreque abrepti, ſui capitis luit ſupplicio. Verùm haud ita multò poſt ab Alexandro profligatus Darius, contemptæ veritatis, atque indigniſſimæ necis pœnas longè maximas Charidemo haud falſo vati perſoluit.

55 Video iam, Auditores, quid mihi periculi, ſi liberè ſenſa animi aperire velim, ab
A Aduerſarijs immineat. Fuſtuarium, opinor,

mihi

mihi, crucemque omninabuntur, vel linguâ certè molientur. At ego nihil iſtorum conatus moror, nihil technas, aut verba. animosè ac fortiter vocem commodabo veritati. Rogo vos, Iudices, ꝑ veſtrã humanitatẽ, pulchellorũ caſtra, atque aciem Oratorũ cogitatione luſtrate; argumentorum, quibus Orationem ſuam inſtruunt, agmina intuemini: Sanè verborum nitent purpurâ, radiant acuminum gemmis, ſententiarum argenteis rutilant laminis, omnia luxu intemperantis ingenij luxuriant. Quo eleganti, floridoque exercitu, minimè ſcilicet formidando, ſed formidoloſo, huiuſmodi Oratores ad quemcunq; hoſtẽ aduerſâ obnitentẽ opinione debellandũ, ſe ſat ſuperq; inſtructos exiſtimant. Sed tantus deliciarum apparatus Auditorum animos curioſo quidem ſpectaculo detinere, atque ad riſum excitare poteſt, ad perſuaſionem autem animi inducere omnino non poteſt. Contra verò Ciceronis, aliorumq; tanti Imperatoris ſigna, ductumque ſequentiũ Oratorum phalangem argumentis ſtipatam ſpectate. In his nihil leue, nihil imbecillum: rationum ſpicula verborum redundantiã nõ hebetantur, ſed neruosè vibrantur: ornamẽta non ferri aciem obtundunt, ſed acuunt: tota acies orationis non ad voluptatis lenociniũ, ſed ad grauitatis terrorem, quum opus eſt, componitur. Non diffluit illa metaphorarũ luxu, ſed ornata decenter multo robuſtior, clypeis, atque haſtis immobiles confirmationis cuneos, inuictaq; robora amplificationũ

armat

armat, ac munit. Enthymemata enthymematis, rationibus rationes, argumenta argumentis conſerta ſunt. Omnia ad perſuaſion librantur. Ciceroniani Oratores illi illi sũt qui Aduerſarium hinc petunt, hinc ludunt, hin refellunt, hinc captioſè excipientem illaqueant, hinc imprudentem irretiunt, hinc ſecurum improuiſò transfodiunt, hinc in trãſitu fugitantem obtruncant. Principis quæſtionis ſequi ſigna, ſeruare ſtructuræ ordinẽ, excurrere in hoſtis vituperationem, obſtrepenti repugnare, in orationis curſu mutare præliandi, arguendi, refellendique genus, ad vnguem callent omnes. Non illi argenteo, aureoque acuminum colore, hoc eſt, orationis luxu ſolicitantur!, ſed paupertate, hoc eſt, ornamentorum moderatione, ac rationi copiâ magna trophæa, illuſtresq; victoria conſequuntur. Cernite enim, cernite illa argumenta, illa illa arma, quæ non nitent pur-
B purâ, ſed ferri læuore; non minio, ſed Aduerſarij ſanguine colorantur; non croco, ſed hoſtis proſtrati rubore, pudoreque obducuntur. Hæc eſt grauis armaturæ impreſſio illa vehementiſſima; hic maiorum machinarum impetus ille fulmineus; hæc grandiora tormenta
C igneo perſuaſionis malleolo quodcunq; ob-
D durati animi conflatum ex chalybe pectorale
E diloricantia: hæc illa ſunt, quæ quamcunq
F ferream opinionis galeam diffibulant; hæc,
G quæ præfractæ mentis quemcunque thoracem
H deſquamant. Hæc altè in viſcera figunt tela, hæc aduerſa omnia machinaméta diſijciunt,

turres

turres euertunt, cuniculos eludunt, foſſas implent; per vulnera, per cædem, per ſanguinem ad arcem animi, victoriamque expugnatæ voluntatis graſſantur. At nihil prorſus iſtorum in ſcitulis, atque imbellibus Oratoribus reperias. Omnia argumentorum arma mollia, omnia fracta ſunt; omnia enthymematum tela metaphorarum obtuſa auro, ad ludicrum facta ſpectaculum, ad hilaritatem euocandam compoſita; non ad veritatis pugnam, non ad perſuaſionis vulnera inferenda torquentur. Vos enim ipſos, vos ego iam appello, blandiſſimi Declamatores, ſi quando vobis cum Tullianis Oratoribus ſit congrediendum, voſne inuictam illam, formidabilemq; roſtris, ac foro gentem ſaccharo tectis acuminum ſcrupis mellitisq; argutiarum globulis ſuſtineri, vel etiam reijci, vinciq; poſſe arbitramini? Erratis, inquam, non minùs opinione, quàm oratione. Pari robore opus eſt. In illâ terrâ, quæ illos genuit, auxilia quærenda ſunt; in ipsâ nempe eloquentiæ regione, ac patriâ, hoc eſt, in regiâ Ciceronis Rhetoricâ; quæ tot tantosq; viros peperit, conſimiles Orationum machinæ ſunt fabricandæ; illinc petendæ; illinc aduocandæ. Expecto iam, quia Aduerſarios meos liberè, ac verè improuidi conſilij admonui, vt impatientiâ, iraq; excandeſcentes, ſimile quid in me, quod in Charidemum Darius impotenter exercuit, tacitè coquant; mihiq; linguam, ſi non caput, aut ſi non linguam, ſaltem linguæ vocem,

L cem, manuiq; calamum præcîdi diſcupiam Sed dabunt mihi paulò poſt ingratiſſim vicis, perfidæq; obſtinationis poenas, dabunt magnas, dabunt atroces, dabunt, inexpiabiles, quum nempe depulſo tandem fuco, ſapientum virorum confoſſi ſtylis ſuffragijs prudentum damnati, populorum

M plauſu deſtituti, omnium, quibus vlla mic iudicij ſuperſit, probris cooperti, ex omnibus ſuggeſtis, ac Templis exterminabuntur.

Argumenta, licèt robuſtiſſimæ, ornamentorum tamen intemperantia delumbantur.

56 SEd nimis ſeuerè, vt video, cum delicatis hiſce Oratoribus ago, ad viuum nimis omnia reſeco; nimis librată trutinâ ſingula expendo. Ergo iam ſibi ignoſci vo-

A lunt? ignoſcamus. inducias humanitatis poſcunt? concedamus. Validas ab illis, atq; ad probandum accõmodatas argumentationes, quas tamen nunquam, vt hactenus diſputando patefeci, producunt, vſurpari gratis indulgeamus. Verùm vbi validas eas rationes tractare cœperint, atq; in ordinem diſtribuere, iudicij infantiam videre, videre ingenij imbecillitatem. Etſi firmamenta cauſſæ præ manibus habeant exploratiſſima, facetiarum ſalibus elimatæq, remiſſione dictionis omnino delumbant. Quæro enim, quid argumentorum vim vehementiùs infringit, quid

quid minutiùs elidit, quàm a propoſito argumento tam frequens aberratio, ac diſcrepantium rerum temerè adeo agglutinata diſſenſio? Propiùs has iam præſtigias inſpiciamus. Sit Diui Caroli Mediolanenſis Antiſtitis, & *Cardinalis* Eminentiſſimi ſumma in perſoluendis Deo precibus, etiam quum diſplosâ improuisò plumbeâ glande a ſicario illo Religioſæ diſciplinæ perduelli peteretur, ſecuro vultu, & tranquillâ mente, retenta conſtantia celebranda. Quæ autem de hoc exemplo deinceps tradidero, eadem quoq; de alijs omnium Orationum, Concionumue argumentis moneo accommodatè accipienda, atq; interpretanda. Facinus hoc ſanctiſſimi Præſulis egregium ac præſtantiſſimum in immenſum exaggerari poteſt. Argumenta a cauſſis, ab effectis, ab antecedentibus, a conſequentibus, ab adiunctis ſexcenta aduocari poſſunt. Vrge igitur alacriter cœpta, quâ libellâ cœpiſti tantæ conſtantiæ amplificandæ fundamenta ſubſternere, perge nouorum parietes argumentorum inædificare; Caue ab rectâ tentaq; amuſſi diſcedas. inſiſte, attolle, ad tectum vſque, ac faſtigium Orationem perducito. At iſti acuminum Architecti ſine lineâ, ſine perpendiculo, ſine normâ, ſine dioptrâ, perſuaſionis Orationem fabricando, ſemper delirant, in mille angulos argumentorum deflectunt parietes; in latebras, in diuerticula, in triuia, in compita, in alieniſſimas a Caroli in precibus conſtantiâ regiones amplificationis porrigunt ædificium.

B C D E E

cium. Errantes eorum greſſus, vagoſq́; diſcurſus, quæſo, animaduertite. Egregiam enim verò amplificandi rationem, quâ acuti iſti Oratores vtuntur, diligenter obſeruate. In hanc formam ijdem factum illud in maius extollunt.

57 *Truculenta illa Carnificis manus (quantum auſa nefas!) manus intulit Præſuli integerrimo, cuius manus omnium inopiæ ac ſolatio ſeruiebant. Efferatus latro plumbeam pilam, non pili faciendã, ſed ingentis pili inſtar in Caroli pectus excuſſit; at illico conſtantiæ grandiore pilo retuſa, mox perraſa ſcelus, in veſtis ſinum ſeſe abdens, ſuam tegere conata eſt temeritatemq́; dumq́; cutem tangere non audet, in cotem explorata abit fortitudinis.*

ô lepôres! ô gratias! quid deinde ſubijciũt?

I nunc, exclamant, & plaude. Tonuit ſtrepitu atrium, nec tamen hæſit Præſul attonitus, ſonitum non metuit, quia pro hominum ſalute apud Deum perorabat; ignem non timuit, quia ſpiritu igneſcebat; globum non expauit, quia precum ſagittas in cœlum iaculabatur.

O delicias eloquentiæ! o veneres! quid præterea comminiſcuntur?

Plumbum illud tunc ſanè plumbeum non fuit, quum tam ſollerter viri ſanctitatem agnouerit: naturæ non paruit vt miraculum pareret; & quia magnitudo prodigij cum flagitij immanitate pugnauit, a purpurâ criminis ruborem diſcit, quærit q́; eius in latebris pœnitentiam. Quæ monſtra vidi! globus ille impius vnà fuit, & pius. Impius, dum parricidio innocentis deſtinabatur.

*pius, dum nocens parricida detrectauit impe-
rium. Stetit conſcientiâ piaculi timidus, non
tam plumbi pondere, quàm officij crudeliſſimi
onere retardatus. ingemuit, non tam pul-
ueris bombo, quàm inauditi facinoris atrocitate.
Scilicet noluit glans illa eum vulnerare, qui to-
tum ſe Deo voluntarijs cruentabat vulneribus.
Sanguinem non elicuit, quia purpuratus Anti-
ſtes, vel purpurâ exutus, expreſſo flagris ſan-
guine ccidie purpurabat. o globum ipsâ inno-
centiâ feriendi preciosum! Dicerem te gemmã
atq; unionem, niſi vita gemmam Carolo eripere
voluiſſes; ſed quia fruſtratus es ictum, non fru-
ſtrabor te laude tuâ. Cedant tibi apilli omnes
preſioſi; cedant Indici, Perſicíq; maris topatij,
atq; amethyſti; cedant Cyri & Crœſi infinita
opes, atq; inexhauſta diuitia. Non ita micat ſma-
ragdus non adeo radiat pyropus non tam ſcintil-
lat adamas, non tam Oceani litora margaritis
conſtrata rutilant: quàm tua iſta gloria quòd
inſonti peperceris, vel ipſo ex fumo perennis fulgu-
rat & immortalis.*

Eſtne aliquid amplius? pergite pergite le-
pidiſſima capita dolium iſtud acuminum tã-
quam Belidum ſine fine modoque exonera- A.
re. Reſtant, inquiunt, iucundiora, atque
grauiora. Quænam? Aures, quæſo, hîc ar-
rigamus. Tum illi.

*Myſterium agnoſcite, & obſtupeſcite. Hu-
mani vulnus odij in diuini plagis amoris ſcilicet
non potuit hoſpitari. Quid enim erat pectus Ca-
roli, niſi diuini fons amoris, ita exundans, vt pau-
peres non tantùm aureâ caritate largiendo dita-
ret, ſed etiam plumbeam glandem in auream,*

„ *dum ferienti, tanto amore parcit, commutaret*
„ *Non potuiſti tamen efficere, o Carole; quin tu*
„ *caritatis purpura in alieni ſceleris argumentum*
„ *ac probrum erubeſcendum verteretur.*

Quid amœnius, quid venuſtius? & mondi errabundi furor ingenij per inexplicabile
B anfractus, auiosq; ſaltus longè lateq; ſati peregrinatus eſt? Accipite reliquas ſtyli delirantis aberrationes. Subdunt illi continuò.

„ *Nubem quidem nitratus puluis, vt turpitu-*
„ *dinem inuolueret ſceleris, excitauit; ſed emican-*
„ *tes ſcintillæ micantem ſtellam in noctis veſtibulo,*
„ *non Cœli, ſed conſtantiæ tuæ, Præſulum Sol, pa-*
„ *tefecerunt; eluctantesq; flammæ reluctantem e*
„ *tubâ precationis fortitudinem illuſtrârunt. Ve-*
„ *rùm enimuerò immanis non minùs latronis ſa-*
„ *uitiam idem ille fulgor bono in lumine collocauit.*
C *Ex tuâ enim, ex tuâ non tam pyxide, quàm fa-*
D *rinâ, Farina ſicariorum omnium flagitioſiſſime,*
„ *puluis ille ſulphureus effluxit. Tu illius vitam,*
„ *per quam Ciuitatis pars magna viuebat, pilâ ex-*
„ *pilare, vt caſtigata diſciplinam vitæ euitares,*
„ *conatus es. Oderas diſciplinam, quia de diſcipulo*
E *ſicarius, de Monacho monomachus euaſiſti. Si-*
„ *cam, & fiſtulam tam ſollerter tractabas, quia*
„ *pietatem ex animo penitùs iam dudum exploſe-*
„ *ras: exploſiſti pietatem, quia pietatis propagato-*
„ *rem viuum pati non poteras.*

58 Hîc Auditores, quis cachinnos teneat, aut temperet? Ridete ſanè omnes effusè, nihil veto; manus complodite, exſibilate; aptè, ac iure optimo, nihil impedio. o plumbeos Oratores! o pilâ non plumbeâ, ſed lu-

dicrâ, laneaq́; leuiores? Iã veſtrũ, quæſo, iudiciũ, Patres ſapiētiſſimi, interponite. Hæccine eſt amplificandi forma, hoc exaggerandi artificium? o amplificationis norma, vis, ac nomen hiſce corruptoribus eloquentiæ nunquam perſpecta! quis enim, quis in hac non amplificandi, ſed potiùs temerè coaceruandi ratione diſtortam argumentorum ſeriem, ac perpetuam a propoſito declinationem non animaduertat? Inanis crepitantium verborum ſonus ab Antiſtitis ſacri augendâ conſtantiâ tam alienus, facilè ſanè vel exoneratæ glandis ſtrepitum ſuperauit; adeoq́; peruerſa A amplificandi, laudandiq́; ratio vel Caroli ipſius aures, cuius pellem non potuit pila plumbea traijcere, tantorum ſtylis acuminũ vulneraſſet; certè quidem eiuſdem laudes intolerabili carnificinâ concidiſſet, inuictamq́; illam tot ærumnis patientiam incredibili moleſtiâ ita fatigâſſet, vt, ſi, quando plumbeâ pulſatus eſt glande, immotus ſtetit, ac B tacuit; tam præpoſteræ amplificationis globo percuſſus; niſi ſui præconia egregiè ſemper contempſiſſet, vtiq́; fuerit exclamaturus, caput ſibi importuniſſimè obtundi, ac diffindi.

59 Quid porrò tanta vis acuminum, atq́; farrago, licèt neſcio quam ſenſiculorũ offam, A maſſulamq́; conflet, ad rem obſecro, quid B attinet? Quid Caroli conſtantiæ extollendæ conducit? Quorſum hæc ludicra, & futilia nugamenta tam ſpiſsè inſeruntur? Non eo equidem inficias, locum picturatis id genus

 em-

emblematis in Oratione nonnunquam eſſe;
ſint planè iſtorum aliqua, quæ antea aceruatim ſtipaui, præclara, ſint arguta. Sed ea omnia quî tādem cum inexpugnabili diuini Præſulis in precibus animo celebrādo cohærēt? Illa illa omnia tā diſſona, tā abiuncta, tā a propoſitâ laudationis metâ peregrinantia quomodo cum eâdem conſtantiâ cōſentiunt? Hoc enim eſt, quod in præſentiâ dumtaxat carpo, hoc, quod exagito, ac vitupero. Quid pili, & pilæ; quid cutis, & cotis affinis ſibilus cum Caroli fortitudine habet negotij? quorſum, vt hanc exornes, a pilâ ad purpuram fit gradus; a purpurâ ad gemitum pilæ recurritur? cur a glande tranſitur ad gemmas, a gemmis ad nubē pulueris deflectitur; a puluere in farinam tam pueriliter deliratur? Caroli conſtantiam receperas te poſiturum ob oculos. Argumentum præſto erat validiſſimum, quòd a ſacrâ precatione ne exoneratis
C quidem e tubulo globis auocari potuerit.
Hoc igitur preme, hoc vrge, hoc infigito altiùs, hoc intorqueto robuſtiùs. Sed notate iſtorum artificium; ſcilicet artificium; ſtyli potiùs, mentiſq; vertiginem. Vix factum illud Caroli diuinas preces, fruſtra manua-
D rij tormenti impetu obſtrepente, pacatè, incenſeq; perorantis leuiter delibârunt, quum ſubitò in alia omnia abeunt, excidunt, abripiuntur, per acuminum ſaltus, per argutiarum flexus, per anguſtiſſimos ſenſiculorū calles incertis ſemper, erraticiſq; veſtigijs digrediuntur. Statim initio dicendi manus

& truculentâ carnificis manu Præſuli, cuius manus omnium inopiæ ſeruiebat, illatas commemorant. Quid hic luſus manuum ad conſtantiæ incrementum pertinet? Quòd manus Caroli omnium ſeruiret inopiæ, vt miſericordiæ opus egregium ſit, quî eiuſdem ſeruit conſtantiæ amplificandæ? Pergunt deinde, ſubduntque, plumbeam pilam non pili faciendam, ſed pili inſtar in Caroli pectus excuſſam, mox ſcelus pertæſam, in veſtis ſinum ſe ſe, vt ſuam tegeret temeritatem, abdidiſſe. Ego verò totum hunc ambitum, pilæq; luſum ad Caroli decorandam conſtantiam pili omnino faciendum contendo. Quid enim leuius, aut ſcurrilius dici poterat? Videtis prętereа, vt plumbum minimè plumbeum teſtentur; vt plumbi ſollertiam, dum naturæ non paruit, vt miraculum pareret; dum a purpurâ ruborem criminis didicit, eiuſq. in latebris quæſiuit pœnitentiam, ſuſpiciant? Sed quorſum hæc ad Caroli admirabilem conſtantiam? Videtis, vt globum illum impium, ſimulq; pium, & conſcientiâ piaculi timidum; nec tam plumbi pondere, quàm officij crudeliſſimi onere retardatum; nec tam pulueris bombo, quàm inauditi facinoris atrocitate ingemiſcentem mentiantur? At hæc omnia quorſum ad Caroli conſtantiam? Videtis, vt ſanguinem ipſo ab Antiſtite eâ glande verberato, quòd vel purpurâ exutus, expreſſo flagris ſanguine cotidie purpuraret, emiſſum comminiſcantur? Videtis, vt pilam ipsâ innocentiâ feriendi

pretioſam in gemmam atq; vnionem, niſi vitæ gemmam Carolo cripere voluiſſet, migrâſſe fabulentur? At hæc omnia quorſum ad Caroli conſtantiam? Sed piget me reliquam ingenij non amplificantis, ſed perpetuò fluctuantis agitationem oratione etiam meâ ampliùs, atq; adhuc magis exagitare. Satis ex his, quæ paulò ante produxi, frequentes hoſce, vagosq; diſcurſus animaduertere potuiſtis. Ergo velint, nolint, fateantur, neceſſe eſt, etiamſi argumeta tractent firmiſſima, acuminum hac tantâ effuſione, tamq; multiplici a re propoſitâ euagatione eorum vim roburq; frangi, atq. eneruari. Hoc enim alterum telum eſt, Auditores, quod diu iam, ſi meminiſtis, in Aduerſarios cœpi intorquere. Satiſne igitur iam eloquentiæ Tullianæ deſertores, quo in errore verſemini, tandem aliquando intelligitis? Satiſne inſtabilem mentis veſtræ æſtum perſpicitis? Sed agite: vt hunc ipsū æſtum quoq; velut in oppoſito ſpeculo clariùs adhuc intueamini, nunc, quibus ex fontibus ea Diui Caroli conſtantia non minùs verè, quàm Oratoriè, augeri poſſit, ſeriò exploremus.

Eadem D. Caroli in precibus retenta conſtantia, improuiſo ictui immobilis, quo pacto ad Tullianā normā amplificetur, indicatis fontibus, oſtenditur.

60 Amplificationē vnguentatorū Oratorum modò, ampliſſimi Patres, audiſtis.

audiſtis. Nunc contra, quid ratio amplificandi Tulliana, hoc eſt, regia, atq; palmaris poſſit, attendite. Caroli erat amplificanda conſtantia; quidni igitur ſicarij illius, qui tantum auſus eſt facinus, immanitatem, trucem aſpectum, atratum pullumq; habitũ, odium, ac rabiem delineârunt? Hæc ſcilicet omnia ad incutiendum terrorem aptè quadrant, ac proinde ad conſtantiæ incrementa cumulanda ſunt peropportuna. Cur horrificus ille, atq; improuiſus ſtrepitus, quo vel fixi nutant parietes, marmoreq; etiam ſtratũ A ſolum labat, ac tremit, non eſt tonante pari- B ter oratione renouatus? Cur cæteræ turbæ ingens pauor & conſternatio prætermiſſa? cur omnium tumultus, aliorum fugitantium, aliorum eiulantium, aliorum indignantium, horum vindictam meditantium, illorum vulnera, cædemq; inclamantium ſilentio inuolutus? Cur Caroli ſolius in communi omnium trepidatione vultus imperterritus, quem vnum nefarius ille latro petebat; cui ſoli periculũ imminebat; qui vnus ictũ impetũq; perſenſerat; qui ſe vnũ ad necẽ deſtinari; ſe ſolum quæri videbat; qui vnus repetitâ glande ſe trucidãdum meritò poterat formidare; cur, inquam, in tam ingenti reliquorũ pauore immobilis Caroli virtus, tota æterno hærens Numini, non ſolùm minimè perturbata; ſed cæterorum etiam ſubitam perturbationem hilari fronte, tum verbis fortiſſimis componens, atq; ad diuinã precationem ſedatè peragendam per quàm animosè adhor-

tans, diſſimulata eſt? Hæc quanti erant ponderis in trutinâ amplificationis ad tanti Cœlitis conſtantiam luculenter teſtandam? Pergamus. Antecedentia perſcrutemur. *Nôrat, nôrat ſanctiſſimus ille Præſul quot improborum inuidiâ, atque odio quorum carpebat, & coercebat ſcelera, laboraret. Nôrat quot Dy-*
C *naſtarum offenſionibus pro Dei gloria ſeſe generoſiſſimè obieciſſet. Nôrat quot perduellium inſidijs ſua manſuetudo, lenitas, atque innocentia eſſet obnoxia: nôrat quot flagitioſorũ iniurijs, iræ, inſaniæ, ac furori ſua vita eſſet opportuna. Et tamen hæc tot pauoris argumẽta, quæ ad vnguem habebat perſpecta, mentique facilè obuerſabantur, nihil illi trepidationis intulerunt; non expalluit, nõ loco ſe mouit, cæteros ſe commouentes ſtitit ac tenuit. O conſtantiæ inauditam magnitudinem! o inſolitæ fortitudinis admirandam præſtantiam!* Conſequentia ponderemus. *An non verſabat animo Carolus, non dico, quid ſuæ familiæ generique; quid patrijs fortunis; quid huius lucis vſuræ tam caræ periculi & calamitatum immineret (hæc enim omnia iam diu alio calcârat animo, ac penitùs abdicârat) ſed quid Mediolanenſi Diœceſi, quã vitâ ipſâ habebat cariorẽ quid Mediolanẽſi? imò quid vniuerſæ Reip. Chriſtianæ, cuius gratiâ tamdiu laborauerat, tam multa cotidie moliebatur, tam varia ſemper ad illam Cœlo inſerendã excogitabat; an non inquam, attentè prouidebat, quid toti Orbi ſtragis, ſi ipſe tam importunis temporibus eſſet ſublatus; quid exitij; quid vaſtitatis eſſet inferendum? Hæc omnia erant Ca-*
D *roli in oculis, ſed longè firmiore animi inductione ſtetit impauidus.* Si contraria conferamus;

quid cæteri non dico, ij ſimæ ſortis homines ſed viri alioqui etiam fortiſſimi, Duces, Principes, Reges, Imperatores, Antiſtites in ſubitis huiuſmodi caſibus facere conſueuerint quem noſtrum fugit? quæ illico conſternatio? quàm ſtupentis horror ſilentij? quis artuum omnium tremor? timor, trepidatio, fuga omnia occupat. Tu ſolus, Carole inuictiſſime, tu ſolus conſtantiæ vexillum in deſperato ſalutis periculo, reliquis trepidantibus, erexiſti. tu magnanimitatis exemplo omnibus præluxiſti. Quid ſi deinde ad hanc ipſam conſtantiam augendam iam a maioribus, modò a paribus, nunc a minoribus enthymemata depromamus? Quid ſi exempla fortitudinis omnis generis, ab Alexandro Macedone, a L. Scipione, a C. Cæſare, a profanis, ſacratisq; viris arceſſantur? Quid ſi cũ eximiâ Caroli conſtantiâ comparata deprimantur, vel ſexcentis inferiora partibus oſtendantur? Quantum quantum acceſſionis, Deus immortalis, Caroli conſtantiæ adiungetur? nonne ad columnas, vt ita loquar, E Herculeas conſtantiæ, vt vltra progredi non poſſe videatur, penetrâſſe cenſebitur? Age verò, ſi Carolum iam nõ ampliùs cum alijs, ſed ſecum ipſum committamus; ſi hoc conſtantiæ genus cum reliquis tum alijs eiuſdem virtutibus, tum alijs conſtantiæ argumentis conferamus; quanto adhuc magis magisque hæc ipſa conſtantia amplificabitur? Experiamur. *Verùm Carolus reliquos omnes in hoc conſtantiæ prælio a tergo reiecerit. At alius ſeſe illi Princeps Duxq; fortiſſimus, virtute nõ minùs,*

 quàm

quàm ipſe, praſtans, ac ſtrenuus, expugnatuq; difficilis, cum quo dimicaret, oppoſuit. Quis iſte alius ſit, ſciſcitamini! Idemmet leſtiſſimus Pontifex. Carolus Carolus ipſe cum Carolo praliabatur acerrimè, ſecum collato pede in acie virtutum decertabat, natura inſitas appetitiones iniecto moderationis fræno coercebat, animi cupiditates conſtantia vinctas catenis rationis ſubigebat imperio. Cæteri Imperatores magnâ ex parte, debellato Orbe terrarum, ſibimet demum ignauè ſuccubuerunt: quiq; tot ſpatia regionum tam lata, atque longinqua victores calcârunt, vnum hominem adeo ſibi proximum atq; intimũ in poteſtatem mentis redigere nequiuerunt; non vitiorum in ſe monſtra perdomare, non rebelles animi motus comprimere, nõ ebullientium æſtuaria cupiditatum tranquillare potuerunt; aliorũ glorioſi victores, ſui probroſa mancipia, tot compedibus ligata, quot vitijs, iugum duriſſima ſeruitutis ſuccollante ambitione, atq; impotentiâ, tulerunt. At Carolus ille fuit ſui expugnator fortiſſimus: ille ſibi nobilis materia bellandi, & ſeges latiſſima victoriarum; ille ſui, neſcias, felicior ne prædator, an præda. O nouum conſtantia genus! o fortitudinis palaſtram, & coronam ampliſſimam!

61 Verùm quia Carolus vitia, quæ profligaret in ſe nõ reperiebat, quid ingenio dignum ſuo excogitauit? Ipſis bellum virtutibus belliſſimè intulit, virtutes aggreſſus eſt, virtutes ſubegit. Quid enim? Gradus ille in quauis virtute plurimos cernebat, dumq; cuiuſlibet virtutis gradum minorem virili premens veſtigio, ad

ſuperio-

ſuperiorem, altioremq́; cotidie mirâ conſtantiâ ſeſe efferebat, quid niſi virtutem virtute, idem ſemper victus, & victor expugnabat, atq; vincebat? Virtutem ſanè virtute vincebat, atq; ita vincendo, virtutis perennes ſtrenas, meritaq́; ſtipendia, hoc eſt, virtutis maiora incrementa accipiebat, victorias victorijs fœnerabat, trophæa trophæis oppignerabat, virtutes victas virtutibus in ſplendidiſſimum ſui triumphum ad immortalẽ conſtantiæ laudem circumferebat. A

62 Neq; verò conſtantiam cum vnâ dumtaxat virtute certando Carolus locupletauit; ſed agminatim integrã etiam virtutũ aciem ſecũ ipſe cogebat, centuriabat, in exercitationis arenam continenter educebat. Hinc in illo candicantia lilia caſtitatis, illinc coccineas roſas caritatis; hinc cæruleas temperantiæ violas; illinc pulla pœnitentiæ vaccînia, inde vernantes patientiæ hiacynthos turmatim incedentes vidiſſes. Sed enim illuſtre planè conſtantiæ genus in compeſcendis, moderandisq́; voluntatis appetitionibus, in cumulandis animi dotibus. atq; virtutibus teſtatus ſit Carolus. at nunquam certè in reliquâ vitâ, nunquam omnino memorabile adeo inaudita fortitudinis prodigium edidit, nunquam tam nouo conſtantiæ miraculo cætera omnia conſtantiæ monumenta, aliarumq́; ornamenta virtutum imminuit, atq; obſcurauit; quàm quum ſupplex ad Dei aram, atque in preces effuſus, igneo impetitus globo, impauidus nihilominùs precationem peregit. Quod ne fruſtra viri ſanctiſſimi gratia indulgere videar; ipſimet iam Carolo Carolus ex aduerſo, ſi placet, ſtatuatur. Candicârunt in eo lilia caſtitatis; quum perditas mulierculas ad teme- C A B C

temerandam pudicitiam immiſſas indignabundus e cubiculo exturbauit. At longè maior conſtantia ſtrenuitas eſt, mortis præſentiſſima telum contempſiſſe, quàm turpes Veneris illecebras repudiâſſe. Purpurârunt in eo roſæ caritatis, quum vendito Vritano principatu, quadraginta nummûm aureorum millia, integrum ſcilicet illius pretium, vno die in pauperes erogauit. Sed liberalitas longè regalior eſt, vitam conſtanter profundere, quàm aurum. Alebat ille pœnitentiæ vaccinia, quum horrenti cilicio corpuſculum fo-
D dicabat, quum echinatis globulis ferreisq́ flagris tergus dilacerabat. At quanto generoſior conſtantia eſt vno ictu præcordia ipſa transfodienda præbere, quàm extimam cutem onerare verberibus? Vernabant in eo patientiæ hiacynthi, quum graſſante lue ſexcentas egenorum exorbebat moleſtias, quum tot vitæ ſpernebat diſcrimina quũ ſuis ipſe manibus iam tabe confectos rite ſacroſanctis muniebat Myſterijs. At quanto omni peſte excuſſus tubo globus nocentior eſt? quanto difficilior conſtantiæ prouincia ſuſtinere impetum globi, quàm periculum peſtis? Floruerunt in eo violæ temperantiæ, quum tam frequentibus ſeſe macerabat ieiunijs, quum palatum tam ſeuerè fraudabat, quum delicijs ſibi omnibus tam inclementer interdicebat. At quanto inſignior conſtantiæ prærogatiua eſt, vno temporis puncto non ſolùm delicijs, verùm etiam ipſimet vitæ nuntiũ remiſiſſe poſtremum? Ita tamen Carolus cum his, cæteriſq́ virtutibus ſingulari conſtantiâ pugnabat, Auditores, vt ſingulas aliarum appoſitione mutuò acueret, ac duplicaret. Vnaquæq́ in illo de principatu certabat, ſed omnes ad ſem-

piter-

piternam conſtantiæ palmam ei de ſeipſo porrigendam admirabiliter conſentiebant. Verùm ſi unquam vnam, aut alteram virtutem exercuit; aut ſi plures quidem excoluit aliquando, non tamen eas ſimul omnes, eodemq; tempore, ſed modò vnam, modò aliam, quaſi ſeparatim frequentauit: at in hoc perferendo plumbeæ glandis verbera vniuerſum penè agmen virtutum vnà, eodemq; tempore cum incredibili conſtantiâ prodigaliter coegit. An enim precandi ſtudium requiritis? tunc ſuauiſſima cum Deo miſcebat colloquia. Caritatem erga Deum deſideratis? tunc diuini amoris incendijs peruſebatur. Patientiam expetitis? grauiſſimè percuſſus, promptior fuit ad veniam, quàm ad querelam. Liberalitas in proximos admirationi eſt? Tunc ab æterno Numine immenſos diuinæ miſericordiæ theſauros ſuo gregi bonus Paſtor implorabat. In tantis igitur virtutum nobiliſſimis prælijs coronis illa conſtantia ſuprema fuit, Carolum triumphaſſe de Carolo, & vltima fortitudinis Colophon cotidianas ſui victorias clarioribus ſemper repullulâſſe victorijs. E F

63 Ad hæc deinde, ſi Caroli corpus ieiunijs fractum, vigilijs debilitatum, dirâ verberum carnificinâ laniatum contemplemur, inde omnem conſtantiæ laudem, quanto cum incremento vni ſoliq; eius animo tribuemus? *An vltra aliquid cõſtantiæ reſtat? eſt adhuc aliquid aliud admirabilius. Neq; enim hæc erat temeraria quædam audacia, non inflata quadam ſuãrum virium fiducia: ſed totam totam illam animi imperterriti firmitatem à Dei optimi maximi præſentiſſimo patrocinio, ſine quo nulla*

poteſt

poteſt eſſe vera forma conſtantia. & quo ſola ſtabile, intrepidumq́; animi robur nici poteſt, deriuabat. Addite fortiſſimi Herois tantam fuiſſe cum Deo coniunctionem, tantum in precibus præſto habuiſſe præſidium, vt ijs quaſi loricatus quæcunq; ſpicula facilè poſſet repellere. Adijcite vos inſuper populi admirationes, plauſus, ac famam. Adijcite principum virorum innumeras, lætiſſimasq́; gratulationes. Adijcite poſtremò Caroli corpus, fruſtrato diuinitus ictu, intactum, illaſum, ſeruatumq́; ad incomparabilem ſcilicet integerrimi Cardinalis conſtantiam teſtandam, cæleſti miraculo fuiſſe nobilitatum. Quid enim portentoſius, quàm candidum, molleq́; linteum quouis ferro, & chalybe durius, quauis loricâ & thorace munitius obſtitiſſe?

A

64 Hac ego, conſimiliq; amplificandi ratione, ampliſſimi Patres, acutis iſtis Oratoribus, quo pacto Diui Caroli conſtantia verè, ac ſplendidè augeri dicendo poſſet, intento velut digito, commoſtrandum putarē. Quippe hæc, quæ vel leuiter, ceu in tranſitu libaui dumtaxat, ſolida illa ſunt argumenta, hæc grauia illa enthymemata, contortæq; ratiocinationes; nō conciſæ, non interruptę, non eneruatæ; ſed perpetuo ductu colligatæ, continentiq; tramâ contextæ, omnes cum Caroli fortitudine, atq; conſtantiâ ſociatæ, quæ eandē mirificè extollunt, Auditoribusq; facili negotio perſuadent.

65 Libuit, viri ſapientiſſimi, vtramq; amplificationis ſpeciem, primam ad genium Aduerſariorum, alteram ad Tullianas leges exa-

exactam, ſtylo vobis repræſentare, quò vos ipſi tanquam inſpectores illas e regione ſibi veluti aduerſas ſtatuatis, mutuoq; diligenter conferatis. Iam ſi a ſubtilibus iſtis Declamatoribus, quid de ſuâ hac amplificationis normâ ſentiant, quæramus; non ambigo, quin illam in ærario deliciarum ceu multæ operæ oleiq; & ſuo genio mirè arridentem ſint habituri, & verò etiam ſuauiter oſculaturi: neque dubito, ſi ego hanc mentem induere vellem, vt hoc ſtyli genere mihi vtendum, iſtiſue acuminum papaueribus infarciendas deinceps Orationes cenſerem, quin facilè me ſecum in gratiam redire paterentur. Quid dico, redire? fortè mihi etiam nonnullum in hac ſenſiculorum venditatione plauſum indulgerent. Certè quidem ex hac artis, ſtyli, ſtructuræq; deprauatione impenſo a me ſtudio compoſitâ fructum hunc nō exiguum mihi videor percepiſſe, Auditores, quòd mihi illi exprobrare porrò iure non poterunt, iſtam acuminum intemperantiam eò ſcilicet a me tam acerbè exagitari, quòd iſtorum nihil comminiſci queam, multo minùs verò cuſpidare nôrim, aut leuigare. Agnoſcent enim, opinor, me, ſi velim nugas huiuſmodi cudere, mihiq; etiam adlubeſcat hoc ineptiſſimo dicendi genere ineptire, non fore penitùs ineptum.

66 Verùm quid Aduerſarij mei, vt ſe ſe aduersùs veſtrum iudicium muniant, fabulentur, ſùs deq; habeo, Auditores. At vos viri prudentiſſimi, ſi vtriuſq; amplificationis

vim,

vim, atq; præſtantiam quàm manifeſtò nôſſe percupitis, fingite, quæſo, aliquem noſtræ Religioni nuper aggregatum, qui nihil vnquam fando legendoue de Carolo antea acceperit, hodie primùm huic a me de eiuſdẽ Herois eo in diſcrimine conſtantiâ ad iſtorũ ingenium elaboratæ exornationi aures dediſſe. Quam is chriſtiani nominis candi-
A datus, eo de viro hactenus ſibi ſemper ignoto opinionem animo informabit? quid de illius virtute pronuntiabit? quâ admiratione defixus hærebit? quâ ſe in eum propenſione rapi experietur? quos imitationis igniculos ad illius præclarè geſta exprimenda in ſe excitari ſentiet? o pruinam! o niuem! o glaciẽ! Mentiar, niſi eiuſmodi Oratio tam diſtorta, tamq; frigida, incenſa iam pietatis ſtudia vel in ipſis Caroli clientibus, eiuſdem nomini virtutiq; iam pridem addictis, ne dum in extraneis, ſi non vniuerſa reſtingueret, maximam ſanè partem remitteret.

67 Iam verò contra fingite item alium, ad cuius aures nullus pariter de Carolo rumor, nulla omnino vox aliquando permeârit, hanc a me de eiuſdem Præſulis conſtantiâ ad M. Tullij exemplar adumbratam amplificationem tantùm perlegiſſe. Quæro, an is non aliquâ ſaltem opinione de ſummâ viri Sanctiſſimi virtute animum ſuum imbueret? an non illam admiraretur? an non deamaret? an non Carolum, ſi antea nihil ſupra reliquorum hominum conditionem æſtimauit, iam tanquam in Beatorum ordinem, ac
ſedes

ſedes relatum demiſsè veneraretur ? Vt id Aduerſarij fruſtra negent: voſipſos Auditores, qui tam multa de Carolo toties legiſtis, toties commemorâſtis, toties ab alijs prædicari audiuiſtis ; vos, inquam, conſulite, an non allatâ amplificatione vos affici, atq; in facti nobiliſſimi; vobis licet ante perſpectiſſimi admirationem, admotis rationum muſculis, atq; arietibus, trahi ſubſenſeritis ? At hæc affectio animi, atq; admiratio, non de ingenio, aut ceruſſatâ dictione Oratoris, ſed de laudati viri prærogatiuis, illa illa demum vera eſt perſuaſio, quã in Panegyrico quoq; præcipuè attendendam iam antea aſſeueraui, atq; hoc compoſitæ expoſitionis exemplo, aut conſimili eliciendã modò contendi. Sed vt vt eſt : profectò; ſi huiuſmodi exaggerationẽ cũ eâ Aduerſariorũ ſedulò conferamus; nemo non ſtatim agnoſcet, candideque fatebitur, alteram ad Ciceronis lucernam elucubratã, hoc eſt, noſtram, Caroli extollendæ, perſuadendæq; conſtantiæ aptè congruere ; alterã verò, hoc eſt, inaniũ Declamatorum, non ad Caroli in precibus efferendam conſtantiam; ſed ad Oratoris in perpetuâ aberratione pertinaciam, atq; ad puerilem acuminum a propoſito delirantium inconſtantiam locupletiſſimè confirmandam eſſe tornâtam ; neminiq; non erit exploratiſſimum, Tullianam hanc dicendi formam nugaci illi ac ioculari ſexcentis partibus antecellere. Quod ſi hæc manca, leuiterq; delineata amplificatio præ commentitiâ illâ Aduerſariorum,

rum,

mum, ſenſim Lectorum, Auditorumue animos in magnam de Caroli conſtantiâ exiſtimationem adducit; quàm firmum certumq; ab ijſdem aſſenſum, quum ſuis coloribus perfectè erit depicta, extorquebit? ſi per capita dumtaxat libata, in pectus ita deſcendit; ſi amplè, ſi magnificè, ſi ſplendidè ſuos in ambitus explicaretur, quò non penetraret?
Si expreſſus ille in tabellâ Gigantis digitus,
A quem plures Satyri decempedâ metiebantur, tam magnus viſus eſt: quanta fuiſſet totius manus, & corporis moles, quanta proceritas?
B Si auroræ prima crepundia vel dubiâ in luce adeo fulſerunt; quid, quum Sol ipſe radios vndiq; ſparſerit in meridie? Hæc affecta, & non confecta Oratio ſi tam pellaci perſuaſione Auditores deuincit; quas in eos compedes, quæ vincula, quas catenas, omnibus abſoluta numeris, non inijciet?

68 Satis igitur cuiuis iam teſtatum eſt, Auditores, amplificationem rationum ponderibus grauem, telisq; argumentorum vnam in metam obuerſis refertam, nuſquam verborum offucijs inanem, nec temerè ingeſtorū
A acuminum intempeſtiuâ inſitione luxuriantem, ineluctabili impetu, atq; impreſſione Auditorem proſternere: contra verò ſenſi-
B culorum intemperantiâ mollem, ac fluxam, etſi fortè enthymematis vegetam, at erraticâ argutiarum grandine fractam, omniū aures
C irrito verbere præteruolare. Quare licèt Aduerſarij argumenta proferant aliquando robuſtiſſima; dum tamen hanc vnam in am-

amplificando itineris inſiſtunt orbitam, vt à D
re propoſitâ diſſeminandis fortuitò ſalibus ac
ſententiolis ferè continenter peregrinentur;
eorundem vim, quanquam acerrimam, pe-
nitùs elidunt; rationumq; libramenta, etſi E
ſolidiſſima, funditus eleuant, eludunt, euer-
tunt.

Alio ſchemate, argumentorum vim errabunda argutiarum copia eneruari, docetur.

69 QVam ſanè coaceruandorum acu-
minum conſuetudinem, argutia-
rumq; immoderatione ſiderandorum impru- A
dentiſſimum conſilii appoſito adhuc, neque,
vt reor, iniucundo ludo pulchrè poſſumus
irridere. Ludicræ pilæ excutiendæ duo ego
genera in præſens animaduerto; quorum
alterum certam quandam in longâ, extre-
maq; planitie metam iubet defigere, ad quã
qui prior volubilem impellit globum, ludi
palmâ potitur. Deinde, ſinguli in oppoſitâ
orâ, ad ludi, vt ita dicam, carceres ligneam B
pilam præferrato malleo, quem oblongo in-
fixum haſtili vtriſq; manibus tenent, altè C
ſublato, ac demiſſo, ad calcem rectâ colli- D
neant: mox totis lacertis, viribusq; incuſſo
verbere, in aerem tollunt; tum deſidentem
præproperè geminatis ictibus ad conſtitutos
terminos trudunt. Quod ſi primo, alteroue
pilæ procurſu metam non tetigerunt, eâdem
lege repetunt verbera, ad amuſſim ſemper
minis pergen-

pergentes, ac feſtinantes eandem ad metam. Nunquam regrediuntur, nuſquam aberrant a tramite, nec ante progredi deſinunt, quàm illam ipſam globo percuſſerint. Huius generis Luſores pilæ ab illis Oratoribus verè anteſignanis, verè palmaribus, ex ipſiſſimâ Suadæ proſapiâ natis, Cicerone, inquam, & Ciceronis alumnis ad viuum exprimuntur, qui ſoli, quid ſit amplificare; ſoli, quid ſit, Orationem contexere; ſoli, quid ſit, ad per-
E ſuaſionem expalpandam omnia cauſſæ firmamenta dirigere, didicerunt. Hi nimirũ, vbi ſibi in Oratione delatæ ad ſe controuerſiæ perſuaſionem, vel Cœlitis alicuius præconia ſtylo exornanda, tanquam metam defixerunt; ita omnes enthymematum globos eam ad perſuaſionis, laudumq; metam feriendam rectâ librant, vt in dicendi curſu nunquam ab illâ recedant, nuſquam aliò temerè diuertant; iterato ſemper rationum impulſu, argumentorum pilis ariete ſemper validiore incitatis in Aduerſarium proruant, nunquam interſiſtant, nunquam conquieſcant; perpetuò vrgeant, tundant, ad finem ſemper procurrant, donec perſuaſionis victoriâ tandem aliquando potiantur.

70 Alterum eſt ludi genus, quod in quadratâ, aut paulò longiore, amplâ etiam, præaltaq; aulâ, & multis patulâ feneſtris iucundiſſimè exercetur. Hinc, atq; illinc triplici in latere oblonga, humiliaq; tabulata,
A ſupraq; decliuis tecti in morem inclinatis aſſeribus ad ſuſtinendam, remorandamq; pilam

pilam faſtigiata excitantur. Eâ in aulâ pere- B
xigua pila tomento farta, reticuloq; pulſa, C
ac repulſa, vltro citroq; commeat; perq; va-
rias vices nunc ſolo afflicta reſultat; modò
inflexa voluitur in latus, iam Cœlo impacta
deſilit; modò in tranſuerſum ſecta, deprimi-
tur; modò humi langueſcens immoritur,
mox nouo animata verbere rediuiua ſalit;
modò reiecta pariete reciprocatur; nunc verſâ
manu retorquetur; iam interiectum in me-
dio radens funem, in angulum illatebratur; D
iam reticulo a tergo per diuaricatas ſubſus E
tibias acto retruditur. Deniq; per multipli-
ces anfractus, per diuerſas ambages, per va-
rios mæandros nullius metę ſolicita, volucris F
ſemper itq; reditq; nuſquam hærens, incertâ
ſemper lege errans, aëris ſemper ludibrium
volat, acreuolat.

71 In hoc ego ſphæriſterio iam limatulos A
iſtos Declamatores vadimoniũ ſiſtere iubeo. B
Hîc ab eis D. Caroli conſtantiam, ne ab
vſurpato ſemel exemplo diſcedam, laudari,
atq; exaggerari vehementer cupio. Age.
prodeat in medium aliquis ex iſto ſentẽtioſo
cœtu amplificator egregius. O quàm longã
ab illo caudam duci, quàm multa ſurſum,
ac deorſum trahi animaduertas. Videbis
illum ratiocinationis filum minutatim
concidere: dices ab eo pilam in mille fle-
xus, in mille mœandros trudi, ac ſecari.
Quid enim illa ſunt, aut quò pertinent? Ecce
totus eam in fiſtulam incumbit; eam, licet e
ferro conſtet, aureo ipſe, croceoq; obducit
ſtylos,

ſtylo; licèt fumi ſordeat caligine, lumine il-
luſtrat eloquentiæ. mox cum plumbeo glob
ludit; tum Sanctiſſimi Præſulis purpuræ bl
ditur; exinde vertit ſe repentè ad lintea, ſu
bitoq; hinc ſtrepitum ipſum, ac ſonum affa
tur. Demum in ſulphureo puluere ſexcen
ta rimatur myſteria, vt ſingula minutiùs la
cerando, commodiùs ineptiat. Ita neſcio
quis diu multumq; cum plumbeâ illâ gland
nugatus, hæc denique quaſi ex vnguentar
gratiarum omnium pyxide feſtiuus ardelio
depromit. *Hæſit modica illa pila, ſcelere maior
quàm mole; dumq; ſanctimoniæ purpurâ arcetur
a vulnere, illico rubore ſuffuſa in togã coccineam
ſeſe inſinuat, vt purpuram, quam ſaua ferire n
poterat, iam in vnionem verſa, venerabunda ex
ornaret.* Hoc ſi eſt amplificare, Auditores, a
non potiùs in ſphæriſterio apinarum omni
pilâ leuiſſimæ futilitatis ludere, ego, qui
pila ſit, quid amplificatio, penitùs ignoro
Quæ enim hîc amplificationis ſpecies, qu
color, quæ vmbra? Caroli conſtantia in di-
uinis precibus oſtenſa exaggeranda erat. Ad
id muneris quid facit fiſtula particulatim de
ſcripta? quid refert, fueritne auro obducta,
an ære? quid momenti habet color purpuræ,
quid puluis ſulphureus, quid plumbeæ pilæ
abſonè hoc loco tributa ratiocinatio? nihil
prorſus. Quorſum in ſuperiore illâ amplifi-
catione mixta cum nitrato puluere fari-
na, niſi vt ex eâ nobis neſcio quam inſulſ
ſalis ſine ſale placentam, atq; obtuſi acumi-
nis pultem concinnaret? An non igitur ho

eſt,

eſt, per auia ſemper, & inuia nutanti greſſu, atque veſtigio commeare? An non, quum de irrito plumbeę pilę ictu inſtituta eſſet amplificatio, hæc reapſe ludicræ pilæ reciprocatio quæſita eſt.? Per tot erras diuerticula, F
vertis te modò in hanc partem, modò in illā, modò te flectis in latus, iam vergis ad ſiniſtram, illico redis ad dexteram: hîc pedem reducis, illic caput inclinas, vbiq; eſſe vis, vt nuſquam omnino ſis. Iam tua illa acumina imo e ſolo tollis; nunc in aëre ſuſpendis; iam G
amputatâ ſententiâ diffindis; modò ſuſpicioſâ argutiolâ criſpas; iam in cælum vſq; abditarum notionum ſubtilitates iacis; extemplo frigidè ſerpis humi; deinde metaphoris ampullantibus improuisò excitatus reſultas; H
filum orationis ductumq;, quum tranſuerſum propoſitæ quæſtionis funem modò ſupra, modò infra dictis ſubſiliendo radas, imò rumpas, ſequi non potes. Iam per cuniculos tenebricoſarum allegoriarum, quaſi ſub diuaricata crura, ſuſpiciones, arcana, obſoletaq; eruditionis ſupellectilem obtrudis. Denique ſic te per omnes lepôrum venerumq; flexus in quamcunq; plagam torques, vt nullam ad perſuaſionis metam argumentationis pilam impellas, ſed perpetuò per omnes laſciuientis, temereque peregrinantis ingenij amœnitates curras, dictoque citiùs recurras. An non igitur hic pilæ erraticæ ludus eſt? Iterū enim inculcandum eſt. An non hæc pila paganica? an non hic trigon, & ludibrij plenū I
harpaſtum? Niſi quis malit, his putidorum K

L acuminum veluti bellarijs, ſaccharique globulis hiantis concionis palato imponi, ac tanquam ſuaui faſcino Auditorem a cauſsâ penitùs abſtrahi. At ſine vllâ dubitatione omne argumentorum robur, quod hîc vnum criminor, omnes enthymematum tori, omnes rationum nerui iſtâ ſenſiculorum pluuiâ tam densâ molliuntur, ac fœdè debilitantur.

Non omnia actionis factiue adiuncta in amplificationem trahi poſſunt.

72 AT, inquiunt, certè hæc omnia illius actionis, præclariq; facinoris adiuncta ſunt, D. Caroli conſtantiam appoſitè locupletantia. Atqui adiunctis mirè diteſcit, atque amplificatur Oratio. quis neſciat? quid ergo vetat (malum!) quid prohibet, hæc paulo hilariùs, limatiusque deſcribere? o tironum imperitiam! o viſa ſomniantiũ ridicula! An, vt omnia ſine vllâ temeratæ artis religione in orationem aduocari queãt, ſatis eſt, ſi adiuncta ſint, & rem quoquo modo circumſtent? Itane verò ſatis eſt? Ergo, ſi fortè tunc in eo ſacello D. Caroli, vbi ille glande petitus fuit, aderat, imò ſine dubio aderat tintinnabulum, & hoc opportunè deliaeandum erat? Aderant etiam aliqui domeſticorum canes. ergo & hi graphicè expingendi? Supplices viri complures proniq; in preces, coronam piacularibus textam globulis interim percurrebant. quo igitur piaculo ſuâ hi deſcriptione fraudabuntur? Aderat & ſacra

ſacra ſupellex. Hæc quoq; omnis ad vnguem nimirum recenſenda fuit. Aderat ipſum altare. Quid ni igitur & hoc eleganter ſtyli colore exprimatur! Aderat denique palatiū ipſum, in quo ſcelus illud nefarium patratū eſt. Cuius ergo inertiæ fuit, cuius imperitiæ, in huius cubicula omnia, in tabulata, in ambulationes, in porticus, in atria, in latebras poſtremò omnes non excurrere ſpatiariq; dicendo! At quis adeo mentis inops, atq; impos ſit, vt hæc tam diſſona, & diſcrepantia cum D. Caroli conſtantiâ coagmentanda iudicet? Si quis huius opinionis laborat morbo, cenſeo, a medicis potiùs hellebori medicatam potionem ad leuandum furorem petat quàm primùm, quàm vt vllam eloquentiæ partem attingat.

73 Videndum igitur, videndum principio eſt, ni velimus deſipere, prudenterq; expendendum, quæ, & qualia ſint illa adiuncta, an cum cauſsâ, & fine perſuaſionis copulata, an ad amplificationem, quam molimur, aliquid conferant; & tunc commodè, atque in loco inde amplificabitur Oratio. Sin autē ad rem non faciunt, omittenda penitùs ſunt, alijsq; eorum loco adhibitis argumentis, ad ipſas cōtrouerſiæ medullas ſummâ vi penetrandum. Valent illa quidem temerè affixa attributionum emblemata, illa miniatula orationis A prænitentis pigmēta valent ad, neſcio quam, voluptatis illecebram aucupandam; valent ad plauſum qualemcunq; ab Auditoribus hebetioribus mendicandum, valent ad famæ,

ingenijq; inanes rumuſculos excitandos. At quid virium habet, quid ſpiritus aliena mei admiratio ingenij, quid doctrinæ fama, quid phaleratæ plauſus eloquentiæ ad Caroli illuſtrandam efferendamque conſtantiam? quis nexus hæc tam longinqua, & diſiuncta coniungit? Oſtentatio illa tua, quòd multa legeris, quòd variâ pectus eruditione compleueris; quòd memoriâ veterum omnium monumenta præſto atque in numerato habeas; quî Caroli conſtantiam Auditori perſuadebit? quî, vt iniurias condonet, eundem expugnabit? quî vt cum hoſte, a quo vulneratus, ac penè iugulatus eſt, redeat in gratiam, extorquebit? quî denique Auditoris opinionem perdomabit, opinionique Oratoris dicendo ſubijciet? Quam habent illa cum perſuaſione affinitatem, quam, cedò, quam neceſſitudinis vmbram vel coniunctionis? Nullam, nullam prorſus. Si igitur nihilominùs ea inconſultè aſſuantur, an non rationũ vim ac pondus imminuẽt? Si generoſo vino multam quis aquæ copiam permiſceat, vel auro primæ notæ ac purgatiſſimo multum æris, ſtanniq; infundat; nõne quo plus aquæ, æris, aut ſtanni vino, vel auro indit, eo magis vini diluit virtutem, auriq; præſtantiam, ac pretium deterit? Nemo ambigit, Auditores. Ite nunc vos, mulſo dulciores Oratores, validiſſimorum argumentorum neruis infinitã acuminum turbam agglutinate; & illa ab iſtis ſummopere eneruari apertè comperietis.

74 Sed quam ob cauſſam? nempe, quòd

aul-

nullus tam fungus, aut ſtipes ſit, qui, quid diſtent æra lupinis, quod aiunt, ignoret: B neq; vllus ſibi pro auro plumbum, pro vino aquam, pro robuſtis argumentis aurium illecebras patitur venditari. Auditor, ſi tibi ſui aſſenſus poteſtatem facturus ſit, argumentis validis premendus eſt. Tu contra validis argumentis molles acuminum delicias importuniſſimè inſeris; & fierine poterit, vt eorum non fatiges robur, omninoq; ſubducas? Fingite vobis aliquem, qui, vt mihi perſuadeat enſem ſibi eſſe e duriſſimi chalybis laminâ, hoc maximè nitatur argumento, quòd eiuſmodi gladius vaginâ coccineâ, atq. holoſericâ incluſus ſplendeat, C odoratiſq; delibutus vnguentis, Adonidis roſis, ac floribus nihil concedat. Cui talis confirmatio riſum non excutiat? quis neſciat aliam eſſe nudati ferri aciem, alium tegentis vaginæ luxum? Qui igitur vaginam pro gladio in pugnâ rotat, an nudati aciem gladij infligere, an ſubiecto mucrone latus ferire poteſt? nullo modo. Nonne gladij vires, atq; impetũ perdit? Sine dubio. Atqui tu me iſto Orationis enſe non vulneras; neq; mirum; obtuſus valde eſt. vis tamen mihi imponere, vt ſolidâ illum ex laminâ conflatum eſſe credam. At quas machinas ad id mihi perſuadendum admoues? Iuras conceptis verbis coccineâ illum vaginâ, holoſericaq; amœnæ deſcriptionis, ac floridorum acuminum totum eſſe obductum, atq; ornatum. o inſaniam! o ineptias! Quid vaginæ

cum ferro, vt feriat? Nihil ſanè. Tam igi-
tur argumentorum robur ſpiſſis eliditur acu-
minibus, ac fruſtra eſt, quàm gladij acies, ſi
quis in prælio vaginâ vtatur pro gladio.

Immoderata ornamentorũ frequentia attentionem obruit Auditoris.

75 ANimaduerto, nunc Iudices, quò
ſe metu profugus recipiat Aduer-
A ſarius. Video, in quod ſe aſylum, ac late-
bras abdat ſimulationis. Dare ſe manus fa-
tebitur, piaculum eſſe in eloquentiâ inex-
piabile; a re propoſitâ, vt acuminibus licen-
tiùs indulgeas, aberrare perpetuò, aberran-
doq; multæ lectionis, memoriæ, doctrinæ,
B atq; ingenij oſtentationi velificari; eâdemq;
illâ tam erraticæ velificationis operâ omnia
argumentorum munimenta conuellere, ac
demoliri. Sed longè aliud ſibi eſſe conſiliũ,
longè aliam mentem. Volo, inquiet, argu-
mentum primo intortum loco vrgere; volo
recto tramite inſiſtere; volo non interrupto
filo cauſſam perſequi; volo tandem Oratio-
C nem ſemper, vt ita dicam, faſtigiare. Sed
volo etiam ad gratiam conciliandam, ad
Auditorem oblectandum, ad Iudicis lenien-
dum tædium acumina interſerere; placet ar-
gutias inſpergere; operæ pretium eſt, elima-
D tos intercalare ſenſiculos, tortiſq; periodos
E ſententiolis interpolare. o acutũ in re trepidâ
F cõſilium! o catam, ſagacemq; in extremo in-
fortunio prudentiam! Sed fruſtra, Auditores,

his

his ſe caſtris interpoſitæ mediocritatis, aut perpetui tractus acuminũ fartores iſti tuentur G

76 Nam vt illis etiam indulgeam, nunquã eos a quæſtione propoſitâ, quod tamen minimè præſtant, declinare dicendo; vt in curſu Orationis ab illis acumina atq; argutias interijci tantùm, non effundi, ponam; adhuc tamen ex compedibus inextricabilibus ſupinæ cuiuſdam inconſiderantiæ nequeunt euadere. Taceo primùm tam longam acuminum ſeriem perenni quadam tramâ, & ſibi vbiq; ſimili, nuſquam diſcolori contextam nihil virium aut roboris habere poſſe. Taceo deinde, noua, atq; alia identidem argumenta per quàm rarò admoueri, ſed vnum atq; idem dumtaxat variâ multipliciq; ſimilitudine diduci, atq; extendi. Taceo etiam tantundem firmitatis in ipſo Orationis initio, quàm in exitu ac fine reperiri.

Vnum eſt tantummodo crimen, quod hîc a vobis, Auditores, diligenter velim animaduerti. Argumenta, quum temerè huc, atq; illuc, impedito confirmationis tramite diſtorquentur; eorumq; loco acuminum farrago ſubijcitur, nõ ſolùm ſuapte naturâ frangi atq; luxari, vt hactenus quà rationibus, quà exẽplis clariſſimè patefeci, neceſſe eſt, verùm etiã, licèt eadẽ argumẽta valida per ſe eſſent; licèt continuo ductu eſſent cõmiſſa; licèt nõ eſſent diſiecta, neq; diſtorta; ſi tamen nihilominùs immodicis ſalibus, iocis, annominationibus, metaphoriſq; inſperſa, obſeſſa, incruſtata, & cooperta ſint; adhuc vim ſuam

neruuímq; ex parte Auditoris, vt iam oſtendam, amittunt. Illa quippe illecebrarum immoderatio Auditoris attentionem ab ipſorum argumentorum pondere, ſi quod habent ipſa in ſe, trutinando, expendendoq; auocat, diſtrahitq; ac proinde & illorum vim in animo eiuſdem Auditoris extenuat, ac retundit. Sic nimirum vites, ſi immo-
A dicis luxurient pampinis, atq; capreolis, quem humorem & ſuccum vuæ racemis, ipſæ caſtigatæ ſollertiùs, ſuppeditâſſent, in vanas inutileſq; propagines diffundentes, Sole deſtitutæ, vmbraq; opacatæ, vini copiam cum ſterili foliorum redundantiâ, noxiè, miſereq; commutant. Quo loco ad calculos ego phaleratos iſtos Oratores iam voco. Adeſte
B acuminum Seplaſiarij. Quæſo vos, quum veſtrum aliquis Auditoris mentem per ſua
C illa vibratorum ſenſiculorum roſeta circumducit; quum ab eo contortulis ſententiolis vigorem ſuccumq; intenti animi exprimit; quum tot in argutias, in tot ſinuoſæ dictionis
D lacinias eiuſdem cogitationes deriuat; enunciate, qui ſenſus, quæ vis, qui ſpiritus ad percipienda rationum momenta, quod iudicium ad libranda argumenta, quæ alacritas ad firmamenta cauſæ ponderanda illi ſupereſſe poſſunt? Auocant ſcilicet a recto perſuaſionis tramite Auditorem hæ tuæ metaphorarum intemperiæ, hæ tuæ argutiarum
E cumino fœniculoq; ſalſæ ſubtilitates. Abripiunt quàm longiſſimè animos hominum hæc tua minutarum conciſio periodorum,

hæc

hæc tua piperatã dicta, hæc tua vellicantia F iocorum ſalſamenta ab ſummâ illâ attentione, quam in cauſsâ defixam eſſe oportere, quam tãto artificio in exordio aucupandam, tantis precibus in decurſu renouandam, tot lenocinijs vbiq; fouendam ac retinendam, G ad vnum omnes dicendi magiſtri vociferantur. Quare quum attentionis quouis in homine vis finita ſit ac terminata, finitus eſt etiam Auditoris in percipiendo labor. Quē quo in plura diſpertis, eo magis nutat, ac fatiſcit in ſingulis. Fac igitur te validiſſima H in medium attuliſſe argumenta. Si tamen Auditor dimidiatã tantùm eis attentionem applicuit, quòd reliquam partem tuis delicatis leporibus addicere coactus eſt; quis non videt eorundem vim argumentorum dimidiã omnino partem imminui, & labefactari?

Intemperantia acuminum ſatietatem affert Auditori.

77 ENthymematum robur, quanuis per ſe firmum, nec aberranti acuminũ excurſione debilitatum, quando luxuriante metaphorarum, & gratiarum exuberantiâ A obruitur; plurimum nihilominùs eneruari, quòd Auditoris attentionem multas in partes, ac veluti multos in capreolos neceſſariò B diſijciat, iam euici, Patres ampliſſimi. Quid ſi modò oſtendo, hanc ipſam argumentorum vim ex parte itidem Auditoris, quum ſententiolis immodicè implicatur, valde infrin-

gi, non tantùm quòd eiuſdem attentionem in plura, vt iam vidimus, deriuando extenuat; ſed etiam quia incredibilem, intolerabilemq; ſatietatem parit, atq; huiuſmodi ſatietate tædioq; illā ipſam, quantulacunq; ſupereſt, attentionem tollit? Quid tam enim attentioni inimicum, quàm faſtidium & nauſea? Naturâ certè, & conſuetudine ita paratum eſt, vt, quæ toto remota Cœlo nullam habent nobiſcum affinitatem, nullumq; commercium, ore planè oſcitanti, auerſoq; ſtomacho reijciamus: vel ſi audiamus, auribus omnino aſpernantibus, minimè recipiamus. Sin autem, quæ amplificando efferimus, eiuſmodi ſint, vt ad ipſum Auditorem maximè ſpectent, ipſum tangant, ipſum illa non ignorare nonnihil referat, vel certè ipſemet vltro cupiat, (quo in munere implendo regnat planè, atq; triumphat incomparabilis M. Tullij induſtria, acerrimumq; iudicium) extemplo arrectas illum vtraſq; arrigere aures, ab ore dicentis pendere, libenter & cum uoluptate operam dare Oratori. At tua iſta acuminum argutiarumq; nundinatio quem nexum, rogo, habet, quas manicas, Auditori quoquo modo agglutinandas?
C Nullas. Tubera ſunt illa ebullientis ingenij, D puſtulæ præcipitis linguæ, inflatæ bullæ turgidæ cuiuſdam, atq; ampullantis confidentiæ. Scilicet Auditorem valde detinere poteſt
E tuā iſta gloriolæ æruſcandæ cupiditas. defiget ille, opinor, mentis aciem in tuam iſtam putidæ vanitatis oſtentationem. Suſpiciet

piciet nempe intentis auribus tuam hanc famæ perditam, famelicamque affectationẽ. Imò verò nihil magis auerſabitur, nihil feret indigniùs, aut moleſtiùs. Quid quòd non eo tantùm nomine, quia acuminum ille tantus aceruus ab Auditore adeo diſiunctus eſt, celerem habet ſatietatem; ſed etiam, quia omnis ea voluptas, quæ tota artis ipſius (quã inertis tamen, quàm languidæ?) arguto lenocinio ſuauiùs blanditur, quàm citiſſimum creat faſtidium? Artem cum naturâ, ſi placet, paulùm contendite. Illius oblectamẽta ſi clepſydra dimetiamur, longè, quàm huius, F comperiemus eſſe breuiora. Picti imaginem ruris, aut verſicolores auium plumas ſi quis ſpectet in tabulis, primo ſtatim obtutu totã, integramque oculis haurit oblectationem, dulciſſimè afficitur, iucundiſſimè detinetur. Sed fac eandem in imaginem ſæpius, ac diutius oculos incurriſſe: & ſenſim iucunditatis gratiam deflorari, flacceſſere, & conſeneſcere animaduertes Nunc e contrario naturę viuas contemplare delicias. Maris fuſam, æquabilemque planitiem, ſuaue tacitè labentium riuulorum murmur, emicantiũ fontium perennitates, lucorũ vmbras, prata herbis, floribusq; vernãtia, colles, ac valles hîc amoeniter viridantes, illic ſaxis, dumetisque variatas, curioſis luſtrato oculis, identidem, ac ſæpe intuere. Nonnè harum aſpectus illecebrarũ, quas natura ipſa concinnat, nouo ſemper voluptatis illicio ſuos recreat ſpectatores! Haud ſecus etiam aurata illa acuminum, gem-

mataque diademata, artis præſtigijs inculcata frequentiùs graui paulatim faſtidio aures obruunt, atq; alienant. Contra verò propria accuratæ orationis, & quaſi natiua ornamenta, dulcibus deuincta numeris, ceu a naturâ profecta, longè diuturniore, atque vtiliore delectatione ſenſus, mentemque demulcent Auditoris.

78 Quid quòd ſicut in naturâ quoque, nedum in arte, quæ grato odore nares oblectant initio, vt electrum, ſuffimenta, lilia, & vnguenta, paulò poſt caput graui dolore cruciāt; ita prorſus immodica ornamenta, quanquam principio aures voluptate nōnihil deliniunt, tamen continuò poſt ſatietate quemcunque Auditorem, Lectoremque, vtcunque etiam alacrem, viuidumque valde delaſſant? quantâ enim moleſtiâ conflictatur, quanto tædio obruitur vocatus conuiua, qui multâ feſſus inediâ, ac penè necatus, in menſam pro ſolidis dapibus, ac cibis, inania dumtaxat gulæ irritamenta, dulcia bellaria, delicata ex coacto, concretoque iure fercula, triumphales e ſaccharo quadrigas inferri cernit? Atqui nihiloſecius quilibet quoque Lector, atque Auditor offenditur, qui ſummâ flagrans cupiditate, ac veluti fame propemodum enectus rei, quæ ſibi in Oratione propoſita eſt, cognoſcendæ, ac penitùs introſpiciendæ; ex aduerſo acuminum tantummodo ſcitamentis, argutiarumque embammatis ab Oratore appoſitis illudi ſibi, ac per futilium ſententiolarum anfractus ſe ſe circumduci, ſimulq;

traduci animaduertit. Quid plura? Teſtor ego ipſoſmet acuminum induſtrios, operoſoſq;gemmarios, qui quum elogia, quæ concinnant, huiuſmodi ſenſiculis infarcire,gratiamq; hinc quàm maximam illis conciliare ſtudeant ſummopere (quod ſanè in hoc, & ſimili ſcriptionis genere non ſolùm fas eſt, vt antea præmonui,ſed etiam omnino requiritur, nec ſine piaculo ferè negligitur) ſatietatem tamen, quam iſtæ ipſæ inculcatæ ueneres pariunt, vſque adeo minimè diſſimulant, nec diffitentur, vt potiùs Lectorem diſertè, enixeq; obteſtentur, ne, vbi vnum, alterumue elogium libauerit, vltra pergat, ſed lectionis parſimoniâ faſtidio occurrat. Recitetur hoc loco ingenui non minùs,quàm ingenioſi viri perſpicua denũtiatio, & aperta confeſſio. *Caue*, inquit,*ne opſonium hoc, panem putes. Genus hoc cibi, excitandis ingenijs natũ eſt, non paſcendis. Niſi cum moderatione ſumatur, nimium auidis mentibus nauſeam creat. Perpenduntur hæc, non percurruntur; ideò cùm violentiam quamdam legenti inferant, a quo non quamcunque, ſed omnem attentionem expoſcunt, diu tolerari non poſſunt. Farta Laconiſmis Oratio, quia minimùm imitatur naturã; vt illam exhilarat primâ illâ ſpecie artis, ita paulò poſt lædit, dum nihil illi obuium exhibet, ſed omnia talia, vt niſi eruantur,non prodeant. Flores ſi ſunt; carpuntur per ſe ſinguli ſummis digitis, non totâ immiſsâ falce metuntur Vbi vnum,*

Aloyſius Iugularis *in ſuis de Chriſto Ieſu Elogijs, in Monitis ad Lectorem, pag.* 17.

vnum, aut alterum delibâris Elogium, ne faſti-dire alia debeas, nouam famem expecta. C eximium, ac ſingulare elogiorum elogium, quod mihi oraculi inſtar in hac cauſsâ habendum planè eſt. At ſi denſata acumina in elogijs ipſis, in quibus alioqui regnare ſolent, & verò etiam debent, tantam nihilominùs ſatietatem Lectori afferunt, quantam, Deus immortalis, vbi maiorem Orationis partem, aut potiſſimam occupant, in alienam prorſus immiſſa ſedem, Auditoribus cunctis neceſſariò creabunt? Nimirum ipſa acuminum, & ſententiarum copia inopem memoriæ Lectorem, atq; Auditorem neceſſariò facit. Dum enim hæc Orationis ſcitamenta hominis intelligentię ſine modo ingeruntur, & alia alijs continenter illigata, & conglobata eidem ſine vllâ interſpiratione obtruduntur, mentem cuiuſcunq; nouis ſemper laceſſitam argutijs, cæterarum venerum, quas nemo, qui audit, vel legit, niſi per
A trãnſennam aſpicit, obliuiſci, eaſq; ex animo funditus obliterare, vtcunq; etiam memoriâ excellat, omnino cogunt. Vnde humanum
B ingenium hac deſultoriâ ſenſiculorum immiſione, ac depulſione, velut ludibrio habitum, nimium quàm cruciabiliter torquetur, indignabundumq; ſe hac dictorum intemperantiâ ingurgitari, intolerabili ſatietate defatigatur, ſimiliaq; denuo funditantem Oratorem ſummopere faſtidit. Quum igitur acuminum luxus, & quia ab Auditore valde abſtractus, & quia apertæ artis molimine coac-

tus

tus eſt, magnumq; parit tædium, eiuſdem attentionem ſubitò abducat, atq; debilitet: cui obſcurum eſſe poteſt, quantum virium ac roboris argumentis, quæ attentione fraudata, prohibita, atq; excluſa, in Auditoris animum penetrare nequeunt, decedat?

Ornamentorum intemperantia gignit obſcuritatem.

79 HÆc ſunt, Auditores, meæ firmamenta cauſſæ, quibus elegantes iſtos Oratores argumentorum neglectu, vel præuaricatione, a proprio officio, ſeu fine inſito appoſitè dicendi ad perſuadendum, quàm longiſſimè, atq; abſurdiſſimè diſcedere commonſtraui. At nec dum obliuiſcor humanitatis meæ; neq; me piget meæ in illos iā ſæpiùs exercitæ liberalitatis. Demus enim hoc etiam illis, quando tam multa haud ſemel largiri cœpimus. Demus hoc, inquam, illis, quoniam id virtute conſequi nequeunt, & valida ab eis vibrari argumenta, & verò etiam, ſi Deo placet, grauia, plenaq; dignitatis; nihilq; eâ acuminum farragine Auditoris impediri attentionem. Alio tamen adhuc laborant vitio adeo fœdo, ac pernicioſo, vt hoc vnum ſolumque reliquas Orationis partes ac dotes, licèt forent exquiſitiſſimæ, facilè corrumpat vniuerſas. Quod verò huic monſtro nomen eſt, Auditores? obſcuritatis eſſe flagitium, vos metipſi haud obſcurè iam intelligitis.

80 Nõ me fugit ſanè Orationẽ, etſi ſatis per ſe dilucidã, atq; perſpicuã, Auditorum tamen imperitiã obſcuram ſæpenumero falsò, temereq; dici, ac reputari. Quam vt ego nunquam obſcuritatis inſimulabo; ita inertiam potiùs, atq; infantiam carpam Auditoris, qui Latinitatis cognitione leuiter tinctus, id obſcurum, id non Latinum inſcitè pronuntiat, quod etſi apud Latinos teſtatum, & in claro poſitum lumine, ipſe tamen, ignoratione retardatus, non percipit. Neq; hîc me teneo, quin vehementer indoleam, & querar, eorũ pleroſque, qui Latinos Auctores ieiunè admodùm, oſcitanterq; luſtrârunt, de Latinitate iudicium, atq; cenſuram, Iudices planè iniquiſſimos, omninoq; explodendos, audacter ſibi arrogare. Neq; enim quenquam Tulliano ita addictum nomini eſſe velim, aut oportere exiſtimo; quin reliquorum etiam claſſicorum Scriptorũ, quicunq; Latinam linguam iure ſuo propagârunt, verbis ac vocibus, vel ipſomet Cicerone ita decernente, ne dum ſuffragante, ſatis munitam, atq; ornatam putet Orationem. Hæc Latinę linguæ gratiã dixerim, quanquam meam hanc diſputationem, atq; actionem non tam ad Latinam linguam, quàm ad cæteras quoque omnes cuiuſq; nationis proprias, atq; vernaculas, vt iam clarè præfatus ſum, pertinere volo. Etſi, quia nobis Latinus ſermo (idemq; de Græco, atq; Hebraico ſtatuendũ) peregrinus quodammodo, accidit, in hoc potiſſimùm, vt etiam in alijs omnibus extra-

neis linguis, obſcuritatem frequentiùs, proniusq; ijs, quibus extraneæ ſunt, contingere fatendum eſt. Obſcura igitur ea dictio atq; Oratio, cuiuſcunq; linguæ ſit, appellanda eſt, cuius ſingula vocabula quum facilè intelligantur, quid ipſis omnibus vocabulis vnà coagmentatis ſubſit notionis, quænam illis inuoluatur ſententia, nemo ferè e populari concione, quæ dicentem audit, diuinare poteſt.

81 Quo ſanè obſcuritatis vitio quid in Oratione inanius, quid turpius, aut amentius excogitari poſſit, vix reperio, Auditores. Mitto primùm, quàm abſonum, præpoſterumq; ſit, quod ſupra ex M. Tullio iam commemoraui, cauſſam a patrono obſcuriùs ediſſeri, ac diſceptari, quàm a cato cliente eidem Patrono ſimpliciter proponi, & ſine fuco explanari. Quum enim peregrinâ vtentes linguâ, Græcè, Hebraiceq; nos alloquentes, Græci nos ſermonis, atq; Hebraici ignari, auſcultamus, quàm difficilè a riſu, & ſcommatis temperamus? An tu amicum ferres, A
qui tecum familiariter confabulaturus, orationis inuolucris, griphis, atq; ænigmatis B
familiarem ſermocinationem implicaret, ac ſepeliret? Nonne ab hominum cœtu, qui eâ ſemper lege loqui vellet, vt nunquam intelligeretur, in ſolitudinem aliquam eſſet penitùs ablegandus? Et qui de ſuggeſtu integram concionem alloquitur, ſeq cum eâ de propoſitâ quæſtione verba facturum pollicitus, omnia ſenſiculorum infuſcat caligine, ſine

con-

conuitijs, aut ſibilis tolerabitur? Sanè qu
verborum ſonum blandiſſimum exaudiri vo
lunt; ſenſum autem, ne Auditorum captu
illuceſcat, vocabulorum quaſi funiculis in
tranſitu, vt ita dicam, ſtrangulant, boum
inconditos mugitus, canumq; excordes latra-
tus præ aperto planoq; ſermone, humanæ
C cæteroqui conſuetudinis illice, amare ſeſe,
atq; in delicijs habere profitentur, nobiſq;
quaſi antiquæ ſimplicitatis hominibus, hæc
myſteria ſibi, hoc eſt, acutiſſimis capitibus
vulgata eſſe, nulloq; negotio obuia, impo-
nere conantur. Perinde ac ſi de mentis po-
teſtate eſſemus deiecti, vt ipſas animantes
peculiari quodam ſermonis genere mutuò
inter ſe vti, viciſſimq; ſe ſe intelligere, quod
deliris aniculis vrbani fabularum architecti
facilè perſuadent, crederemus, meraq nuga-
menta, & ſomnia pro oraculis acciperemus.

82 Deinde, ſi tua hæc perobſcura myſteria
nullus ferè percipit, cui, quæſo, ſunt illa vſui?
A quorſum, aut quem in finem adhibentur?
quanti vis ea æſtimari? quâ admiratione
excipi? quanto applauſu, atq; aſſentatione
palpari? At ſi non intelliguntur, ſi ab auri-
bus repudiantur, ſi in animum nequeunt
irrumpere, quis non videt ab eis nihil iſtorum
effici poſſe? quis neſcit omne oleum in ipſa
temerè eſſe profuſum? Niſi fortè vnâ hanc tui
ſtrenam laboris præſtantiſſimam, imò ſtul-
tiſſimam eblandiri cupis, vt omnium captũ
planè te viciſſe, omniumq; memoriam faſti-
diosè obruiſſe videaris, totidemq; ænigmata,
quot

quot ferè locutiones, vt nemo quicquam ex his aſſequi potuerit, abs te edita, Auditores omnes non tam prædicare, quàm exſibilare cogantur.

83 Hanc porrò à ſuis Orationibus, & Concionibus inquinatiſſimam, obſcuritatis labem acuminum iſti delicati fabri nullo modo poſſunt abſtergere, Iudices ſapientiſſimi. Nam quis ipſa exercitatione atq; vſu doctus, non comperit, ſi nitida leniterq; fuſa Oratio, & cuiuis paulùm dolato, neq; rerum A omnino imperito perſpicua, inculcatis ſententiolarum ramentis farciatur; illico ob- B ſcurari, ſplendorem amittere, ſpiſſisq; tenebris, & cæcâ prorſus nocte obduci, ac tumulari? Enodes tabulæ politæ ſunt, læues, atq; C exæquatæ; iacentes perexiguæ in fundo tæniæ, quum pellucida riui vnda labitur, D liquidò cernuntur; pura licia, ac ſtamina crudo detracta lino, mollia ſunt, manuq; E facilè ſtringi poſſunt. Contra verò vbi aſſeres perpetuis ferè aſperantur nodis; vbi riuus vel turbidas voluit aquas, vel gelu duratur; vbi multa licia torquentur in funem; ſcilicet aſſeres rigent, concretus glacie riuus ſiſtit aquas, intortus funis ſtylis traijci vix poteſt. F Iam quid obſcuritatem, quæſo, niſi ſubducta lux parit? At Oratio an nō ceu læuis tabula, ac ſine nodis, ęquabilis; velut purus amnis, pellucida; tanquā molle ſtamen, flexanima eſſe debet? Si igitur acuminū aſtringatur nodis, & argutiarum, plerunq; niue ipsâ frigidiorum, glacie concreſcat; ſi multiplici exilium ſenſiculorum

conuitijs, aut ſibilis tolerabitur? Sanè qui verborum ſonum blandiſſimum exaudiri volunt; ſenſum autem, ne Auditorum captui illuceſcat, vocabulorum quaſi funiculis in tranſitu, vt ita dicam, ſtrangulant, boum inconditos mugitus, canumq; excordes latratus præ aperto planoq; ſermone, humanæ
C cæteroqui conſuetudinis illice, amare ſeſe, atq; in delicijs habere profitentur, nobisq; quaſi antiquæ ſimplicitatis hominibus, hæc myſteria ſibi, hoc eſt, acutiſſimis capitibus vulgata eſſe, nulloq; negotio obuia, imponere conantur. Perinde ac ſi de mentis poteſtate eſſemus deiecti, vt ipſas animantes peculiari quodam ſermonis genere mutuò inter ſe vti, viciſſimq; ſe ſe intelligere, quod deliris aniculis vrbani fabularum architecti facilè perſuadent, crederemus, meraq nugamenta, & ſomnia pro oraculis acciperemus.
82 Deinde, ſi tua hæc perobſcura myſteria nullus ferè percipit, cui, quæſo, ſunt illa vſui? quorſum, aut quem in finem adhibentur? quanti vis ea æſtimari? quâ admiratione excipi? quanto applauſu, atq; aſſentatione palpari? At ſi non intelliguntur, ſi ab auribus repudiantur, ſi in animum nequeunt irrumpere, quis non videt ab eis nihil iſtorum effici poſſe? quis neſcit omne oleum in ipſa temerè eſſe profuſum? Niſi fortè vnâ hanc tui ſtrenam laboris præſtantiſſimam, imò ſtultiſſimam eblandiri cupis, vt omnium captû planè te viciſſe, omniumq; memoriam faſtidiosè obruiſſe videaris, totidemq; ænigmata,
quot

quot ferè locutiones, vt nemo quicquam ex his aſſequi potuerit, abs te edita, Auditores omnes non tam prædicare, quàm exſibilare cogantur.

83 Hanc porrò à ſuis Orationibus, & Concionibus inquinatiſſimam, obſcuritatis labem acuminum iſti delicati fabri nullo modo poſſunt abſtergere, Iudices ſapientiſſimi. Nam quis ipſa exercitatione atq; vſu doctus, non comperit, ſi nitida leniterq; fuſa Oratio, & cuiuis paulùm dolato, neq; rerum A omnino imperito perſpicua, inculcatis ſententiolarum ramentis farciatur; illico ob- B ſcurari, ſplendorem amittere, ſpiſſisq; tenebris, & cæcâ prorſus nocte obduci, ac tumulari? Enodes tabulæ politæ ſunt, læues, atq; C exæquatæ; iacentes perexiguæ in fundo tæniæ, quum pellucida riui vnda labitur, D liquidò cernuntur; pura licia, ac ſtamina crudo detracta lino, mollia ſunt, manuq; E facilè ſtringi poſſunt. Contra verò vbi aſſeres perpetuis ferè aſperantur nodis; vbi riuus vel turbidas voluit aquas, vel gelu duratur; vbi multa licia torquentur in funem; ſcilicet aſſeres rigent, concretus glacie riuus ſiſtit aquas, intortus funis ſtylis traijci vix poteſt. F Iam quid obſcuritatem, quæſo, niſi ſubducta lux parit? At Oratio an nõ ceu læuis tabula, ac ſine nodis, æquabilis; velut purus amnis, pellucida; tanquã molle ſtamen, flexanima eſſe debet? Si igitur acuminũ aſtringatur nodis, ſi argutiarum, plerunq; niueipsâ frigidiorum, glacie concreſcat; ſi multiplici exilium ſenſiculorum

Cæculorum licijs intexatur, quantum luminis, ſplendoris quantum ſubducetur? quantum caliginis offundetur? quantum obſcuritatis obijcietur? nonne contorta, nodoſa, glaciata, hoc eſt, dura, aſpera, anceps, ac tenebricoſa euadet oratio? Neq; verò nodus ille Gordianus ita fuit implexus, atq iſtorum ſermo innumeris myſterijs eſt inuolutus. Animi ſenſa clarè, & diſertè exponere piaculum autumant; uberius dictionis filum, atq; explicatum, tanquam plebeium, & vile interpretantur. Ergo notiones mentis euibratis radunt ſententijs, eruditione criſpant, argutiolis ſtipant, captioſis ſubtilitatibus impediunt, ac vinciunt. Et in tantis ſenſiculorum circumfuſis tenebris, in tam cæcâ metaphorarum, atq; allegoriarum nocte radius vllus perſpicuæ orationis, vlla lucis ſcintilla poterit emicare?

84 Verùm tam operoſæ molitione obſcuritatis quid tandem, quid, rogo, conſequuntur? Vt atris ſapientum omnium calculis, communiq; aurium conuitio reijciantur. Ac quid mirum, hæc tam aculeata, atque ſubtilia acuminum ſpicula ſecundâ diſertorum virorum admurmuratione non excipi, quum à vulgatâ hominum intelligentiâ, atq; ab omnium ſenſu opinioneque ſint aliena? Sunt ea perobſcura, ſunt contracta, adſtricta, preſſa, ingenijq; licèt prompti, & celeris aciem fallunt, ac fugiunt. Liquidi, ac tenues aquarum latices, Auditores, quamuis anguſtis incilibus, aut canalibus immiſſi, in prata tamen cōmo-

dè

dè deriuantur. At ſi glacie denſentur; illicò exigui oris anguſtijs excluduntur. Ita prorſus, dum leniter fluit oratio; dum per nitidas claraſq; decurrit ſententias; dum perſpicuæ notionis puros latices vehit; in Auditoris animum facilè ingreditur, molliter penetrat, citò peruadit, illumq; inſtillatâ guttatim, vt ita dicam, perſuaſione perfundit. At ſi argutiarum glacie duretur; ſi ſpiſſo acuminum gelu rigeſcat; ſi ad memoriæ oſtentationem confuſum Pandoræ vaſculum ſingillatim explicet; ſi Hiſtoriarum texat Iliadem; ſi inuolutæ eruditionis infinitam vim congerat; ſi per omnia curioſitatis viridaria peregrinetur; ſcilicet ſupra Auditorum captum intumeſcet, eorũ ingenio nõ congruet, in nullius intelligentiam illabetur, longè lateq; exſpatiabitur, ac penitùs exundabit: vnde, vt liqueat, cuius tandem farinæ ſint tua illa e farinâ, puluereque, quum in Farinam * perditiſſimũ ſicariũ ludis, vt ſupra vidimus, cõflata acumina, apponẽdus erit, qui indicet, in margine commentarius. Quippe, quum hæ ſubtilitates vulgò ignotæ ſint, Auditorũ aures, quòd familiari, cotidianoq; ſermoni, aut certè a conſueto vſu non abhorrenti aſſuetæ ſint, tot argutiarum, ſenſiculorumque exundante veluti oratione, ac reſtagnãte, neceſſariò obruuntur. Scilicet quæ iſti horum leporum anxij anularij ad lucernã texuerunt, quæ ad multam noctem, intelligentiæ hinc [illegible] indagan-

* Supra num. 57.

indagantis perſpicaciâ, illinc mentis in ſeſe replicatæ, remeantisque arduâ commentatione elaborârunt, quæ per multos dies ſubtiliſſimè in ſpeciem, ingenij torno, in otio, ac quiete pluteis affixi; animi aciem, admotis intentionis fidiculis, quaſi in quæſtionem poſcentes, & quodam inſoliti conatus equuleo torquentes, excogitârunt; mox deleuerunt; rurſum inchoârunt; iterum expunxerunt, denuo interpolârunt; multo deniq; cum ſudore tandem aliquando affabre expoliuerunt: ego deinde vnus de populo, licèt nō imperitus omnino, at neque doctiſſimus, cum mei ſimilibus hominibus feſtinatò, in tranſitu, exigui puncto temporis, non tantùm per tranſennam adſpiciā, ſed planè introſpiam, & quæ Oedipo egent interprete, celeriter pronuntiata, conglobatimque euoluta ego faſtidioſus Auditor aſſequar probè, & comprehendam: O iudicij corruptiſſimam trutinam! o puerorum incompoſitos calculos! An ego, quæ iſti fucatæ dictionis ciniflones, calamiſtratâ acuminum cæſarie de induſtriâ implicant, atq; obſcurant, intelligentiæ vi repentè explicabo, ſtatimque ad pertenuem ingenij mei lucem perducam?

85 Hæcbine uerò sūt illa documēta, hæc illa monita, quæ Fabius Quintilianus acerrimi vir iudicij, dicendiq; magiſter ſollertiſſimus de perſpicuitatis virtute Oratori neceſſariò comparandâ, cōtra verò de tenebricoſi ſermonis uitio ſummâ accuratione declinando tam ſapienter exarauit? *Nam ſi neque ſegnioris* (in-

(inquit) *quàm oportet, neq; plura, neq; inordinata, aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoq; audientibus aperta: quia id ipſum in conſilio eſt habendum, non ſemper tam eſſe acrem iudicij intentionem, vt obſcuritatem apud ſe ipſe diſcutiat, & tenebris orationis inferat quoddam intelligentia ſua lumen: niſi tam clara fuerint, quæ dicemus, vt in animum eius ratio, vt Sol in oculos, etiamſi in eam non intendatur, incurrat. Quare non vt intelligere poſſit, ſed ne omnino poſſit non intelligere, curandum. Propter quod etiam repetimus ſæpè, quæ non ſatis percepiſſe eos qui cognoſcunt putamus. Quæ cauſſa vtiq; noſtrâ eſt culpâ dicta obſcuriùs ad planiora, & communia magis verba diſcendimus, quum id ipſum optimè fiat, quod nos aliquando non optimè feciſſe ſimulamus.* Sed quid ego hanc prudentiam ab ijs requiro, qui huiuſmodi ſcita, ac monita vel nunquam legerunt, vel ſi legerũt, ignauiter, ac turpiter ſolent negligere? Nolite quippe, Auditores, nolite ab iſtis tenebrionibus Oratoribus quicquã luminis expectare, euidentiæ nihil, nihil prorſus. Quêadmodum enim fœdæ laſciuiæ indiuidua comes eſt ſpiſſa quædã nubes caliginis: ita hũc ingenij intemperantis luxũ in argutiolis iſtis coaceruandis neceſſariò altæ quędam tenebræ conſequuntur, quæ orationem omni fraudãt luce, perſpicuitatem excæcant, ſenſa animi æternâ quadam nocte damnant, ac premunt. A B

86 Iam verò, etſi paulò ante dedi gratis Aduerſarijs meis ualida ab eis, & grauia, quanquam non afferunt, argumenta torqueri, nihilq;

hilq; tam acutè declamando Auditoris impediri attentionem, & do etiam modò, nihil inde ſatietatis eidem, uel faſtidij creari. At ecce ſubitò totum id mihi uel inuiti coguntur
A remittere, aut redhibere. Quid enim? ſi argumentorũ ſpicula orationis obſcuritate ab ijſdē obtundũtur, nõne perinde eſt, ac ſi inualida, ac ſi leuia, ac ſi nulla omnino adhiberentur? Si eorum uis argumentorum Auditoris animum non afficit, ſi grauitas non urget, ſi mucro non penetrat, ſi pondus non calcat; ſi aculeus non tangit, aut ferit intelligentiã: quorſũ inanis uerborũ ſtrepitus fruſtra excitatur? quorſũ concionis aures incaſſum tunduntur? nõne tãtundē plagarũ, vulnerumq; infers, ac ſi illa penitùs omnia prætermiſiſſes? Dapes, licèt exquiſitiſſimæ, ante oculos tantùm poſitæ, quandiu per os in ſtomachum non traijciuntur, latrantis famem ventris nihiloſecius leuant, quàm ſi nullius eſſent ſucci, nullius alimenti. Neq; igitur argumenta, quouſque clarè percepta, & quaſi manſa in ipſum animum non demittuntur, quicquam eum percellent, aut commouebunt.

Fabij Quintiliani auctoritate, nouisq. telis caussa Aduerſariorum configitur.

87 VErùm antequam ab his rationum tractandarum flagitijs, quæ acu-
A minum iſti vitriarij admittunt, diſcedam; iubet Q. Fabij Quintiliani, quem paulò anteq

lauda

laudaui, Rhetoris peracuti teſtimonio grauiſſimo, & ſuperiora omnia tormenta, quæ in eos hactenus exploſi, quibusq; vel peruicaces, fruſtraq; reluctantes fregi, egregiè corroborare; & alijs inſuper argumentorum miſſilibus, veluti ex machinâ, vno ictu, ſi qui B
ſunt reliqui, omnes refractarios in fugam C
conuertere. *Illa* (inquit) *ſententia ſemper vitioſa, uti a verbo* Patres conſcripti, ſic enim incipiendum eſt mihi, ut memineritis Patrũ. *Peius adhuc, quo magis falſum eſt, & longius petitum. Contra eandem ſororem gladiatoris cuius modò feci mentionem.* At digito pugnaui. *Eſt etiam generis eiuſdem neſcio an vitioſiſſimum, quoties verborum ambiguitas cum certum falsâ ſimilitudine iungitur. Clarum auctorem iuuenis audiui, quum lecta, e capite cuiuſdam oſſa ſententia gratiâ tenenda matri dediſſet.* Infeliciſſima femina nondum extuliſti filiũ, & iam oſſa legiſti. *Ad hoc pleriq; minimis etiam inuentiunculis gaudent, quæ excuſſa riſũ habent, inuenta facie ingenij blandiuntur. De eo, qui naufragus, & ante agrorum ſterilitate vexatus, in ſcholis fingitur ſe ſuſpendiſſe.* Quẽ nec terra recipit, nec mare, pendeat. *Huic ſimile in illo, de quo ſupra dixi, cui Pater ſua membra laceranti venenum dedit.* Qui hoc edit, debet hoc bibere. *Et in luxurioſum, qui ἀποκαρτέρησιν ſimulâſſe dicitur.* Necte laqueum: habes, quod faucibus tuis iraſcaris. Sume venenum, decet luxurioſum bibendo mori. *Alia vana, ut ſuadentis purpuratis, ut*

Alium

Alexandrum Babylonis incendio ſepeliant.
,, Alexandrum ſepelio. Hoc quiſquam ſpecta-
,, bit e lecto? *Quaſi verò id ſit in re tota indi-*
gniſſimum. Alia nimia, vt de Germanis di-
,, *centem quendam audiui.* Caput neſcio vbi
,, impoſitum. *Et de viro forti*, Bella vmbone
,, propellit. *Sed finis non erit, ſi ſingulas cor-*
ruptorum proſequar formas.

88 Hîc Auditores, neceſſe omnino eſt paulùm interſiſtere, & Fabium Quintilianum huc in medium vel ab Inferis aduocare. Si tantus enim, tamq; emunctæ naris vir has, quas modò recitaui, vosq; audiſtis, ac pares ſententias, licèt iocularibus inſertas declamationibus; tamen ceu vitioſas reprehendit: quid, rogo vos, per veſtram humanitatem, atq; ſapientiam, Iudices, diceret; ſi non modò iſtorum ſimillimas, ſed multo etiam deteriores atq; ineptiores, non in leuibus dumtaxat, ſed etiam in grauibus; neq; in ludicris tantùm, ſed in ſerijs quoq; Orationibus reperiret? Quid ſi non ſolùm ſcholaſticas intra palæſtras, ſed etiam in forenſibus & ciuilibus cauſſis, in Sole, & puluere? quid ſi Chriſtianus factus Orator, noſtræq; gnarus religionis, non in profanis tantummodò Orationibus, ſed in ſacris quoq; Concionibus intra auguſtiſſima Templa id genus portenta nihilo meliora, vel fortè etiam longè turpiora deprehenderet? Nimirum vel ſummâ correptus indignatione, fremeret, vel ſtupore defixus hæreret. Certè quidem nullum tam pernicioſæ corruptelæ magnî

lictum

laterum contentione vituperandæ, exagitandæq; finem meritiſſimò faceret. Cæterùm, vbi Fabius vitioſarum exempla ſententiarum receſuit, ita pergit mox illas rationibus quoq; improbare.

89 *Duæ ſunt* (ait) *diuerſæ opiniones, aliorũ ſententias ſolas penè ſpectantium: aliorum omnino damnantium: quorum mihi neutrum admodum placet. Denſitas eorum obſtat inuicem, vt in ſatis omnibus, fructibuſq; arborum nihil ad iuſtam magnitudinem adoleſcere poteſt, quod loco, in quem creſcat, caret. Nec pictura, in quâ nihil circumlitum eſt, eminet. Ideoq; artifices etiam, quum plura in vnam tabulam opera contulerunt, ſpatijs diſtinguunt, ne vmbræ in corpora cadant. Facit res eadem conciſam quoq;* Orationem. *Subſiſtit enim omnis ſententia: ideoq; poſt eam vtiq; aliud eſt initium. Vnde ſoluta ferè* Oratio, *& e ſingulis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructurâ caret, quum illa rotunda, & vndiq; circumciſa inſiſtere inuicem nequeant. Præter hoc, etiam color ipſe dicendi, quamlibet clarus, multis tamen, ac varijs velut maculis conſpergitur. Porrò vt affert lumen clauus purpuræ loco inſertus, ita certè neminem deceat intexta pluribus notis veſtis.*

Quare licèt hæc enitêre, & aliquatenus extare videantur, tamen lumina illa, non flammæ, ſed ſcintillis inter fumum emicantibus ſimilia dixeris: quæ ne apparent quidem, vbi tota lucet oratio, vt in Sole ſidera ipſa deſinunt cerni: & quæ crebris paruiſq; conatibus ſe attollunt, inæqualia tantùm, & velut confragoſa, nec admi-

ratione conſequuntur eminentium, & planorũ gratiam perdunt. Hoc quoque accidit, quòd ſolas captanti ſententias, multas neceſſe eſt dicere leues, frigidas, ineptas Non enim poteſt eſſe delectus, vbi numero laboratur. Itaq; videas & diuiſionẽ pro ſententiâ poni. & argumentum, ſi tantùm in clauſulâ & calce pronuntietur.
,, Occidiſti vxorem ipſe adulter: non feram te,
,, etiam ſi repudiaſſes. *diuiſio eſt.* Vis ſcire ve-
,, nenum eſſe amatorium? viueret homo, niſi
,, illud bibiſſet. *argumentum eſt. Nec multas pleriq; ſententias dicunt, ſed omnia tanquam ſententias.* Hæc ſollertiſſimè Quintilianus. Vtinam uerò huiuſmodi monſtra deformia, quæ ipſe proſcribit, ac iugulat, quum in grauibus Orationibus, tum in ſacris quoq; Concionibus, noſtrâ etiam ætate non ſemel audirentur, & legerentur.

90 Nunc antequàm in hac pugnâ vltra progrediar, quæſo vos, Auditores, quot quantisq; vulneribus Aduerſarios meos iam conciderim, memoriâ diligenter repetite, ac retinete. Docui enim illos nulla pleruncq; afferre argumenta. Docui ea, ſi qua afferunt, eſſe perimbecilla; vel ſi valida ſint, docui acuminum lepôrumq; pluuiâ ab illis eneruari. Docui iiſdem ſenſiculorum inculcatis paparneribus & attentionem auocari Auditoris, & ſatietatem eidem creari, & tenebricoſam gigni obſcuritatem, quæ omnia enthymematum rationumq; vim, ſi quâ eſſet, ad animum eiuſdem Auditoris permeare, aut in pectus deſcendere non ſinunt. Quare, quum

acumi-

acuminum, atq; ornamentorum iſti fartores in argumentis, quæ perſuaſionis ſunt potiſſimum inſtrumentum, tractandis adeo inſignitè, vt oſtendi, prævaricentur, erunt neceſſariò eorum Orationes ad finem proprium Oratoris adipiſcendum ineptæ, ac proinde & corrupto eloquentiæ genere infectæ, quo de vitio primo loco me dicturum recepi, manifeſtò deprehendentur.

Alterum Partitionis membrum. Ornamentorum intemperantia mores profligat.

91 QVæ ſit iſtorum facultas Oratorum, quæ ars in muniendâ firmis argumẽtis Oratione, quàm multa in his peccent, hactenus pro ſpatij ad dicendum breuitate ſatis copioſè, pro cauſſæ verò neceſſitate ieiunè admodum diſceptaui, Auditores. Iam ad mores, alterum ſcilicet eblandiendæ perſuaſionis inſtrumentum, quo etiam Aduerſarios meos deſtitui iam pridem ſignificaui, moxq; perſpicuè, etſi paucis, demonſtrabo, ſermonem lubens traijcio.

92 Per veſtrum decus, ac fidem, hominum elegãtiſſimi, atq; ornatiſſimi, (vos quippe iam appello, fucatæ patroni eloquentiæ) quinam ab Oratore mores (mitto enim interea de Auditorum moribus, de quibus paulò poſt, quærere) in ipſam Orationẽ ſunt deriuandi? Recenſete nomina, tribuite in digitos partitionem, notiones interiores cunctas euoluite.

Quid torpetis? quid fugientem refricatis memoriam? Scilicet quæ nunquam didiciſtis, vel certè malè eidem commendaſtis, exciderunt. At ego non ero difficilis, nec moroſus. Patiar vos Ariſtotelis * Rhetoricorum librũ alterum conſulere. Ille vobis vel reuocabit in mentem, vel primò patefaciet, Oratori, quò fide dignus videatur, prudentiam, virtutem, ac beneuolentiã erga Auditores in Oratione eſſe exprimendas. Quod munus ſi ei detrahatur, ſeq; ille fide dignum non doceat, quis eius ſe fidei committat; quis, quò minùs ei ſe credat, non ſuſtinebit aſſenſum? quis nõ ab eo fraudes, dolos, ac decipula metuet, & cauebit? Singula percurramus. Statue tibi Oratorem aliquem prudentiæ immunem ſeſe oſtendere. quiſquamne ſit tam vecors, vt eius conſilijs fidendum cenſeat? Sin prudens ſit, at nauiter ſimul improbus: malitioſè veritatem ab eo ſupprimi, fucumq; aſtutè fieri, nemo non ſuſpicabitur. Sit verò prudens, probusque; tamen quia iudicium pro affectu vices plerumque alternat, ac variatur; ſi non amicus, atque beneuolus vnà ſit, quî in animum mihi inducam, commodis illum meis atq; vtilitàbus quàm optimè conſulere?

93 In quo igitur primùm Oratoris eminet prudentia? Hæc luculenter ſe prodit, quum naturam cauſſæ, intimoſq; receſſus ab eo indagari Auditores intelligunt; quum quæ vtilia, atq; honeſta ſunt, cognoſci, ac prænſari, oppoſita autem declinari; quum ſedato animo

* Lib. 2. cap. 1.

mo, nulliſque commoto perturbationibus iudicari; quum in omnibus loci, temporis, perſonarumq; rationem haberi; quum difficultates, quæ poſſunt accidere, atque Aduerſariorum conſilia rerum vſu atque experientiâ prouideri, non obſcurè comprehendunt. Iam iſtorum prudentiſſimorum Artificũ Orationes ſumamus, ſi placet, in manus. Imprudentiſſimus ego, atq; impudentiſſimus prędicari volo, ſi in ijs vel tenuis vlla prudentiæ vmbra, aut veſtigiũ apparet. Si inanes glo- riolæ bullas, leuiſſimosq; popularis aurę floccos ſtudioſiſſimè captant; quî vtilia, quî honeſta ſuadere poſſunt, ne dum perſuadere? Si quò eos importunus æſtus ingenij abripit, temerè excurrunt, an quicquam illi certum ad finem ex deſtinato referant? Si toti ſunt in ſententiolis acuminibusque conſarcinandis, ſcilicet, quid loco, quid tempori, quid perſonis congruat, expendent. Ex æquo iſti ornamentorum venatores tam in urbe, quàm in tenuiore oppido, vel pago; tã ad viros agreſtes, bardosq;, quàm ad doctiſſimos, & ſapientiſſimos; tam in luctuoſo, ac funebri argumento, quàm in ludicro, & feſtiuo, denſiſſimum acuminum atque argutiarum nimbum intemperanter effundunt. An verò hi Aduerſariorum cõſilia, ac tela præcauebunt, qui in Oratione nullum habent ipſi conſiliũ, nec telum? qui id vnum cauent, ne argutiarũ ſalibus illa vbique non obruatur? qui ad inſaniam vſq; fatagunt, vt vbique omnium venerum, atque illecebrarum cinnũ ineptè cõcinnent,

A B C D

cinnent, inſulsè condiant, intempeſtiuè proponent?

A 94 Sed fortè naui iſti, ac ſtrenui Declamatores Orationis imprudentiam, vitæ exploratiſſimâ probitate deprecabuntur, aut compenſabunt. Quis credat? Hocne ipſi audent ſpondere? hoc iactare, aut innuere? o improbitatis certiſſimum præiudicium, quum probitatem ne mentiri quidem oratione nôris, probitatis tamen ſpeciem fidenter, animoſeq; profiteri! Quibus enim virtutibus, ijs præſertim, quę in aliorum exerceantur commodũ, calamiſtrati Oratores, ſacri potiſſimùm, ſe excultos poſſunt oſtendere, qui propriæ vmbrã gloriolæ ſibi magis cordi eſſe, quàm vllã honeſtatẽ demonſtrant? Quando namq. pietatem in Deum, ac res diuinas teſtabuntur, qui de tam altis myſterijs tã leuiter, tam humiliter, ac pueriliter diſſerunt? qui nullã reuerentiã, nullaq; religione iocos, & facetias ineptiſſimas interſerunt? qui Dei cultum, qui religionis Chriſtianæ incolumitatem, qui Templorum decus, qui Religioſorum virorũ obſeruantiam nulli propemodũ curæ ſibi eſſe reapſe docent? Pium illum iudicabimus, qui, quum religionis perduelles, & præuaricatores refellit, hilariter potiùs cum eis videtur ludere, quàm ſeriò decertare? quum Cælites affatur, ridenti propior ſimiliorq;, quàm veneranti apparet? Tune probum illum cenſeas, qui iuſtitiæ tam impensè fauet, vt quũ aduersùm iniquos homines leges patrias, ac

C diuinas propugnat, magis ſuſpenſus eſt, ne de toto

toto ſuorum acuminum, aut ornamentorum aceruo vel vnum, licèt ſuperuacaneum, detrahatur, quàm ut clienti ereptas fortunas, aut mendicis ſtipem aliquam, minore quidẽ pompâ orationis, ſed maiore rationum pondere reddendas, porrigendasue perſuadeat? Qui intempeſtiuis laſciuit deſcriptionibus, qui molliter inania quoque muſcaria depingit, magno, opinor, impudicos homines rubore ſuffundet, magnam ſcilicet facinoroſis conflabit inuidiam. Illumne in modeſtiæ album vllus referat, qui tam multa arroganter, qui pleraq; ambitioſè promit in mediũ? qui de ſeſe ut quàm honorificè, ita tam immeritò; de alijs autem parcè, contemptimq; loquitur? qui ſua extollit, ut aliena deprimat? Magnanimus iudicabitur, qui nihil aliud magni, nihil aliud ardui pro patriâ, uel Auditoribus ſe moliturum denuntiat, niſi quòd tenuiculis quibuſdam, ac frigidis, leuiculisq; ſenſiculis ad nauſeam ſtomachumque ciendum, totam infarcire Orationẽ non deſinet? Egone probum illum ſuſpicer Oratorem, qui ſui inflatus opinione, non meam ſalutem, ſed ſui famam uenatur? qui nõ de meo periculo auertendo anxius, ſed de lenocinijs ſermonis cõciliandis ſolicitus; non in utili ſuadendo cõſilio uehemens, ſed in nominis quærendâ celebritate induſtrius defatigatur? Illum probum ego putabo, qui arrogantiæ ſeruit? qui euanidi plauſus mancipium eſt? qui hominũ rumores minùs fauorabiles, Deo peiùs formidat? qui de Auditorum ſanandis vulneribus

 nihil

nihil laborat? qui omnia eò refert, ut glorio-
læ infinitæ cupiditati impotēter obtemperet?
Ego probum illum ſomniare poſſim, quē ſui
blandum aſſentatorem, uirtutis fucatum uen-
ditatorem; uitiorum non accuſatorem, ſed
præuaricatorem animaduerto?

95 Deniq; ſi feſtiui iſti Oratores pruden-
tiæ, probitatisque teſſerâ muniti non ſunt;
num ſaltem beneuolentiæ nomine Audito-
ribus ſe commendabunt? Deſiſtant, quæſo,
Antiſtites ſapiētiſſimi, ab his gratiam ullam
A ſperare. Illis blandiri poſſunt, palpari poſ-
ſunt, beneuolentiā ſibi eos deuincire non poſ-
ſunt. Quid enim? Qui Auditorum ſalutem
atque incolumitatem, ut paulò ante perſtrin-
xi, non dico, ſuis commodis, non, ſuis in-
cōmodis poſthabere non dubitant; ſed rumu-
ſculis ingenij intemperantis ſpargendis mā-
B cipio tradunt; qui in ipſorum ærumnis æquè,
ac in ſecundâ fortunâ hilaritatum illecebras
conſectantur; qui illos non laudant, ſed adu-
C lantur; non ingenuè, candideq; alloquuntur,
ſed ſuſpicioſis, ſinuoſisque uerbis circumue-
niunt, qui eorum gratiâ ne unò quidē, quan-
uis obtuſiore acumine abſtinerent; quâ ratio-
ne beneuolas ſibi eorundem poſſunt adiunge-
re uoluntates? Supputent igitur Logodædali
iſti Oratores apud ſe diligenter rationes,
tandemque ſe inſpiciant; atque homi-
nes ſe eſſe in fabricandâ Oratione nullâ pru-
dentiâ, nullâ probitate, nullâ beneuolentiâ,
nullisque moribus inſtructos agnoſcant. Fa-
teantur ſyncerè, nunquam, qui eſſent Ora-
toris

toris mores, aut qui moratam texerent Orationem, uſu, imò ne cogitatione quidem ſe attigiſſe; ac propterea, quum & hoc altero perſuadendi inſtrumento apertè deficiantur, tanto corruptiore eloquentiæ genere ſe eſſe deformatos intelligant.

Tertium Partitionis membrum. Immodica Ornamentorum frequentia affectus perdit.

96 Reliquum eſt, Auditores, vt videamus, an qui in argumentis, & moribus perſuaſioni extorquendæ adornandis (quæ duo erant, vt iam expendimus, prima eiuſdem perſuaſionis inſerendæ neruoſa inſtrumenta) tam præpoſterè delinquunt, in affectionibus ſaltem vehementioribus, quas in tertium hunc, poſtremumq; locum reieci, commouendis dominentur; vel ſi non dominantur, glorioſius ſaltem excellant. Sed quo pacto, aut quibus præſtigijs id conſequentur? Qui oleum, atq; operam in duplici illo munere luſerunt, an aliquid in hoc tertio melius auſpicabuntur? Qui hactenus in argumentis, & moribus diſtorto adeo gradu claudicauerunt, iam in grauioribus hiſce motibus rectiùs, credo, tibijs, ac pedibus diſcent inſiſtere. Fallor. Quid affectiones, quid motus, quot, & quales ſint, in qua Orationis parte, quando, ubi, & quem ad finem ſint excitandi, nunquam elumbes iſti A Declamatores, ne per ſomnium quidem, ſi quam

quàm mihi fidem, Auditores, habetis, uide-runt. Nam qui uerborum tot blandimentis dediti ſunt, qui aurium titillationi ita deuoti, qui gloriæ aucupio adeo mancipati tenentur, cauent ſummopere, ne ſubirati uideantur, omnemq; commotiunculam, ceu ſcopulum refugiunt. Haberi uolunt ex gratiâ, & lepôre compoſiti, mirâ afflati ſuauitate, ac uenuſtate. Si uitij odium concitandum ſit, metuunt, ne inurbanius excandeſcant. Si dolor profligatæ uirtutis inurendus, illum ſtatim orationis extinguunt hilaritate. Si timor incutiendus, animoſiores prædicari cupiunt, temereq; ad audaciam impellunt.

97 Verùm licèt etiam affectuum machinamenta admouere uellent, qui tandem poſſent? quid enim magis affectum excludit, quàm denſatus nimbus acuminum? Notiſſimum uel Rhetorices tironibus eſt, rationem ciendorum affectuum iiſdem ex locis & ſedibus, ex quibus eruuntur argumenta, eſſe ſumendam. Atqui, ut hactenus euici, ſimatuli mei Aduerſarij argumenta non uibrant, non intorquent rationes, non denſant enthymemata: qui igitur grauiſſima hæc affectuum tonitrua poſſunt edere? Illi, lacrymæ ſunt excutiendæ, huic detrahendus dolor, alius à deſperatione reuocandus, aliis ſubiectæ cupiditatis ſubijciendæ faces. At unde, obſecro, ad motus adeo grandes miſcendos neceſſariæ perturbationum balliſtæ, incitatæque Orationis arietes arceſſi, unde conflari debent, niſi ex cauſæ firmamentis, diſtributoque ra-

tionum ampliſſimo armamentario? Tu uerò hiſce affectuum fontibus ne inſpectis quidē, lepôres tantùm ingeris, & flores, unguenta, ceruſſamq́; diffundis. De verbis ſingulis mi- A
rè anxius, iq in conſilium, ſyllabas omnes metiris; nihil ſine figurâ, ſine ſententiâ nihil audes dicere quæ explicatè, dilucidoq́; ſtylo ſunt ediſſerenda, figuratè, & obſcuris inuo-
luta nodis, tanquam ex cortinâ pronuntias. B
At hæc tanta nubes acuminum gelu frigidior, quî non affectum omnem rigore conſtringat? quî non quemcunque animum, licèt æſtuantem, tepefaciat? Quomodo non omnem motum in auras illico ſoluat?

98 Sed, fac tandem hiſce acuminibus ſubeſſe argumenta, adhuc melliti iſti Oratores ex his affectus agitare nequeunt. Nam huiuſmodi ſubtilitates vt probè intelligantur, nō exiguam mentis intentionem requirunt, magnam, laborioſamq́; intelligentiæ commenſurationem poſcunt. At quis neſciat eo magis in ſenſu permotionem imminui, quo iudicij magis augetur intentio? Amore Auditor capiendus eſt, odio inflammandus, in ſpem erigendus, ad miſericordiā flectendus, aut quamlibet aliam verſandus in partem. Tu verò quid agis? Statim acuminibus gran- A
dinantem orationem exoneras, argutiarum pluuiam, aut iocorum cataractas recludis. Et B
putas iſtâ confragoſa vibrantium ſenſiculorū procellâ Auditorū animos ſuccendi, vel permoueri? Falleris. Reſtinguuntur potiùs, ac refrigeſcunt. Videas iſtorum complures, vbi

pau-

paululùm affectus tentare cœperunt, ſtatim erudita quædam, atque recondita narthecia
C interponere, tum rurſus periodos ſententiolarum ramentis fartas conuoluere. At dum his adhæreſcit mens Auditoris, motio præterfluit, hebetatur affectus. Sint verò hæc
D acutæ orationis acria ſulphurata Auditoris intelligentiæ blanda, & pergrata, at voluntatem non afficiunt. Curioſitate mentis aciẽ titillant, ſed animum non feriunt, hilarita-
E te, & nouitate intellectum deliniunt, at ſenſum minimè laceſſunt. Quocirca animus, qui iam incaleſcebat, frigidiſſimis hiſce adſperſus ſalibus, quaſi aquâ frigidâ bullienti
F lebeti ſuperfuſâ, illico refrigeratur. Neque tamen ego ab affectibus graues arceo ſententias, dummodo graues ſint, non longè ductæ, nec violenter intruſæ. Neque acutas penitùs damno. at eas volo perſpicuas, atque ad perſuaſionis finem aptè tornatas.

99 Quid amplius? Videte, quò progrediar, Auditores. Etiamſi eos omnes, qui dicenti Oratori aures dant, acutiſſimâ, celerrimaque iudicij perſpicatiâ eminere fingerem; licèt illos in tuis iſtis argutiolis dicto citiùs percipiendis nihil penitùs laborare concederem: adhuc pernego quicquam affectus iſto charactere acutè nimis dicendi moueri poſſe. Quippe Orator ſi Iudicem, aut quemcunque alium, ad quem dicit, velit incendere, ardeat ipſe priùs, neceſſe eſt. Haud quippe ſatis eſt, Auditores ipſos per ſe ad motum eſſe propenſos. Niſi enim Orator fulguret, nulla mo-

ra eſt: languent illi aſtutum, torpent, obſtupeſcunt. At verò quum luxuriantem acuminum gemmis Orationem politiſſimus ex iſtorum cœtu, ſcholaſque artifex in roſtra, ac pulpitum affert, quo pacto, rogo, poteſt ſeſe ad motum prius, incitare? Qui manu tractat glaciem, num ex glacie poteſt calorem elicere, frigusq; diſpellere? minimè, niſi rerum omnium initia, naturas, atque officia, vt corruptiſſimæ eloquentiæ turpis mēdacij ſeruitio ancillemur, confundere velimus ac perturbare. Neque igitur Orator poterit Orationem ex glacialibus contextam, duratamque acuminibus, niſi frigidiſſimè intorquere. Quid mirum? frigoris cauſsam, ſedemq; mecum, ſi placet, quæſo, luſtrate.

100 Si vis affectus incendere, quid tibi ob oculos ſtatuendum, quid ſedulâ intentaque cogitatione pertractandum eſt? Debes nimirum vires omnes colligere, atque in propoſitæ rei negotium, cauſſam, perſonasq; deſigere. At tu ad hunc caloris fontem in parandâ Oratione nunquam adis. Hæc affectuum capita mente rimari negligis, ſed per vernātium nugarum vmbroſos, frigidosq; colles vagaris. Nunquam igitur alicuius affectus vel tenuiſſimi vlla ſcintilla tuâ ex Oratione emicabit. Ego verò contra totus in cauſsâ hæreo, totus in te medullitus mihi inſculptâ perſiſto; tu per auia gratiarum vireta peregrinaris. Ego facinoris atrocitatem perpendo; tu ſollicitè argutias per ſaltus indagas. Ego

rei indignitatem mihi depingo, oculisq; Auditorum ſubijcio; tu blanditias ſenſiculorum per montes, atque agros conſectaris. Ego, ſi Reipublicæ negotium agatur, damna, vel commoda, quæ in eam ſunt redundatura, prouideo. Si ſacro verſor in argumento, verendoq; in Templo cõcionaturus ſum, vnius animæ pretium inæſtimabile, ne dum omnium, ad trutinam voco: Ieſu Chriſti Reparatoris noſtri ſanguinem oſculor; quid ſit hominem lethiferam vnam ob noxiam in Tartarum detrudi, quid præ diuinæ legis cultu Cælo inferi, fixâ mente contemplor. Cerne hinc criminũ monſtra tæterrima, illinc virtutum agmina beatiſſima. Iucurrunt in oculos præſentia pericula, noſtram metior imbecillitatem, Dæmonum potentiã, vim, atq; inſidias pondero, longas pugnas, frequentes noſtri ſtrages, raras noſtras de hoſtibus victorias obſeruo; Rurſum offenſi maieſtatem Numinis, tum ſcelerum turpitudinem, tum Mundi huius mentitam felicitatem, tum ruituri Orbis interitum, mortem corporis, ineuitabilis Iudicij formidabile tribunal totâ cogitatione comprehendo. Ex hiſce affectuũ veluti fornacibus ignem peto, hinc totus repentè æſtuo, hinc ardeo; hinc mihi in pectus amor, hinc odium deſcendit; hinc audacia, miſericordia, indignatio toto agmine in me
C ruunt. Hæc ſunt, quæ mea tranſadigunt viſcera; hæc, quæ mei animi medullas depaſcunt; hæc, quæ Concionẽ meditanti cor auferunt; hæc, quæ ſcribentem in lacrymas ſol-

quunt, ſtupore defigunt, impetuq́ue ineluctabili proſternunt.

101 Tu verò blande Declamator, crocum A duntaxat, balſamumq́; ſpirans, quum affectuum arma rotanda ſunt, quò tuam omnem induſtriam, atque conatum vertis? Tui nimirum famæ nominis diſpergendæ vel augendæ cura animo ſuffixa hæret; per florentia metaphorarum prata deambulas; per ſales iocosq; amœniſſimos ſaltas, elimatos ſenſiculos in Poeticis ſiluis ſcrutaris, longum venerum, ſcommatumq́. ſyrma vel ex Hortis Heſperidum trahis. Illa te vna, vel præcipua mordet ſolicitudo, quî acutiùs vibres incisa; quî mollius dedoles membra; quî calamiſtris periodos elegantiùs inuras; quî acuminibus, antithetis, allegorijs, annominationibus Orationem impleas, farcias, ac planè obruas. Hinc tu hilaritate perfuſus, ac renidens, neſcis frontem contra fœda crimina caperare. Hinc ſuaui quodam odore delibutus, delicias tantùm, atque blanditias vt ſapis, ita loqueris. Non audes flagitioſos aſperiùs appellare. Dummodo de ſuggeſtu, vaniſſimo aliquo inſanientis iuxta, temereq́; plaudentis vulgi rumuſculo laudatus, decedas; dummodo cum aliquâ tui nominis, ſcientiæ, iudicij, vel ingenij denuo mendicatâ exiſtimatione abſcedas; ſat opimis lautijs Orationem tuam, ſat opiparo congiario induſtriam tuam, ſtudium, conatum, laboresq́; omnes donatos, & cumulatos arbitraris.

102 At ego, quũdo affectus ſolicitare mihi

in

in animo eſt, non has verborum lacinias, A non hæc eloquentiæ crepitacula, non hanc ſtyli ceruſſatam ſupellectilem ambio; Sed me totâ mentis intentione in rei propoſitæ cauſsâ, perſonis, negotijs, euentiſque, vt dixi, defixum omnia veræ, germanæq; eloquentiæ ornamenta, hoc eſt, modeſta, ac temperata, haud inuita ſequuntur. Sponte ſe mihi offerunt, vltro ſe mihi ancillari, mea expectare iuſſa, atq; a nutu meo pendere fatentur. In quamcunq; enim velim partem, torqueri ſe patiuntur, non me torquent; Ego illa in omnem faciẽ verſo, non me illa peruertunt. Ego illis arbitratu meo pro cauſsæ vtor opportunitate, nõ abutor. Video enim hunc cunctis penè fortunis afflictum, & miſeratione capior; cerno illum a nefario ſicario contrucidatum, & indignatione cõmoueor. Aliũ iniuſtæ addictum neci cogito, & hominis innocentiam oppreſſam elatè vociferor. Verto me poſteà ad animi ſcenam? Et vnũ meretriculæ obſtrictum memini, ſtatimq; doleo. Audio alterum ore impurato, atq; ſacrilego B Deum, Diuoſq; omnes funeſtare, & illico lacrymari cogor. Aſpicio alium facinoroſum, ſceleſtum, impium, ſubitâ correptum morte, viuere deſiſſe, quò in æternũ perire incipiat; & mox totâ mente perhorreſco. C Hinc diuinæ vultum clementiæ intueor, & repentè in ſpem erigor. Scelerum turpitudinem conſidero, & odio actutum inflammor. Tot perditorum impudentiam, tot ſenum auaritiam, tot adoleſcentum luxuriam, tot puel-

puellarum temeratum pudorem, tot latronū manus rapinarum pice inquinatas, tot nobilium ſuperbum, durumq; ſupercilium, tot plebeiorum furax, ac fraudulentum ingeniũ, tot tamq; multa omnis generis monſtra horrenda animo percurro, ac reuoluo: & ecce extemplo præcordia mihi inardeſcunt; oris muto colorem, & lineamenta; pallor, ruborq; per vices vultum ſubeunt, oculi igneſcunt, vocem totam exero, contentiſq; clamo lateribus; tum ex animo vires omnes exciens, tono, fulguro, fulmino. Deniq; quum rem ipſam totam perattentè introſpicio, & circumſpicio, quoſcunq; hæc ſecum affert, aut continet affectus, eruo, induo, vibro, commoueo, omnia ſurſum, deorſumq; permiſceo.

103 At tu bellule, ac politule Declamator, dum Poetarum, atq; Hiſtoricorum editiora, vt ita loquar, cacumina circumuolitas, dum luſtra omnia viridantium ſiluarum pererras; dum philomelæ argutulis cantilenis Oratione tuâ decantandâ certamen indicis, nunquam (rurſus denuntio) quicquam tibi cōmercij cum affectibus intercedet. Vociferari poteris, obſtrepere poteris, latrare poteris; at minimè commouere. Hæc quippè tanta nugarum moles, ad riſum quidem proritandum, quum iocari lubet, accōmodata eſt: & quando in lepidis epigrammatis, in ludicris epiſtolis, in poeticis commentis, animi relaxandi cauſsâ huiuſmodi leuitates congeruntur, vel quauis aliâ in lucubratio-

ne nihil ad perſuaſionis finem pertinente, frequentantur, ijs ſanè per me indulgeatur liberaliùs, nihil veto, nō abnuo, vt diſertè iam pridem præmonui. At quum grauis cauſſa tractatur, quum ſummi momēti quæſtiones diſceptantur, quum ſeriò aliquid ſuadendum eſt; ſi quis Orator puerilibus ludat crepundijs, eâdemq; operâ affectibus illudat, dignus profectò eſt, qui ſibilis, pedumq; crepitu belliſſimè excipiatur. Faceſſant ergo, faceſſant vitioſiſſimæ iſtæ Oratorum artes;
A abeant pulcherrimi ſtyli præuaricatores, ex-
B cedant veritatis comperti ludiones, qui, nec, quid argumenta, mores, vel affectus ſint, multo minùs, quid ſit perſuaſio, vnquam didicerunt. Hoc igitur, Auditores, præclarum Aduerſariorum meorum Orationis ge-
C nus eſt, hoc feſtiuum, ſolenneq; acroama, argumentis inane, moribus vacuum, affectibus nudum. Porrò quum iſtorum Oratio intemperantium lux u ornamentorum, præcipuè acuminum, vitiata atq; corrupta, argumentis, moribus, atq; affectibus orbata ſit, vt oſtendi; quis eam ad perſuadendum ineptam, ac proinde eloquentiæ fœdâ ſpecie ſordidatam neceſſariò confeſtim non colligat, ac recognoſcat?

In confirmationem triplicis membri propoſitæ Partitionis, oſtenditur, ornamentorum redundantiã a decoro eſſe quàm alieniſſimam.

104 ETſi ea, quæ hactenus diſputaui, Patres ſapientiſſimi, ad fidẽ meam in ipſo penè dicendi veſtibulo a me oppi- A gneratam iam tandem liberandam abunde ſufficiunt; placet nihilominùs aliud inſuper meorum Aduerſariorum vitium, quo vno in ipſa argumenta, in mores, atq; in affectus ſimul ferè delinquunt, auctarij loco animad- B uertere. Nã quàm magnæ curę decorũ in totã Oratione ſeruandũ Oratori eſſe debeat, quippe quod ſi negligatur, & ipſa argumenta, & mores, & affectus non mediocriter debilitentur, ex omnibus Rhetorices magiſtris, ſat vulgò etiam teſtatum eſt. Duæ verò labes inter reliquas decôrum, opinor, maximè inquinant, vana ſcilicet leuitas, & magna turpitudo.

105 At quid, rogo, leuius, vt ordiar a primâ, quàm acuminum leuidenſis, ornamentorumq; phaleris totum Orationis, vel Con- A cionis pondus eleuare, atq; corrumpere? Si quis maximæ auctoritatis virum de re graui allocuturus, quò apud eum officioſi, elegantisq; hominis nomen aucuparetur; antequàm verbum vllum pfaceret, graphicè ſciteque choreas duceret; ſi in ipſo ſermonis ingreſſu

vno flexu ſe in orbem torqueret; mox totum corpus in altum tolleret; ſubitò deinde ſuo in
B terram pondere recellens, nunc pedes lubricaret in fugam; modò numeroſum greſſum
C intercalaret; iam modicè repedando interſiſteret; iam quinto quoq; paſſu alios inſere-
D ret modulos; nunc pedes rurſum decuſſatim quàm citiſſimè ſecaret in ſaltum; iam deniq; vtrumq; tremulâ agitatione alternatim vibraret; quis non tam lepidæ vrbanitatis nouum architectum, reapſe iocularem circulatorem, fatuumq; ſannionem putaret, ac rideret?

106 Sed eſt aliquid leue adhuc magis, & ſcurrile, vt opinor, præ manibus. Si vnquā enim homines in omnem ſe ſe leuitatem effundunt, ſub Bacchi potiſſimùm non tam ferias, quàm furias, quibus laruarum licentiæ paſſim indulgetur, Chriſtiani etiam (o Chriſtiani nominis, & religionis ſacroſanctæ dedecora!) huic amentiæ ſe dedunt, ac deuouent. Inter laruatos verò nulli leuiores,
A nulli inſaniores, quàm petauriſtæ, atque chi-
B ronomi, quos nos Itali ab affinitate ſtultitiæ vernaculo nomine *Mattaccinos* appellamus, per plateas ludibundi ſpatiantur. Nunc date mihi, quæſo, hanc veniam, viri prudentiſſimi, atq; grauiſſimi, vt poſitâ tantiſper graui Oratoris perſonâ, ad expingendas, explodendasq; iſtorum deſcriptiones intempeſtiuas, tempeſtiuè ego in præſens per nonnullas deſcriptiones ad rem, quā vrgeo, bellè appoſitas paulò vberiùs deducā ſtylū. Agite

Chiro-

Chironomorum mores,ac ludos nunc hilari
ſpectate. Veſtes ſunt ijs ex toto rubræ, vel C
coccineæ,ad curſum,ſaltumq́;expeditiſſimæ.
Tibialia,ac ſubligacula quàm arctiſſimè cir- D
cumducta induunt. Brachia,humeros,pec-
tus, ventremq; anguſto panno ſeuerè caſti-
gant,& premunt. Nullæ eo in habitu exun-
dantes, vt ita loquar, laciniæ, nulli inflati E
ſinus. Summa cutis tentâ ſupra telâ ſine vllâ
rugâ,vel ſtriâ eleganter adſtringitur. Gale-
riculus turbinatus, graciliq; crepitaculo in F
cuſpide fixo, ſtridulus, capitis operimentum
eſt. Inde vultus laruâ ridiculè, ſcurriliterq́;
vultuoſâ, rugis caperatâ, genis extuberanti- G
bus, naſi enormi proiecturâ, ore in cachin-
nos ſoluto, obducitur; quantoq; magis facies
diſſimulatur, ac tegitur, tanto magis ſe ſe
vecordia prodit, ac detegit. Sub mentum
totus colli, atq; ceruicis tractus lineo focali H
inuoluitur. Pendent ex humeris carbaſinæ
tæniæ, croceis reuinctæ ligulis, auræ prorſus I
ventoq́; nuncupatæ. Interula etiam, atq; K
ſubucula, feneſtrato hinc atq; illinc amictu, L
paululùm eminet. Infra poplites exiguæ ex
aurichalco glandes plumbeo intrinſecus glo- M
bulo tinnulæ, atq; in reſtim diſpoſitæ, tan- N
quam torques, fibulâ connectuntur. Demũ
imis pedibus calceoli repandi ad omnem O
agilitatem facti, vel ipſa Mercurij talaria P
ipſis affingunt.

107 Ita perſonati, conformatique, in om-
nes luſus ſeſe læti,tripudiantesq́;impendunt,
atq; vt riſum cieant, ingenium, vires, tech-

nas doloſq; vniuerſos ſedulò periclitantur.
A Quà popellus,ſimplexq; turba conglobatur
dexterè pedem inferunt. Tum omnibus pri-
B mùm blandiri; pelliris chirothecis mulcere
comiter adſtantibus barbam;admotis leniter
manibus prenſare, palpareq; ſingulorum hu-
meros; deinde ex inopinato huic pileum de-
C trahere, illi pallium, alteri penulam; alium,
ſubductis improuisò pedibus, in terram arie-
D tare. Hinc ludicro hilares furto, ſubſultan-
E tes aufugiunt: pauci expilati, expalliatiq;
indignantur, fremunt, uociferantur: cæteri
plaudunt, rident, cachinnantur. Non illi
reliquorum more gradiuntur, ſed uno pede
producto, altero retrorſum hærente, intec-
tasq; manicis manus ſtrenuè, celeriterq; com-
plodentes; tum earum alteram ſupra oculos
tanquam in ſpeculam, aut in oculorum, ut
F ita dicam, tectum, atq; ſubgrundam erigen-
tes; alteram uerò curuato brachio, ceu anſam
cingulo affigentes, in latus obliqui feruntur:
mox altero paſſu in contrariam partem ſeſe
uertentes, eaſdem repetunt geſticulationes;
atq; ubi ſemel iterumq; ita utrinq; nugati
ſunt, extemplo ſaltus congeminant. In uia
porrò ut nullam habent, quò tendant, metã;
ita non eunt, ſed errant; non ultra pergunt,
ſed repedant, non pedes explicant, ſed cru-
ciant. Nimirum ſummis pedum digitis in-
ſiſtentes, ueſtigia, greſſumque nonnihil ſuſ-
pendunt, at paulò poſt ſolum libero curſu
præteruolant. Nec mora, alij inflexo in
G uoluntarium gibbum dorſo, manibusque fe-
mori

mori innixis, inclinatam illius molem ful-
cientibus, ex interuallo tranſuerſi ſubſiſtunt:
alij contra, diuaricatis tibijs ſingulos im-
mani ſaltu tranſiliunt; tum ita ſuperatis om-
nibus, eodem modo ſe arcuantes, ab alijs K
viciſſim tranſiliuntur. Rurſus, officijs pe-
dum, manuumq́; commutatis, aërem pedi-
bus, manibus terram recti, ſed inuerſi per-
currunt, aut alternatim pedibus, manibusq́;
circumactis, tanquam radijs in rotam emiſ-
ſis, aream dimetiuntur. Nec deſunt, qui in
ſupremas domorum adiacentium contigna-
tiones, non per ſcalas, ſed extrinſecus per
feneſtras, per clathros, per podia, mirè L
penſiles, euadant. Quin aliqui etiam ſe per
multiplices, erraticosq́; circulos incredibili
pernicitate traijciunt; nonnulli auerſo capite
terram ſtantes contingunt; omnes poſtremò
tam inſanè pandiculantur, plicantur, con- M
uoluuntur, extenduntur, vt facilè eos, ſi lu-
beat in re ludicrâ cum Plauto ludere, eno-
datos, exoſſatos, exdorſuatos cenſeas. Quid N
igitur hiſce geſticulatoribus, atq; chirono-
mis leuius, quid inconſtantius vnquam vi-
diſtis, Auditores?

108 Ego verò ſaltatriculas feles multò ad-
huc quum leuiores, tum iocoſiores etiam
exiſtimo. Nam quum genio inuitante, omni
ineptiarum genere laſciuiunt, cernas illas
veluti ex condicto mutuò concurrere; collatis A
dimicare pediculis; euaginatis digladiari
falculis, varijs ſeſe amplexibus implicare, B
implicatas ſurſū, deorſumq́; verti, voluique: ac

audito fortuito bombo, aut ſibilo, ſi quis tinnitus aures ipſarum perſtringit, vmbratili expeditas luctâ, protinus faceſſere; magnoq; ambitu circumcurſantes, nec non diuerſis ſeſe mæandris per vices fallentes, atq; fruſtrantes, ſubdolè ludificari. Quod ſi quam muſcam, aut veſpam obuiam offendant, illico noua ordiuntur prælia. Intentis in eas inſiliunt pedibus, auolantes ſaltu præhenſant, ori imminẽtes hiantibus faucibus fruſtra captant, irritis verberibus impetunt, errantes per aërem iratæ, ſed incaſſum inſectantur. Hinc veluti feſſæ, receptui canentes, tantillùm quieſcunt. In terram ſupinæ ſeſe porrigunt, in latus omne volubiles ſe agunt, ore, dentibus, vngulis, pedibus ſecum ipſæ rixantur. Sed nimirum haud diu in eodem hærent veſtigio. Momentò ergo rurſum in pedes aſſurgunt, ſolicitæ aures ſurri-
C gunt, caput attollunt altiùs, cæſijs, fixisq; oculis circumſpiciunt. Tum paſſus veluti numerantes (diceres grauem ab illis perſonam ſumi) pedetentim, magno ſilentio, ſedatè, lenteq; perrepunt. Simul autem quis pilam eis temerè fortè obiecerit, tum ſubitò illæ redire ad ingenium. Nempe feles, nem-
D pe æluri ſunt. Ludum præproperè redintegrant, rurſum micant ſaltulis, rurſus maiore impetu irruunt; obiectam pilam actutum
E pedũculis corripiunt; mox quaſi pœnas de captiuâ exigentes, aduncos in eam vngues
F impingunt, eandem ceu quibuſdam talitris vellicant, imprudenteſq; a ſe longè abigunt

ac repellunt; ſed abactam tanquam fugitiuam illico reprehendunt, reprehēſam denuo abijciunt. Inter hos verò luſus recens certaminis cura, aliaq́; iterum pugnæ moles ingruit. Ipſamet cauda blandè vibrata bilem, vel gelaſinum, ſi quis beſtiolæ ineſt, feli mouet. Repentè igitur & huic etiam bellum G indicitur, ſtatimq́; dentes, & pedes in ventilatum illud flabellum, atq; muſcarium armātur. In gyrum circumuoluitur ſecum dimicans, H refugamq́; ſemper caudam vecors bellua diu multumq́; in orbem caſſo labore perſequitur, donec fatigata tandē, victaq́; vertigine, in latebras penè indignabūda diuertit. Hîc ſi qua inſecta ſerpentia, aut volitantia I offendit, vel aliqua aranea in Sole ſua deducit ſtamina, improuisò catus, quaſi ex inſidijs, librato corpuſculo in medium proſilit, K incauta animosè adoritur, capta auidè rapit, ac vorat. Quid porrò de prælijs, quæ cū ſoricibus ſanè cruenta perpugnax felis conſerit? Tunc enimuerò non ludo vacat; ſed prædæ: quâ vbi potita, debellatum murem confeſtim in triumphum ducens, hominum coetus, & coronas, theatrum ſuæ virtuti par, plauſumq́; ſuæ ſtrenuitati debitū quęrit: tum prehensū, exanimemq́; ſoricem in medio ſiſtit, miroſq́; ac meros ludos tota iocabunda edit. Falculis eum huc, atq; illuc agitare, in altum tollere, in latus abijcere, oculis adſtantium oſtendere, vngulis fodicarę trepidantem, elapſum curſu repetere, ſolitarium circumeundo obſidere, deinde oculis aliò coniectis, verſoq́;

H 2 tergo,

tergo, finem quaſi ſæuiendi facere; prædæ neglectum præſe ferre; & reptabundo muri euadendi facultatem dare. Sed e veſtigio conuerſa, infelicem animantē rurſum inuadere, pauloque progreſſam ex fugâ retrahere, retractam demum laniare dentibus, & peracto triumpho, tanquā epulum merita, ſuauiter mandere, & conficere.

109 Verùm hæc omnia, quæ minimè malignè ego deſcripſi, quàm leuia ſint, & primo fortaſſe aſpectu meam etiam eleuent orationem, ipſiq; decoro, quod in meis Aduerſarijs deſidero, non leuem hîc quoque notam inurant, ſatis per me intelligo, Auditores. At niſi planum fecero, hanc totam leuitatē iſtis exuberantium ornamentorum, maximè acuminum glutinatoribus eſſe præcipuè ſolemnem, eaq; cuncta, quæ commemoraui, ad amuſſim quadrare; ego ſanè leuitatis noxiam non deprecor, neque vos, quin me vt leuiſſimum iure rideatis, verbo vllo deinceps interpellabo. Et cui, quæſo, etiam non ſollertiſſimo, Patres ampliſſimi, non vano, ſed certo præiudicio, exploratum nō ſit; quàm leuis iſtorum Oratio, quàm nugatoria, & friuola ſit; quando quidem illam nemo ne reprehendere quidem ſatis cautè, ac dignè poteſt, quin vel ſola eiuſdem expoſitio aliquam leuitatis ſuſpicionem, ſi quis rem penitùs non introſpiciat, ipſi etiam reprehenſori importet?

110 Saltatoribus primùm comptos hoſce Declamatores multo leuiores animaduertite. Antequam enim immortale illud facinus im-

mobilis D. Caroli conſtantiæ (hæreo perſpicuitatis gratiâ in vſurpato ſępius exemplo) ſimpliciter explicent, quid non offuciarum, quid non ineptiarum inſulſi hiſtriones eſſutiunt? priùs quàm, quod volunt, aut certè debent, expromant; quoties argutiolis ſaliunt? quot per anfractus ſinuantur? quot annominationibus, quot antithetis, quot piperatis dictis Orationem interpungunt, præcîdunt, dilaniant? Iam in perennem ſenſiculorum gyrum rapiuntur; iam ſe in allegoriarum latebras abdunt; nunc per agnata nomina curſunt; iam varijs tripudiant notionibus; nunc per omnia rerum adiuncta toto cælo diſiuncta, tanquam pulices, gryllique ſaltuatim incedunt. Deinde, vbi diu multumq; ita ſaltando iactati ſunt, tunc demum (o peruerſitatẽ!) ſubdunt, neſcio, quid de D. Caroli conſtantiâ frigidum planè, atq; inuenuſtum. At quid hoc aliud eſt, quàm Auditorum abuti humanitate, atq; patientiâ, apud quos, quum te D. Caroli conſtantiam prædicaturum initiõ pollicitus ſis; per tot poſtea metaphoras, per tot acumina, per tot lumina, per tot ſententiolas tam pueriliter nugatus es, vt non Oratoris tibi nomen plenum venerationis & maieſtatis, ſed leuiſſimi hiſtrionis, ac ſaltatoris notam pepereris?

112 Et quinam, rogo, ſaltatores illi ſunt, qui Bacchanalia toto anno ludunt, niſi Aduerſarij mei, qui quoties dicunt, aut ſcribunt; in omni cauſsâ, locoque, omni deniq; tempeſtate intempeſtiuè ludunt? Hi ſunt belli illi

logodædali, qui in quacunque Oratione, vel Cōcione chironomos abſurdè agunt, ac reddunt. Quippe niſi ſingula vocabula niteant minio, ac purpurâ, vt abiecta, ſordidaq; ſtomachantur. Hinc eorum veſtes ſine vllo verecundiæ rubore vndiq; ad inſaniam vſq; rubicundas intuemini, Auditores. Vndantes amplificationis ſinus, atq; lacinię apud illos nullæ. Singula membra conciſa minutiùs, tanquàm ramenta hinc, atq; illinc temerè ſparſa vibrantur. Plumbeorū acuminū crepitacula, non tantùm circa confirmationis, vt ita dicā, pectus, ſed in ipſo etiā exordij capite, in ipſis perorationis quoq; pedibus aſſuta reperietis. Obſcuræ verò illæ, longeque per vim tractæ metaphoræ, tum inuolutæ, perſonatæq; allegoriæ, illæ illæ tam denſæ putidorum ſenſiculorum cruſtæ, quid niſi ſcurrilem, rugoſā, A monſtroſamq; laruam nobis conficiunt? At quanta ſe ex tenebricoſis iſtis operculis pādit amentia? Quum autē tam importunè tenuiſſimas deſcriptionum a cauſsâ alieniſſimarum tænias argutiarum ligulis reuinciunt, an nō auram aduocare flabello, quumq; argumentorum interiorem tunicam, leuiter tantùm ea B perſtringendo, per inciſa dumtaxat, perq; cōſectariorum tranſennam oſtendunt, an non controuerſiæ neruos eneruare, vel certè modicè ſolùm proferre videntur? Præterea, quorſum creber ille, continenſq; antithetorū tinnitus; quorſum illa exilium ſpirituū frequentamenta; quorſum illa Poeticorum colorum diſceptio; quorſum illa pigmentorū omnium

expilatio, niſi vt nobis chironomorum geſticulationes, ac iocos repræſentent? Nolite, Iudices, expectare, vt nugiuendi iſti rectis aliquando pedibus inſiſtant cauſſæ: ſemper tranſuerſi, ſemper in latus, obliqui ſemper, in aduerſum ſemper palantur: iam ſupra rei dignitatem turgent, atq; inflantur; iam infra ſeſe abijciunt, ac repunt. Quoties a rei propoſitæ vno veluti latere in contrariũ repentè ſe vertunt? quoties in gibbum quendam prætumidum conglobatæ eruditionis, vel ineptæ digreſſionis, aut certè magnæ de ſe exiſtimationis hinc extollitur, illinc omnes eloquẽtiæ leges, omnia ſcita, & iura fidei, neceſſitatis, ſalutis, atq; officij tranſiliunt? Quoties peruersè triſtia ſtylo hilari, iucunda lugubri, quaſi in terrã manibus inambulantes, ediſſerunt? In ipſam cauſſã per ianuam cõgruentis inſinuationis non ingrediuntur; in intimos quæſtionis receſſus, ſuperioresq; contignationes nõ per ſcalas aptæ diſpoſitionis aſcendũt; ſed extrinſecus per abrupta exoticæ doctrinę, D
per cautes inſolentium myſteriorũ, per ardua E
cerebroſæ cuiuſdam tractationis Orationem F
præcipitãt. Poſtremò, tantâ leuitate ad quãcunque argutiolam captandam, ſeſe omnem in partem flectunt, vt nulla prope in eis oſſa argumentorum appareant; vel ſi qua ſint, ita fracta, luxata, & comminuta cernantur, vt illos quilibet vel ex primo ſtyli ac dictionis occurſu chironomos planè exoſſatos illico, nulloq; negotio deprehendat.

113 Mentiar iam viri grauiſſimi, niſi iſti

ipſi Declamatores felibus quoq; leuitatis palmam præripiunt. Redite paulùm, ni moleſtum eſt, in memoriam, quàm affectatis colludant antithetis, quàm impeditis ſententiarum nexibus illaqueentur, quàm implicatis ſubtilitatum nodis, plagiſq; circumretiantur. Age verò, nonnulla alicuius acuminis inſuper cudendi opportunitas affulgeat: derepentè id magna ambitione, longoq; circuitu, Auditorum interim expectationem, qui rei expetunt, poſtulantq; explicationem, fallentes, & ludificantes, diligenter veſtigant, laborioſeq; rimantur. Et ecce tibi felis errabundos diſcurſus. Facetiam quoſcunq; ſales, atq; dicteria, tanquam muſcas, aut veſpas temerè intercurrere; atq; ad hæc extemplo venanda, relicta, quam verſabant, ſi tamen verſabant, ac non potiùs euertebant, quæſtione, illos feſtinare, conuolareq; perſpicies. Quum autẽ eam Caroli plumbeam pilã ſemel nacti ſunt, quantã iſtarum venerum copiã illã ludunt, illudunt, delicias faciunt? Cernis, vt eam ceu captum murem in medio Auditorum collocent? vt ſui ingenij venditãdis prodigijs theatrum, plauſumq; quærentes, vibratis affinium verborũ apicibus, huc atq; illuc eandem pellant, ac repellant? Cernis, vt acutiore ſtylo rapiant? vt molliore culeu lambant? vt parcentem vulneri Præſulis ſanctiſſimi conditis gratijs demulceant? Cernis, vt ſubtilioribus ſenſiculis in altum tollant? vt ſarcaſmis in latus abijciant? vt deſcriptiunculis ad ſtantium oculis admirandã ſubijciant? vt exoneranda is acu-
 mini-

minibus circumerrando, cõtinenter obſidcat?
Cernis, vt illam miſſam ſe facere, ac poſt tergum veluti reijcere ſimulantes, ſermonẽ aliò transferant, ſed rurſum aliarum ſententiolarũ falculis eam improuisò adoriantur; ex fugâ quaſi, annominationum vncinis retrahant, B
antithetorum forficibus, dentibusq; lacerent, C
penitùs exenterent, totamq; demum glutiant? D
Nempe felis cũ ſorice pugnat, ludit, iocatur, nugatur, epulatur. At rurſum iſti acuminũ longam caudam ducunt, ac ventilant, eamq; in volubilem ſenſiculorum orbem agitatam, euntem, ac redeuntem argutiarum vnguiculis ſiſtere, ac tenere moliuntur. Tandem verò tã multiplicium id genus intemperiarum vertigine, de rei propoſitæ cauſsâ deiecti, pauliſper quieſcunt; ſed ita quieſcunt, vt alijs atque alijs huiuſmodi apinarum captandis araneis, quanquam feſſi, in diuerticulis toto animo excubent. Quid vultis amplius? Quum tantâ erraticorum acuminum agitatione ineptiant; cui dubium ſit, ſaltatrices inter feles eos eſſe numerandos? Imò ſicut in celebrioribus Vrbibus qui in cœtum, atq; album reliquorum artificum referri vult, ante quàm artem vllam profiteatur, artis aliquod ſpecimen egregium præbeat, neceſſe eſt; atq; ita qui Pictoribus annumerari cupit (Idẽq; ſtatuite de cæteris) omnem induſtriam, ingenium, & ſedulitatem adhibet, colores legit præſtantiſſimos, penicillos conformat tenuiſſimos, quò tabulam quàm elegantiſſimã omnibus abſolutam numeris, atq; a cunctis

approbationem, ſuffragiumq; impetraturam expingat. Haud aliter profectò iſti quoq; acuminũ inſtitores, vt in leuium hiſtrionum, ſaltatorum, chironomorum, feliumq; Collegiũ cooptentur, leuiſſimarum venerum redundantiâ laſciuiunt; leuiſſimas Orationes, atq; Conciones texunt; in omnem poeticam licẽtiam leuiſſimè inuolant, leuia omnia antithetorum crepundia depeculantur, leues omnes vnguentatæ dictionis arculas diripiunt, leuia omnia fucatorum ornamentorum nar-
E thecia funditùs exhauriunt. Heus vos onera-
F ta acuminibus ſeruitia! deſinite tandem. Satis iam nugatũ, & leuitatum cõportaſtis. Iam hiſtriones eſtis, iam ſaltatores habemini, iam chironomi, feleſq; cēſemini. nemo vos quæſito calculo, quin leuitatis ſpecimen inſigne dederitis, ipſoſq; etiam hiſtriones, ſaltatores, chironomos, & feles leuitate viceritis, fraudare, aut fruſtrari poteſt. Verùm de meorum Aduerſariorum in dicendo leuitate, Antiſtites ornatiſſimi, pauca iſta modò ſufficiant.

114 Quum igitur elegantes iſti Oratores tantam ſuis in Orationibus leuitatem in delicijs habeant, vt cum leuiſſimis quibuſq; artificibus, ac brutis de prærogatiuâ certent; quæ, obſecro, decori ſpecies ab ijſdem, niſi temerè, expectari poteſt? qui dignitatis color integer, quæ grauitatis incorrupta veſtigia, quæ frons, quæ lineamenta, quæ vmbra? Si hiſtriones, ſi ſaltatores, ſi chironomi, ſi petauriſtæ, ſi æluri leues ſunt; meritò & iure

leues ſunt, culpâ vacant, ſapientemque,vt ita dicam,deſipiunt. Nam dum huiuſmodi artes, atq; perſonas quàm leuiſſimas agunt, ſimul etiam talium artium, ac perſonarũ maximè propriam leuitatem profitentur; atq; adeo ſuo congruenter officio, decoreq; admodum omni leuitati velificantur. At eos, qui inter Oratores,grauiſſimos nempe viros, nomen ſuum profeſſi ſunt; qui munera hæc dicendi adeo magna,atque illuſtria ſuſceperunt; qui graui in cauſsâ, in graui Panegyrico de viro ſanctiſſimo, atq; grauiſſimo Carolo grauem aliquam de grauibus eius, admirãdisque virtutibus perſuaſionem, imitationẽque, grauibus præſertim Auditoribus inſerere omnino debent; in hiſtriones,in ſaltatores,in petauriſtas,in chironomos,in feles monſtroſâ leuitate conuerti; omiſsâque grauium argumentorum veras laudes enucleantium, atque exaggerantium impreſſione,hiſce ineptiarum crepitaculis,ſiſtrisque ludere, A ridere, ſaltare; vnaque eneruari, luxari, ac pandiculari; quàm abſurdum eſt? quàm indignum? quàm omni infeſtum decoro, ac penitùs aduerſarium?

115 Vtinam verò Aduerſarij mei, quos adeo leues oſtendi, non multo eſſent in dicendo turpiores. Haud multis ad id probandum opus eſt. Quid enim fœdius, ne dum leuius, quàm in Oratorio, vel Cõcionali ſuggeſto, quod illi factitant, ſcurrilem agere hiſtrionem, leuem ſaltatorem præſtare, nugigerulum exprimere chironomum, geſticu-

A Alariam, deliramque felem æmulari? Si ma-
B trona honeſtiſſima, aureâ cyclade, ac pallâ repudiatâ; ſi Regina plena dignitatis, & ma-
C ieſtatis, regium aſpernata mundum, atque ornatum, meretricio ſe cultu, luxuque exornaret; ſi calamiſtro intortos capillos in ſcenam quandam, ac theatrum explicaret; ſi antę frontem pendulos, auráque euentilatos crinium anulos demitteret; ſi ceruſſâ minioque vultum, formamue mentiretur; ſi mul-
D tiplici redimiculo, ſi gemmeis ſpiris, ſi cro-
E ceis, luteiſque amictorijs, ſi verſicoloribus,
F ſegmentatiſque lacinijs ita eſſet cõformata,
G vt tanquam ſcortum illico ganeam, ac luſ-
H tra olere videretur; quàm turpiter flagitioſeq; ab honeſtate degeneraret? quæ in ea pudoris, quæ modeſtiæ, quę verecundiæ norma, apex, aut reliquiæ vllæ ſupereſſent? Verecundiæ autem! Imò perfrictæ frontis, atque impudentiæ tanquam hedera extrinſecus ſuſpẽſa, expoſitumque tropheum appareret. Quid ſi deinde fœmineum indignata ſexum, in marem, virili induta habitu, ſeſe tranſcriberet? an non, vbi muliebres veſtes exuit, omnem vnà pudorem, atque honeſtatẽ exuiſſet? Adde prætérea aliquem, ætate quidem, ac munere grauem virum, at fœmineis amictum veſtibus, muliebrique ſpecie ſpatiari per urbem. Finge, Heliogabalum, effœminatum illum Imperatorem ab Inferis reducem, rurſus ſe
I more ſuo, poſitâ Imperatoriâ chlamyde,
K verſoque paludamento in pallam, acinace in
L colum, ſceptro in fuſum, clypeo in calathum,

 mulie-

muliebrem in formam abijcere, interque feminarum gynecea, fila ducere, ac penſa exigere. Quis vnquam tam pudendum decori probrum, tamque inuerecundum grauitatis dehoneſtamentum ſat dignis conuicijs, iuſtiſque diris defigeret?

116 Atqui iam nemine, opinor, fugit, quàm honeſtiſſima, iuxtaq; grauiſſima matrona ſit Eloquentia. Imò quæ alia Regina tam potens omniũ tenet ſceptra animorũ, quæ omniũ gẽtiũ, atq; nationũ imperio tã magno, uaſtoq; potitur, quàm hęc ipſa regia Eloquentia? Qui ergo hãc regijs nudant ornamentis; contraq; meretricijs unguentis, ac fucis contaminant; qui argutiarũ cirros, & metaphorarũ capillamenta tam molliter criſpant; quin etiam A ſubinde in ſubſellia quædam, in cuneos, in podium, in gradus critici cuiuſdam amphitheatri, ad ſpectaculum apertiſſimæ affectationis, atq; oſtentationis edendum, fabricantur; qui acuminum minio, ſententiarum redimiculis, antithetorum lacinijs, deſcriptionum ſpiris, agnominationum ligulis, C reliquarumq; gratiarum luxu eandem Reginam animorum in habitum formamq; meretriciam migrare cogunt; quo pacto tandẽ vllum verecundiæ, aut honeſtatis veſtigium ſibi adhuc haerere doceant? quomodo tam manifeſto lenocinio, ac meretricio vllum D aliud pretium, quàm ſummam turpitudinẽ, ſtolidiſſimæ ambitioni ancillantem, numeratum eſſe, ac perſolutum inficiari poſſunt? Quid ſi non contenti, Reginam eloquentiæ

publi-

publico, vulgatoq; Oratoriæ artis adulterio,
in ſcortum, & meretricem a ſe eſſe couerſam;
iam in alium inſuper ſexum, hoc eſt, in vi-
rilem, virili amictam togâ; & maſculâ qui-
dem ſimulatâ ſpecie, ſed meretriciâ retentâ
fronte, vultuq; eandem tranſire compellant?
Virilia quædam obire munera, hoc eſt, cauſ-
ſam proponere, diſtribuere, confirmare; ra-
tiones, mores, atq; affectus adhibere; de ſa-
cris, profaniſq; rebus diſſerere, docendi, ob-
lectandi, mouendi, aliaq; id genus officia
tentare interdũ eidẽ ſanè permittunt. at me-
retricio ſtylo, meretriciaq; verborum licen-
tiâ omnia peruertentes, in eodem planè tur-
pitudinis cœno indecenter adhuc quàm ma-
ximè volutantur.

117 Quid ſi ipſum iã Oratorẽ, cui hæc Re-
A gina Eloquentia nuptui collocatur, eumq;
Regem, ſceptro, atq; imperio animorum in
manus tradito, creat, quàm honeſtè ab Ad-
uerſarijs, pulchreq; habeatur, contemple-
mur? Quoties iſti tantum, tamq; inuictum
fori, curiæ, ſenatus, & templorum, domi
foriſque, in vrbe militiæq; Imperatorẽ; Tul-
liani, hoc eſt, regij ſtyli paludamento in
B muliebrem elocutionis pallam; ratiocina-
C tionis gladio in arundineæ eruditionis colũ;
affectuum ſceptro in argutiarum fuſum; re-
D futationis clypeo in deſcriptionum calathum
commutato; turpiſſimè effeminant, perfric-
tæq; frontis mulierculæ ſpecie non tam con-
formant, quàm deformant? Quò igitur iſto-
E rum fœditas vltra progredi, aut quod ei aue-

carium

tarium inſuper adijci poteſt?

118 Quare quum Aduerſarij adeo ſuis in Orationibus quum leues, tum etiam turpes, vt docui, ſint; quæ duæ res potiſſimùm decorum, vt memoraui, de medio tollunt: quis hinc ſuopte nutu non conficiat, quàm magnas illi, quàmque inexpiabiles cum omni decoro exerceant ſimultates? Porrò quum decorum ab iiſdem tam flagitioſè affligi, turpiterq; compertum ſit: quî tandem argumenta, quæ ex cauſſæ viſceribus erui debent, ſine decoro tractata, quaſi, inciſis neruis, mollia fractaque, nõ langueſcant? quomodo mores, qui ab ipſomet Oratore ſunt exprimendi, ſine decoro adornati, omnem fidem non eleuent? quâ ratione affectus, qui ab ipſis Auditoribus euocantur, ſine decoro titillati, vi ſuâ non fruſtrentur? Quis enim argumẽtis aſſentiat, quæ magnâ cum leuitate, ac turpitudine coniuncta animaduertit? Quis mores eos amet, aut ſuſpiciat, quos ſubleſtis, fœdiſque hiſtrionibus, ſaltatoribus, ac felibus videt nihil ferè concedere? Quis ijs ſe commoueri affectibus grauiter ſinat, quos ridiculo, deformiq; aſpectu ſuis occurſantes auribus, atque oculis experitur? Neglectâ igitur, omiſſaq; decori curâ, quis non videt, in omnia ſimul probationum genera, in rationes nempe, in mores, atque in affectus, vt denuntiaui, neceſſariò delinqui?

119 Quæ quum ita ſe habeant, Auditores, quod dudum antea ſub ipſum propè dicendi initium vobis pollicitus ſum, iam ſatis prolixè

ACTIONIS PARS ALTERA; ET REFVTATIONIS PRIMVM CAPVT.

In quo palàm fit, Ciceronianæ Corruptores Eloquentiæ verâ ingenij laude carere.

120 DE pulcherrimâ eloquentiæ formâ a phaleratis Oratoribus, atq; Concionatoribus, exuberantiū ornamentorum, præſertim acuminū fartoribus, manifeſtò corruptâ, quã in primo huius orationis meæ ingreſſu fidem dedi, hactenus diſceptãdo, ſat ſuperque, Auditores, iã exolui. Nunc lubet vltra pergere, ac promiſſis aliquid inſuper addẽdo, ex iiſdẽ percontari placet, quid cauſſæ eos ad nobiliſſimam regiæ eloquentiæ ſpeciem deſerendã; contra verò ad vitioſiſſimi ſtyli characterem, vel nouum, vel renouatū denuo iam inuehendum impulerit.

Nimio

Nimiorum aucupes Ornamentorum, omiſſa perſuadendi cura, Ingenij ambiunt prærogatiuam.

151 PErſuadendi vim, ac palmam ſanè, inquiunt, perdidimus; argumentorum robore deficimur; morum exprimendorum gratiâ caremus; commouendorum ſpe animorum, noſtramq; in ſententiam orationem compellendorum iam diu excidimus. Hoc diutius, ſaluo pudore, inficiari nõ poſſumus. Fatemur candidè non inuiti. At hanc quantamcunq; iacturam alio quàm exaggerato lucro redimimus. Nam licèt perſuadendi neruo ſuccumbamus, ingenij tamen longè præſtantioris laude certè antecellimus, omnesq; facilè ſuperamus. Nos nos ingenij exquiſitiſſimi gloriam (quis enim hanc nobis inuideat, aut detrahat?) per has acuminum, atq; argutiarum illecebras, perq; cætera ornamẽtorum lenocinia conſequimur immortalem. Nos ſummã de eximijs intelligentiæ noſtræ dotibus exiſtimationem colligimus. Nos in admirationem tam ſubtilium ſententiarum ex acutiſſimâ mentis noſtræ acie emicantiũ vniuerſos rapimus Auditores. Si enim in laudatiuâ S. Franciſci Xauerij Oratione, aut Concione (vt fidem exemplo faciamus) omnia illum Apoſtoli ampliſſima munia impleuiſſe, probandum eſſet præcipuè; quàm ingenioſè, quàm acutè prodigium illud memorabile, quum marinus cancer Chriſti è cruce pendẽtis ſigillũ de manibus Xauerij inquietã

nauis

nauis agitatione in mare lapſum, vel excuſ-
ſum ad eundem retulit, hoc ſplendido dicen-
di genere deſcriberemus?

122 *Deuoratâ a maris efferati rabie Chriſti
Domini in crucem acti effigie, dat ſe in preces Xa-
uerius, ſacriq; naufragij ſibi per quàm luctuoſi
exuuias, omnibus Oceani gemmis pretioſiores, atq; A
cariores enixè petit, ac repetit. Vidiſſes ſubitò
Pontum ab imis reuolutum ſedibus, ſolito impo-
tentiùs fremere; nunc ſeſe in altum tollere, nunc
in ima diſcedere, tonare vndarum mugitu; crebrâ
fluctuũ procellâ horrendũ ſtridere, ac reboare. Tã-
dẽ precũ maiore vi adactũ mare, marinũ Cancrũ
in Legatũ legit, atq; ad ſacrã furto ſurreptã ima-
ginem Xauerio reddendam, & perferendã mittit.
Ibat feliciſſimus ille cancer, tantâ officij ampli-
tudine latus, ſed ipsâ muneris cauſsâ atratus, &
mœſtus. Quare vt triſti legatione fungatur cele-
riùs, quid molitur? citiſſimam ſe ſe fingit in na-
uem. Hinc ſinum, ventremq; pro carinâ expandit: B
illinc acetabula, & brachia producit in coſtas; a C
tergo caudam in clauum erigit; ſupra, cartilagi-
nes explicat in vela; a latere pro remis chelas flec- D
tit, ac verſat; in medio crucis vexillum pro malo,
antennisq; defigit: tum graui criminis ſaburratus E
pondere, afflantibus ventum doloris ſuſpirijs, ma-
re ipſum frequenti pinnarum remigio in ſceleris F
pœnam flagellat. Nec mora. ad litus appellitur.
Vbi, quum ſeſe præſtolanti Franciſco reum, maris
nomine, ſiſteret, illico tam fœdi latrocinij rubore
purpurans; ſalum ipſum ſine ſale fuiſſe in atroci
adeo facinore perpetrando cauſſatus, mox tacito G
ſtrepens murmure, Oceanum exinde non tam vn-
darum agitatione, quàm infandi piaculi fluc-

tuante

tuante conſcientiâ inquietatum, nec quietis ullâ H *parte antea frui poſſe, quàm raptam egerat præ-dam, perſanctè teſtatur. Non miſſos ab eo ad ex-piandum ſcelus uniones, quia lugubres omnes in lacrymas verterit: non gemmas dono deſtinatas, quòd piacularium guttarum imbre etiamnũ gem-maſcat. Hinc tantum ad lapſum deteſtandum ſe cancrũ præ reliquis aquatilibus maximè fuiſſe excerptum, ut præpoſtero greſſu aberrantis Ponti crimen adumbraret. Veniſſe ſe ad ſubacti maris tributum ei perſoluendum; feſtinaſſe ad palmam illi porrigendam, quà ſibi admiſſi veniam flagitij maturaret. Quâ profectò mare ipſum non omnino indignũ videri, quòd ſi furatũ eſt, at certè piũ furtũ fecit. Nimirũ Chriſtũ rapuit vẽtis imperantẽ, ut frenũ, quo tẽpeſtates coerceret, poſſet inijcere, pacẽq́; quâ ſemper ferè caret, haberet aliquando. Olim vaſto a Cœto Vatem Ionam fuiſſe euomitũ; nunc Chriſtum ipſum a mari eructari. Quî igitur illi a Xauerio difficilè relaxetur ſcelus, cui Chriſtum ipſum omnia laxantem ſcelera ſuis e chelis rela-xaret? Irato igitur paulò ante mari, nunc depre-canti facilẽ te mitemq́; Franciſce, orabat, præbe: Indulge lubẽs; faceſſant minæ; faceſſat ultio. Parce nocenti. Vaticinor: auſculta. Orbẽ univerſum, quũ ſigna omnia in cancrum conuenerint, conflagratu-rum, quondã prodidere ſapientes. Ecce iam Chri-ſti illud ſignum, Solemq́; iuſtitiæ chelis ſuis cancer tenet: hinc Orbis totus, hinc vel frigida etiam Oceani monſtra ad Chriſti obſequium inflamma-buntur. O fortunatum tali legatione cancrum, ipſi etiam cæleſti cancro nihil de dignitate conce-dentem, & qui omnium aquatilium imperio præ-ficiatur, planè digniſſimum!* Hîc

Seneca *lib. 3. Quaſt. Natur. cap. 29.*

123 Hic enimuerò exclamant Aduerſarij, ſui aſſentatores, præconesq; blandiſſimi; quid hac narratione, *hypotypoſi* ac proſopopeiâ A ingenioſius? quid acutius? quid præſtabilius? Nonne ingenij copiam, lautamq; ſupellectilem, etiam ſi perſuaſioni parum opportuna ſit, luculenter oſtendit? nõne huiuſmodi acumina tam ſubtilia multo clariùs, quàm omnes in Oceani litoribus micantes gemmæ, ac margaritæ reſplendent? an non tenues iſti ſenſiculi tam concinni, omnia argenti, auriq; pretia facilè, obſcurant, & vincunt? Quid tam contortæ ſententiolæ; nonne ingenij glorioſiſſimas nundinas exprimunt, perennesq; intelligentiæ diuitias repræſentant? B Quid vnquam horum ſimile elabborauit M. Tullius? Cedò nobis eius volumina omnia, excute omnes pagellas, verſus omnes diligẽter percurre. Mentimur, inquiunt, ſi vſpiam aliquid, in quo ingenij monimentum tam præclarum, quàm in expictâ cancri legatione modò ſpectatum eſt, extet, atque emineat, reperias. Huic vni noſtri ingenij fœtui nec integri, vniuerſiq; codices Ciceronis pares eſſe poſſunt. Eius quippe ſtylus, characterq; dicendi nimis mollis eſt, nimis redundans, doctrinæ expers, verboſus, ac languidus. Eâdẽ deinde moroſitate, quâ M. Tullium malè acceperunt, Scriptores alios ad Ciceronis normam ſtylum ſuum, artificiumq; exigentes, damnant, exagitant, exſibilant. quodq; placato minùs ſtomacho dici, multoq; minus ferri poteſt, ex iſtorum præclarâ diſciplinâ

im-

imberbes, neſcio, qui adoleſcentes (adoleſcẽtes autẽ hîc ego eos etiã facilè appellauerim, qui literarum infantiã in ſenium vsque, atq; adeo ad canos quoq; ipſâ candidiores niue, nunquam tamen ipſi inter eloquentiæ candidatos relati, lautè educârunt) adoleſcentes, inquam, qui quanto minùs pollent iudicio, tanto plus ſibi ſumunt audaciã: atq; vt

C mentum habent ſine lanugine impubes, ita

D vix pubeſcũt in literis; etſi vix Ciceronis volumina non vna, non modica, non oſcitanter legenda, non carptim libanda, inſpexerunt aliquando; nihilominùs tanquam eloquentiæ dictatores illius ſtylum naſo adunco ſuſpendunt, & conſpuunt; aliĵ ſtatim Romano foro interdicunt; aliĵ inſcientiæ notam inurunt; alium vt frigidum, vt vaniloquum, vt

E exſuccum traducunt: tũ arreptâ virgulâ cenſoriâ, ſi qui ad ſuam mentis importunam vertiginem minùs fecerint, pro arbitratu ſtatim explodunt. Denique in omnes antiquitatis Auctores iudicia excercent plena arrogantię, plena inuidentiæ, plena temeritatis. Addunt deinde, vt ſuæ cauſſæ, ſtyloq; patrocinentur, Cornelij Taciti auctoritatem, cujus cliẽtelæ,

F & ſtylo quum ſe ſe nexu quodam mancipârint, extra omnem aleam diſcriminis ſe poſitos autumant. Audent etiam, ſi Deo placet, Marcum ipſum Tulliũ, Fabiumq; Quintilianum, tanquam ſibimet aduerſos, ſuæque ab eiſdem defectionis ſuffragatores appingere. Vt verò in tantâ acuminum, atq; ornamentorum intemperantiâ ſapere videantur

me-

mediocritatem, L. Apuleij ſtylum ſeuerè adadmodum carpunt, diraq; imprecatione deſigunt, O iucunda ſomniantium viſa! o lepidas garrientium fabulas! Audiſtiſne paulò ante, viri ſapientiſſimi, non tam lugentis maris deſcriptionem, quàm fœdiſſimam, vt ego interpretor, iudicij tempeſtatem, nec tã cancri remigantis legationem, quàm miſerũ ingenij præpoſteri naufragium; & tamen ingenij prærogatiuam acuminum venditatores præſenſant, ſibiq; inexpiabili rapinâ audaciſſimè vendicant? Quid audio? vendicant? o piratas inertes? o prædones ignauos! Verùm F
quo ſint iſti ingenio, qui de ſuo ingenio hæc portenta tam abſurda non ſolùm fatentur apertè, ſed gloriosè etiam profitentur, nemo noſtrum eſt, Auditores, ita nullo ingenio, quin facilè recognoſcat.

Ingenij palma Aduerſarijs adimitur.

224 NEgo itaq; politulis hiſce Declamatoribus ingenij palmam eſſe concedendam; nego eos tam operosâ acuminum, vel ornamentorum molitione eſſe ingenioſos; nego tales videri; nego tales dici oportere. Hîc ego, Auditores, et ſi quàm exiguo, tenuiq; ſim ingenio, ſatis diſpicio; niſi tamen palàm, liquidoque, quàm denſo iſti fuco ingenij ſibi gloriam arrogent, demonſtrauero; volo planè, vt me vos omnes nullo eſſe prorſus ingenio, nullâ percipiendi vi, nulloq;

nulloq; omnino ſenſu arbitremini. Atq; vt ab eâ, quam eorum gratiâ attulimus, ingenij imagine ordiamur; memini me aliquando quodam in Templo, quum me D. Franciſci Xauerij aræ ſupplicem ſiſterem, facetũ inibi hominem in cachinnos ſolutum offendere; qui riſus adeo intempeſtiui cauſsâm cæteris admirantibus, atq; rogantibus; quin, inquit, nullus vnquã riſus fuit tempeſtiuior. Pictoris ego ſummam ſtupiditatem, qui cancrum illum, quem viuum, natantemque, Chriſti Domini e Cruce pendentis ſigillum Xauerio porrigentem finxit, minio tamen rubentem,
A ac ſi in patellâ coctus, inflatuſq; purpuraret, in hac altaris tabulâ delineârit; non potui non ſummopere ridere, atq; irridere. Sed iure ne, an ſecus, ille tum riſerit, atque irriſerit, quum nonnulli marinum cancrum a reliquis hoc diſtare, quòd ille viuus etiam rubeat, iſti
B verò coloris rauidi ſint, opinentur, mea parũ in præſentiâ intereſt, Auditores. At profectò non minùs effuſo riſu Aduerſarij mei, pictores omnino imprudentiſſimi, meritò ſunt excipiendi, & ſalutandi, qui, quum tam compoſitâ proſopopeiâ cancrum illum ſpirãtem, loquentemque, ne dum viuentem, in Panegyrico fecerint, tam multo acuminum, ſenſiculorumq; minio eundem incruſtârunt, vt illum in rancidâ perridiculæ affectationis, atq; ambitionis patinâ frixiſſe videantur. Quàm multa enim in eâ *hypotypoſi* a propoſito Cócionis illius argumento, in quo omnia [illegible]

docen-

docendum erat, aberrantia; quàm multa a perſuaſionis fine, quod vltro fatentur, aliena; quàm multa diſtorta; quàm multa falſa; quā multa malè inter ſe cohærentia; quàm multa incredibilia, ſine vllo decoro, ac frigida, non ſine graui ſtomacho cernuntur, aut leguntur? Iam verò hæc tā puerilia, ac nugatoria quàm ingentem ruborem, pudoremq; ingenij pigmentarijs iſtis Oratoribus quà ſacris, quà profanis, ſi vnquā ſui peruerſitatem ingenij, labesque iudicij erubeſcere didiciſſent, incutere deberent?

125 Eſt tamen aliquid, Auditores, tam in hac Xauerij proſopopeiā, quàm in eā Caroli amplificatione, multò iam antea ad genium Aduerſariorum fabricatā, omnino melius, quàm ab iſtis præſtari poſſit, ſtylus videlicet longè magis caſtigatus, purusq; cui per quàm rarò ſtudent, nunquam verò penitùs aſſueſcunt. Quid enim argutiarum, acuminumq; phrygiones, vt, neſcio, quas, metaphoras, allegorias, annominationes, antitheta, ſenſiculosq; aſſuant, non audent? quid non cōminiſcuntur, ac nouant? quas vocabulorum ſordes non euerrunt? quem ſitum, algamq; vetuſtatis nō eradunt? quos furfures barbaræ elocutionis, tum recentium nominum, phraſiumq; in totius Latinitatis contumeliam nō ingerunt? His ergo tam inuenuſtis venuſtatum indagatoribus de noſtro Latinitatis penu lecta verba, Romanaque vocabula, nec non loquendi formas emendatas non ſemel, ſemperque precariò commodauimus. At hîc A B

non tam verba metimur, quàm res; non tam nomina, quàm ſententias; nec tam Latinæ linguæ vitia, quàm veræ eloquentiæ corruptelas, quacunque demum in linguâ accidant, cum fine perſuaſionis pugnantes seriò vituperamus. Sed cum iocoſis iſtis hominibus ſatis iocosè hactenus. Nunc, ne quis Aduerſariorum Oratorijs a me præſtigijs ſe circumuentum cauſſari queat, totam hanc cõtrouerſiam e Philoſophiæ penetralibus accuratiore trutinâ expendamus, ac terminemus.

Aduerſarij ingenio minimè præſtant, quia finem, opusq; leuiſſimum, & facillimum ſpectant.

126 A QVilibet artifex ſui excellentiam ingenij duplici, vt ita dicã, cote tentandam, explorandamq; præbet, ac probat; operis nempe, ſeu finis efficiendi difficultate, nobiliq; præſtantiâ; tum inſtrumentorum, quibus opus ad eximium, atq; arduum finem obtinendum conformat, durâ, egregiâque molitione, vt Philoſophi omnes, nullo penitùs refragante, decernunt. Quippe ſi artifices primùm ex ipſis, quæ moliuntur, operibus, aut finibus, quos intuentur, mutuò contendamus: cur, quæſo, pictoris ingenium ferrarij fabri antecellit ingenio, niſi quia expingendarum tabularum, quas pictor effingit, finis, atq; opificium, longè difficilius, pulchriusq; eſt, quàm frænl, aut calcaris, quæ faber excudit, confectio? Quod ſi

rurſum artifices ſolis ex inſtrumentis,quibus
in pariendis operibus,finibusq́; vtuntur , in-
ſpiciamus : cur ingenij dignitate piſtorē au-
rifex vincit, niſi quòd huius tam varia,mul-
tiplexque ſcalprorum ſupellex & laborioſiùs
multo conflatur, & multo honeſtior eſt , quā
rudis, atq; ignobilis illius pala ? Iam ergo, B
quæ ſint illinc Aduerſariorum,hinc noſtrorū
Oratorum opera, qui fines, quæ inſtrumen-
ta, videamus: ac priùs ipſa opera, atque fines
vnà conferamus. Quò,obſecro,acuti iſti De-
clamatores, quos ad fines,operaque ita miri-
fica, atque aſpera ſuam omnem induſtriam
referunt? Expromant, quæ ſint egregia illa,
& ſalebroſa ingeniorum opificia , enucleent
vniuerſa . Illi, ni me fallit opinio,nec certè
fallit , huc tendunt omnes , atq; hoc vnum
meditantur, Auditores , vt ſummam afferant
oblectationem,admirabiliſq́;laudem ingenij
oblectando conſequantur . Aures blando ver-
borum murmure titillare ſtudent impensè .
Quid leuius ? hoc & phonaſci præſtant iu- C
cundiùs . Curioſitatem Auditorum alere cō-
tendunt . quid ſcurrilius? alunt & præſtigia-
tores . Plauſum nituntur captare . quid pro-
cliuius ? captant & comœdi . Rumuſculos
gloriolæ ſerere diſcupiunt. quid inanius ? ſe-
runt & choraulæ . Riſum parant excutere . D
quid inhoneſtius ? excutiunt & mimi . Hila-
ritate volunt perfundere . quid delicatius ?
Exhilarant & citharœdi. Demum, vt dicam E
verbo, iucunditate conantur demulcere. quid
Effeminatius ? Demulcent etiam circula-
 tores.

tores Hæc igitur tota iſtorum moles eſt illa operoſa, hæc tota prouincia perdifficilis, & conſularis, hæc grauiſſima omnium expeditio plus quàm Troiana. Sed quid ego loquor, aut iocor de operis iſtorum præſtantiâ, aut difficultate? Illinc finem præſtantem, clarumue opus ſibi ob oculos ponunt? quid, rogo, indignius, aut turpius, quàm voluptatem tanquam finem ab ingenuo homine grauiſſima Oratoris, Concionatoriſue officia ſuſtinente quæritari? Et quem alium finem fatui
F moriones, Gnathones, ac paraſiti, fœda gulæ mancipia, quàm voluptatem ſibi cõſtituunt? In quo abiectiſſimi artifices, & viliſſima quæq; capita maximè deſudant, omnemq; induſtriam adhibent, niſi in vnâ ſolâq; oblectatione eliciendâ? Quid quòd in iſto ob-
G lectandi munere herbam tot alijs voluptatis architectis porrigere coguntur? Quis enim illecebroſiùs oblectat, vnguentatus Orator in ſuggeſtu, an ſcurra de triuio in tabernâ; hiſ-
H trio in ſcenâ, circumforaneus pharmacopola
I in foro, cupedinarius, & caupo in popinâ? Quis neſcit aures, oculos, nares, palatumq; pellaci huiuſmodi voluptate, quæ hiſce ex artibus hauritur, adeo duci, rapique, vt præ eâ voluptarium Declamatorē tota concio illico neglectura ſit, ac relictura? Adde quoque voluptatem, vbi hæc finis inſtar habet, non tantùm humilem eſſe, atque abiectam; ſed, quod longè capitalius eſt, omnium etiam ſcelerum eſſe fontem, omnium vitiorum ſtirpē, procreatricem, atque altricem. Nolo id ego

plura-

pluribus perſequi, ſed aurea tantùm Architæ Tarentini verba in hanc ipſam ſententiam, quam vrgeo, conformata a M. Tullio, apud quem ille diſſerit, ſat habeo in præſens mutuari. *Nullam* (inquit) *capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus eſſe datã. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euerſiones, hinc cum omnibus clandeſtina colloquia naſcuntur. Nullum deniq; ſcelus nullum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impellat. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris excitari, niſi voluptatis. Quumq; mente nihil ſit præſtabilius a Deo datum, huic diuino muneri nihil eſſe tam inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantia locũ eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Quod quò magis intelligi poſſet, fingere iubebat animo quempiam maximâ voluptate incitatum: nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dũ ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet. Quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, tamq; peſtiferum, quàm voluptatem. Si quidem ea quum maior eſſet, atq; longinquior, omne animi lumen extingueret.*

127 Videant ergo Aduerſarij mei, dũ oblectationem tam ſolicitè venantur, quam mereantur laudem, quod fartorum, Gnathonũ, coquorum, mimorum, aliorumq; id genus, nobilium ſcilicet artificum, confinia ſi non peruadentes omnino, at certè perſtringentes, in eorundẽ etiã ordinẽ, tanquã ſtudio, atque

In Catone de Senectute.

cõſilio iiſdẽ prope ſuppares, ferè redigantur. Videant, quid dignitatis lucrari poſſint, quòd vni oblectationis genio cum iſtis eiuſdẽ quaſi palæſtræ commilitonibus tam ſtrenuis perditiſſimè ancillentur. Videant, quæ poſſit eos gloria illuſtrare, quòd in oblectationem, flagitiorum omnium cubile, toti impotenter adeo ferantur. Præclarum ſanè genus hominum, qui ſuorum conatuum metam nullam aliam cernunt, quàm voluptatem: & tamen de ingenij prærogatiuâ, quòd hanc ipſam voluptatem tantopere ſtudeant conflare, audent gloriari. o monſtra! Illine hoc nomine ingenioſi, quòd totos ſe oblectationi gignendæ deuoueant, habebuntur? o ſomnia! Nonne ingenij excellentia ex propoſiti finis, operiſue difficultate, vt explanauimus, metienda eſt? quid ergo habet tam ardui, atq; aſperi hæc voluptatis eblandiendæ procuratio? In auriũ demulcendarum munere quid, rogo, ineſt tam duri, atq; ineluctabilis? Solam iſtarum illecebrarum inuentionem, quàm operoſa ſit, ſatis mihi hoc loco eſt explorare, Auditores. Quàm enim exiguus quoq; labor in his ipſis argutiolis non ſolùm inueniendis, ſed etiam diſponendis fit, paulò infra ſaxo, videant, atq; inuiti cum dolore agnoſcant Aduerſarij. Nimirum verborum fucum ad ſenſus titillandos illinere, de ſingulis vocibus ire in cõſilium, exoticas elocutionis formulas putidè adſpergere negotium, credo, erit multi operis, atq; olei. Arduum profectò accidet ſolerti viro, ingenium paululùm ſcalpere, atq;

ex

ex eo acuminum illam ſcabiem euocare. Onus vtiq; Ætnâ grauius, duo paria antithetorum copulare. Labor omnino Herculeus, de mentis æſtuantis, vt ita dicam, tripode nonnullos ebullientes ſenſiculos deſpumare. A Quod ſi in hac procurandi finis prouinciâ, hoc eſt, in afflandâ voluptate difficultatis aut nihil, aut parum admodum reperitur: quo pacto Aduerſarij laudem ingenij nobilem, ne dum lauream, ab operis finiſue perdifficili molitione, quæ nulla ferme eſt, arceſſere queunt, aut ſperare?

Aduerſarij non excellunt ingenio, quia Orationum inſtrumenta perſuaſionis fini adipiſcendo inepta fabricātur.

128 SEd agite, iam alteram ingenij periclitandi cotem, inſtrumentorum nempe coagmentandorum præſtantiorem, laborioſioremq; facultatē admoueamus. Quippe in omni inſtrumento rerum inter ſe aptè diſtributarum quum ordo, tum elegantia, & difficultas, nō tantùm ipſiusmet inſtrumenti perfectionē, verū etiā artificis quoq; ingeniū, qui idem inſtrumentum confecit, eo nobilius indicat, atq; oſtendit, quo ordo ille & venuſtior, & operoſior, & mirabilior eſt. Porrò in quouis inſtrumento duplex ſpectari poteſt ordo. alter, qui ex eiuſdem conformatione ſuum ad opus, finemue extraneum, ad quem adornatur, conſequendum accōmodatā emicat; alter, qui ex ſingularum eiuſdem inſtru-

menti partium concinnâ diſpoſitione exiſtit.

129 Iam ſi primo de ordine priùs lubet philoſophari; quis neſcit tanto vnumquodq; inſtrumentum eſſe melius, tantoq; clariùs ab eo ſui artificis ſagax, acutumq; probari ingenium, quanto ad finem eminentiorem, difficilioremque, in quem deſtinatur, comparandum politiùs elaboratum eſt? Niſi forte molles iſti Declamatores parem ingenij dignitatem, ac decus eſſe contendant, penicillum ſcitè compingere, pictorique ad pingendum

A ſuppeditare; ac peniculum non ad pingendum, ſed ad pictoris officinam verrendam temerè, perturbateq; colligare. Haud ſecus omnium quoq; Oratorum ſagaciſſimus ille exiſtimatur, palmamque aufert ingenij, qui Orationis inſtrumentum tam affabre tornat, vt ad proprium finem, ampliſſimum ſine dubio, atque operoſiſſimum extorquendum (quem iam ſupra perſuaſionem eſſe Auditorũ recuicimus) per quàm appoſitum ſit: contrà verò eorum omnium, qui dicunt, infantiſſimus iudicandus, atq; Oratorum ex albo delendus; tum mentis acie quadam præpingui

B obſtipus meritò etiã reputãdus eſt, qui ita ſuas fidit, dolatq; Orationes, vt eę ab illo egregio, arduoq; perſuaſionis fine toto cœlo diſcedãt. Quod ſi ita eſt, Auditores; cõijcite iam, quæſo, veſtros oculos in iſtorum Orationes, eaſq; ad hanc primã inſtrumenti, atq; ingenij per-

C tentandi regulam exigite, & mentiar, niſi lis omnis de ingenio vel in huius contentionis veſtibulo penitùs ſublata eſt. Quũ enim iam

pri-

pridem Aduerſarij longâ diſputatione a me adacti, Orationes ad magnum, durumq́ perſuaſionis finem exprimendum ineptas ab ſeſe elucubrari, ingenuè tandem cōceſſerint: quid vltra laboramus, aut quærimus? an non vnà quoq; vel reluctantes, aut certè imprudentes, ſpes omnes ſuas de ingenij laureâ decerpendâ accisas eſſe, atq; euerſas conceſſerunt? Si enim nō ingenioſus, ſed ſtupidi ingenij artifex cēſetur, qui inſtrumentū ad egregium, difficilemq́; finem obtinendum, ineptum conſtruit: Aduerſarij mei nō erubeſcent fateri ſuas Orationes non ſolùm ſpectatiſſimo, & laborioſiſſimo perſuaſionis fini nihil opitulari, ſed plurimùm etiam incommodare; & nihilominùs de ingenij prærogatiuâ mentionem facient? Adeone ſpiſſis intelligentiæ tenebris erūt inuoluti, vt quum ad perſuadendum vim nullā afferre queant; omnem ſimul cū hoc ingenij ſtupore laudem ſe prodegiſſe, & perdidiſſe nō videāt? Et quæ ingenij ſpecies, quæ vmbra ad eos pertinere poteſt, qui ita ingenioſi ſunt, vt quum Orationem ſublimi, arduoq́; perſuaſionis fini extundendo idoneas, in quo ſumma ingenij laus poſita eſt, a ſe conflari non poſſe, palàm fateantur, ingenij tamen palmam adhuc inaniter ambiant? D

Imbecillitas ingenij Aduerſariorum magis oſtenditur.

130 SEd placet meorum Aduerſariorum ingenij imbecillitatem ex hac maxime

ximè perſuaſionis corruptelâ manantē paulò curioſiùs adhuc introſpicere. Qui enim in breui paucarum horarum, imò vix mille paſſuum itinere molli,& complanato ſubitò defatigaretur, valde, opinor, de tanto ſuorum pedum robore gloriari poſſet: & qui in editiorem paulo ſublatus ſpeculam, oculos ſibi, caputq; in orbem rapi ſentiret, magnam ſcilicet præ ſe ferret oculorum, capitisq; firmitatem. Thraciæ populos, * quòd præ memoriæ debilitate ſupra quaternarium numerum pergere numerando nequeant, bardos omnino, ac fungos in numero vtiq; ſapientū iſti collocabunt. An tu curſorem velociſſimum pronuntiabis, qui nullum vſquam recto gradu mouet veſtigium? qui in voragines incidit? qui incertis ſemper pedibus errabundus vagatur? qui nec rectà incedit, nec rectus poteſt
A inſiſtere? Imò verò tanquam varum, vatium, claudumq; exſibilabis. Tune ſano eum capito, integroq; iudicio dicas, qui crudo ſemper ſtomacho ructus tantùm ſonat? qui crapulam identidem euomit? qui lapſabundo ſemper greſſu, atque in ruinam prono, in tranſuerſū perpetuò reciprocatur? qui capitis vertiginem in pedes vſque demittit? qui portenta loquitur? qui vigilans monſtroſè ſomniat? Quin
B lurconem potiùs, ebriūque vini mancipiū aſſeuerabis. Tune oculis illum lynceis cenſeas,
C qui in meridianâ luce caligat? cui ſudo cælo, nube ſemper pupilla obducitur? qui nihil longè poſitū valet intueri? cui ſemper tabe oculi
D exeduntur? cui omnia recta obliqua, etiā ex-

* *Ariſtoteles lib. 15. Problem. ſect. 3.*

tra

tra aquam videntur? qui omnia diſtorta cernit rectiſſima? Et hunc tu Argum innumeris, vt eſt in fabulâ, oculatum luminibus, officioſo Poetarũ mendacio arbitraberis? Imò verò lippum, luſcum, cæcum, & oculis veſpertilione, talpaque magis orbatũ iurabis. Nunc E quæro ab Aduerſarijs meis tã ingenioſis, quid cauſſæ ſit, cur in breui Orationis curſu a re propoſitâ inculcandâ eorum ingenium tam ſubitò frangatur, ac delaſſetur? cur nunquam F vltra cauſſam vrgendo progrediantur? quid acuminum ſimilitudines ſimilitudinibus in eodem rationis veſtigio ſemper agglutinẽt? Eia pergite. Nouum aliquod argumentum promite, gradũ aliquẽ confirmationis adiungite. Quorſum ad eundem lapidem pigerrimi viatores, imò inertiſſimi Oratores continẽter ſeſſitantes cõcolores ſemper, pariumq; planè virium ſententias appingitis? Ingenij imbecillitas vos remoratur, ſat ſcio: nullus, nullus latebræ locus eſt; proditi eſtis; tenemini. Cur in prælatam amplificationis turrim gradum facere vetamini? cur recto quæſtionis tramite relicto, huc atq; illuc temerè reptantes, in auia ſemper a fine perſuadendi, sẽper in diſſentanea, in peregrina sẽper abrepti, in nugarũ leuidenſas ſtylũ sẽper impingitis? Cur rectà, neruosè perſuadendo, nunquã inſiſtitis? Cur ad amuſſim vltra nunquam inceditis? nempe vano, ac deſultorio ingenio prohibemini. Cur in graui Concione argutias, ſales, lepôres, & piperata dicta contra officium benè morati hominis eructatis? Cur

capitis quaſi circumacti turbine, in putidorũ ſenſiculorum orbem luditis? cur in menſam honeſtiſſimæ Auditorum coronæ acumina indigeſta, cruda, & malè cocta exoneratis, ne dicam, vomitis? nimirum ambitionis G vino appoti non leuiter, ingenio minimè ſobrio æſtuatis. Cur in fabricandâ Oratione, quæ ſit cuiuſq; argumenti vis, non diſpicitis? cur, quæ ſit recta perſuadendi norma, non obſeruatis? cur, quis ſit omnium rationum color, non internoſcitis? cur, quid excipere auditor poſſit, quid retorquere aduerſarius, quid reclamare iudex, non prouidetis? Cur in totius ordinem, ſeriemque Concionis in ipſomet principio non animaduertitis? Cur, quæ in proſpectu tantummodo ſunt, oculiſq; ſubiecta, conſideratis; remotiora verò, aut tantillo diſiuncta interuallo negligitis? Cur vltra quatuor, vt ſic dicam, acumina, mentis aciem non porrigitis? cur quando torquenda enthymemata, quando mores interponendi, quando affectus miſcendi, non attenditis? Scilicet obliuioſo, & tenebricoſo caligatis ingenio. Quum igitur acuti iſti Declamatores in Orationum, Concionumque inſtrumentis ad finem perſuaſionis inueniendum, perſequendumque aptandis ita mente defatigentur, nutent, labaſcant, claudicent, cæcutiant; quantâ ingenij tenuitate, quantâ ſolertiæ imbecillitate vacillare, neceſſe eſt?

Inopia

Inopia ingenij Aduerſariorum.

131 MAgna eſt iſtorum imbecillitas ingenij, Auditores, magna profectò; ſed longè maior inopia. An enim qui adulterinos ſolent numos percutere, dum quantum argenti, auriq; demunt, tantundem æris, aut ſtanni ſufficiunt, diuitiarum vim, copiamue eo monetæ adulterio oſtendunt? imò ſummæ egeſtatis anguſtias non obſcurè ſignificant. Nam homines de plebe, capite A cenſi, ad incitas redacti, vrbis quiſquiliæ, in B fures, inopiâ ſolicitante, tranſcripti, æs pro C auro, pro argento ſtannum per bellam ludificationem conantur diſtrahere; ac licèt ſe certum ad laqueum, atque interitum ſuo artificio deſtinari, rapique intelligant; rei tamen familiaris preſſi mendicitate, pecunias ante inficere corrumpereque non deſinunt, quàm e patibulo, & cruce rite pependerint. Quid hîc muginari, quid hiſcere aureæ adulteri D eloquentiæ audebunt? Quum enim Oratio tota ex argento, atque auro ſolidorum argumentorum conflanda ſit; cur tam ingenti aureorum argumentorum pondere ſubducto, tantum illi æris, ſtanniq́ue, hoc eſt, plumbeorum acuminum, ſenſiculorum, argutiarumq; ſubijciunt? Præ ſummâ ingenij paupertate. Cur, vbi ad cõfirmandam quæſtionẽ argenteũ vnum argumẽtum cuderunt, aliaq; rurſus & alia item argẽtea; mox aurea, & aurea ſemper melioris notæ enthymemata fundenda erant; illi contra, ac præpoſterè æreorum

E rum bracteas acuminum non tam metalli,
F quàm ſui intertrimenta ingenij peruersè ſupponunt? vt eos cuncti, ingenij inopiâ vexari recognoſcant. Ingenij verè diuitis, verè magni, ac regij eſt, firmum vbique argumentum, argentum puta, atque aurum, non inanium acuminum, ſed validarum rationum, quæ Auditorum non aures tantùm demulceant, ſed animos quoque deuinciant, liberaliter ſpargere. At ingenij veſtri arida, & ſterilis vena, tam pretioſi metalli nihil ſolita dare, pro aureis rationibus ærea acumina, ſtanneaſque argutias ad ſui extremam egeſtatem teſtandam ſuppeditat. Vnum tamen eſt, quod ego vos, eloquentiæ corruptores, in præſens amicè monere volo. Magnum profectò vos, Orationum, Concionumq; euerſores manet ſupplicium. Eloquentiæ adulteria dediſcite aliquando, alioqui inexplicabilis
G probri laqueus, buſtumq; perenne dedecoris veſtro huic imminet ingenio, atque artificio.

132 Verùm in tantâ ingenij egeſtate non deerit, credo, vel obolo conductus Patronus aliquis, qui inopiæ dedecus ab ingenioſis iſtis hominibus nitatur arcere. An ingenij putabis inopiam, vociferabitur vſque ad rauim, tam multas, tam ſpiſſas, tam elegantes quacunque de re infarcire ſententias? Ingenij tenuioris ſupellex erit, tantam acuminum ſegetem, tantam gratiarum varietatem, tantam ſenſiculorum copiam omni propemodũ verſu prodigere? Imò verò ingenij opulentiſſimi ſummæ diuitiæ ſunt, ſumma fecunditas.

ditas. Ingenij curta res erit, erit egeſtas A
totam Orationem pretioſis argutiarum gemmis incruſtare, lepôrum carbunculis interpungere, aureis venerum phaleris conueſtire? Quid? an non ingenij gloria, ac palma totâ hac diſputatione nobis vel a te ipſo, dicent, videtur eſſe vltro conceſſa? At, velint nolint, Aduerſarij mei ingenio depauperato ſunt, & vel hoc ipſum intemperantiæ acuminum patrociniũ intempeſtiuum, in magnâ eſt egeſtate ſollertiæ. Doceant enim, quæſo, me B
ſubtiles adeo Declamatores (lubet enim aliquid a tam ingenioſis viris diſcere) quid ſit hoc, quo tantopere exultant, ingenium? Si Ariſtotele Philoſophorum omnium ingenioſiſſimo ingenioſiores haberi nolunt, neque eiuſdem placitum aſpernantur; ſollertia, ſiue ingeniũ, vt ille definit, nihil aliud eſt, quàm argumenti, quod ab eo medium appellatur, celerrimo intelligentiæ molimine excogitatio. * Quæro iam ego hoc loco, vt aliquis in ordinem ingenioſorum cooptetur, ſatiſne eſt, vt multa, licèt toto diſiuncta cœlo, inueniat, ac proferat? Nullo modo. Nam & furioſi, amenteſque rerum nouarum, atque abditarum vim infinitam profundunt; & vino paulo hilariùs indulgẽtes, proximique ebrijs loquentiâ nulli inuident Oratoris eloquentiæ; & circulatores de triuio, ac præſtigiatores magnum vbique hiſtoriarum, fabularum, dicteriorum, & facetiarum manipulum explicant; & tamen eorum nemo, ſi ſapientum C
iudicio

* *Lib. 1. Poſter. cap. vltimo.*

iudicio credimus, hoc nomine ſupra plebeia ſe ſe effert ingenia. Quam, obſecro, ob cauſſam? cur? quia vt aliquis ingenij prærogatiuâ donetur, haud ſatis eſt, multa ab eo, quãquam velociſſimè, inueniri, ait Ariſtoteles; ſed neceſſe præterea eſt, vt quæ inueniuntur, media ſint argumenta: media autem argumenta eſſe non poſſunt, niſi ad conſequendũ finem aptè librentur; quum media idcirco dicantur, non ſolùm quia vtrique propoſitionis extremo veluti media interijciuntur, ſed etiã quia velut accommodata, notaq; inſtrumẽta ad concluſionem ignotam extrahendam in lucem aſſumuntur. Neque eſt, cur quis hanc rerum certo quadrantium fini ſubitam excogitationem iudicio potiùs, quàm ingenio adſcribendam pertendat. Siquidem vt iudiciũ reliquis Rhetoricæ partibus admixtum ferè eſt, in diſpoſitione autem maximè dominatur; ita tota inuentio, quanta quanta eſt, ſolius ingenij planè fœtus & proles eſt; neque hæc ingenioſa, niſi quæ ſunt excogitata, cum fine, cuius gratiâ excogitata ſunt, cõcinant, dici iure poteſt. Non ſunt igitur furioſi, amentes, ebrij, circulatores, & ſimiles, etſi pleraque inueniant citiſſimè, ingenioſi; quia temerè ea promunt, nulliúque conſentanea fini præcipitanter effundunt. Niſi fortè illã ipſam ingenij dotem qualemcunque, quam vilia iſta capita ſibi vendicant, huc quoque pertinere eapropter cenſeant, quòd illas omnes, quas garriunt, nugas ad oblectationis finem, quem proximè captant, obtinendum,

appoſitè

appoſitè admodum architectentur: in quo ego eis non inuitus facilè ſubſcripſerim, quò tanto magis hinc compertum maneat, palmarem ingenij excellentiam tum egregiè ſpectari, quum omnia, quæ de ſuo artifex profert, ad finem molli brachio exterebrandum belliſſimè conſentiunt. D

133 Haud tamen ſatis eſt, vt ingenij laude potiaris, momento inuenta argumenta certū ad finem cōuenienter adornare: ſed opus inſuper eſt, vt finis ille, quem ea reſpiciunt, eximius ſit, atque arduus, ſuiq; præſtantiam in ipſum quoque inſtrumentum ſibi famulans, addictumq; traijciat: quum finis ſcilicet eminentia, & difficultas, cuiuſque inſtrumenti quoq; elegantiam, dignitatem, atq; abſolutionem metiatur. Neq; enim ſi quis coquinariam ligulam ad ſpumam ex feruentibus lebetibus detrahendam, aut flabellum ad vultum aurâ ventilandū, aut muſcarium ad muſcas abigendas quàm ocyſſimè inueniat, præclari ingenij nomine commendabitur. Cur verò? quòd licèt is inſtrumenta ſuis idonea finibus properè elaborauerit; fines tamen ipſi, nempe ſpumæ detractio, vultus ventilatio, muſcarum depulſio paratu difficiles non ſint, neque prænobiles, ſed cuiuis in promptu, abiecti, leues, humiles, ac plebeij. Vnde aperſè etiam liquet, neque circulatoribus, alijsq; id genus hominibus perfacetis, etſi cuncta, quæ volubili linguâ ediſſerunt, in vnum voluptatis finem proximè referunt, ingeniū eſſe valde exquiſitum; quum huiuſmodi finis adeo A B C

vilis

vilis,obuius, ac minimè laborioſus ſit.

134 Quare facilè hinc quoq; conficitur, ſi quis artis conſpicuę inſigni,operoſoq;fine repudiato, alium ſibi finem adſcititium, atque præpoſterum, quum deſpectum, tum procliuem,temerè,& peruersè fingat,ſubſtituatque; quanuis deteriori huic fini inſtrumenta congruenter excudat, tantum nihilominùs ſibi eam de ingenij excellentiâ deterere; quanto præpoſterus finis,ac deſpicatus germani, rectiq; finis perfectione humilior eſt. Nam ſi quis Imperatoris acinacem, quo tot ſibi victorias,gloriamq; peperit immortalem, in li-
A gonem,aut bipalium,ad terram vulnerandã, fodiendamq; conuertat; ſi regium paluda-
B mentum ex purpurâ in fruſta diſcerpat, atq; ad ſordes ab equorũ pedibus deterg ẽdas adhibeat; ſi Virgilianum poëma ad inuolucra
C ſcombrorum, rhomborumq; fabricanda dilaceret; in magnamne exiſtimationem, ac famã apud omnes abibit? Nihil minùs. Quippe vbi antea gladio, militari ſcilicet inſtrumento belli victoria, tanquam inclytus finis, erat propoſita; chlamys ad Regis ornamentum,dignitatemq; tuendã deſtinabatur; Æneis Maroniana ad Heroicarum virtutũ imitationẽ ſuopte nutu potiſſimùm referebatur: perturbatis,commutatisq; ſplendidis hiſce finibus in ſordidos,atq; obſcuros,bellicæ nimirũ victoriæ ſubſtitutâ ruſticanâ terræ foſſio-
D ne; regio ornamento in mulionicum equorũ miniſteriũ abiecto; Heroicæ imitationis vices ſalſamentorum operimento occupante; cui

cui illico, ſubductis rationibus, perſpectum non ſit, ex iſtâ finium perturbatione, & corruptelâ nihil emicare poſſe ingenij, aut ſollertiæ; ſed iſtorum vnumquemq; artificum; ex gladio ligonem; ex regiâ chlamyde centunculos, & ſcruta, ex Virgilianâ Æneide cu- E
cullos & inuolucra formantem; tanto obtu- F
ſiore, ſtupidioreq; eſſe ingenio; quanto & ligo gladio; & centunculus chlamydi; & papyraceum inuolucrum Maroniano operi concedit, longeq; impar; imò nulla propemodum ratione conferendum eſt; quantoq; item dignitatis interuallo terræ foſſionem belli victoria; detractionem ſordium regius ornatus; gari, piſciumq; tegumenta diuinum poema a G
tergo relinquit?

135 Sed operæ pretium eſt, Auditores, horologium, miri artificij inſtrumentum, e ferro, chalybeq; conflatum, in quo tanquam in ſpeculo veritatem hanc dilucidiùs intueamini, veſtris oculis accuratâ inſpectione luſtrādum ſubijcere. In eiuſmodi machinamento dentatæ aliquot rotæ, ſtriato axis verticillo A
interiecto, mutuò commiſſæ, & fœderatæ, grauibusq; ſuſpenſæ ponderibus, in orbem ſenſim ſine ſenſu voluuntur. Ferrea in medio columella, ſubtili hærens filo, tenuiq; laminâ tranſuersâ in capite interſecta, atque exemptilibus plumbeis glandibus hinc atq; illinc B
ex eâ pendentibus librata, totius moderatrix temporis, in ſubiectos orbes incidit; binisq; ligulis in eorum dentes, quaſi frænis, ex in- C
teruallo iniectis, rotas in gyrū raptas, deſcri-

ptâ ad numerum morâ, in ſingula penè momenta ſuſtinet, & relaxat. Tandem vbi princeps rota penitùs circumuoluta eſt, cauam in
D crenam decidente ſufflamine, libramentis ad
E terram feſtinato decurſu recellentibus, illico ſoluitur machina, malleumq; verſatilem in-
F citato verbere in tintinnabulū ex ære campano fuſum impellit; quotq; ictus malleus infligit, totidem horas tundendo deſignat. Hoc inſtrumentum ad dimetienda temporū ſpatia excogitatum, tot in rotas, ac ferramenta graphicè deſcriptum, magnum, ſagaxq; artificis, qui id fabricauit, ingeniū inſignitè demonſtrat. Cur autem? quia ſingula eius ferramēta ad finem horarum partiendarum eminentem, atq; arduū ſcitè ficta, & limata ſunt. Si quis ergo, quò ingenij palmam talis horologij artifici præriperet, tot illis orbibus, rotisq; minimè contentus, alias inſuper ex argento, vel auro rotas vellet adiungere; ſi multos præterea ſtylos ferreos variè pictos interponeret; ſi orbes ſingulos minutiores in dentes ſecaret; ſi nihil fermè è ferro toleraret, ſed omnia pro-
G pe ex auro ſupponeret; ſi argenteos capreolos in florum ſpeciem, ad elegantiam paſſim inſereret; arbitramini vos, quæſo, Auditores, nū priorem illum artificem ingenij gloriâ antecelleret? num tam ſpiſsâ rotarum, ſtylorum, capreolorumq; additâ ſupellectile, ſollertiæ vllum ſpecimen, aut veſtigium ederet? Tantum abeſt, vt ſollers is dicendus eſſet, vt potiùs, tanquam importunus ardelio, tanquam ſine ingenio ſtolidus æmulator, aut potiùs in-

inuidus ingenij primo ex artifice egregiè emicãtis euerſor ridendus crederetur. At enim multa ex auro, vel argento valde delicata, valde ſubtilia, pretioſa valde ex integro appinxit, multos alios ex chalybe ſtylos adſtruxit; multa alia ornaméta ex obryzo appoſuit. H
Nihil refert. quin hoc ipſum plurimũ obeſt. nam tota ea confuſæ, atq. intempeſtiuæ ſupellectilis, licèt tam elaboratæ, pretioſæq; acceſſio vniuerſũ corrũpit horologiũ, omnes orbiũ motus tã bene téperatos perturbat, totũ opus, ne horas ampliùs metiri poſſit, moratur, præpedit, opprimit. An igitur tam admirando opere perturbando, peruertendoq; vllam ſibi ingenij commendationem pariet, aut conciliabit? Quin potiùs ſummum dedecus, quòd finem temporis dimetiendi pulcherrimum in putidam, inſanamque auri, atque argenti oſtentationem, inconſultâ permutatione traduxerit. Quare ſtolidè ambitioſus huiuſmodi artifex, etiamſi tam multa vel auro obducta, vel tota aurea proferat, ac ſuperaddat; I
quoties hæc prænobilem, operoſumq; finem, alio quodã abiectiore fine ſubſtituto vitiant, aut amoliuntur, infante nihilo ſecius ingenio, ac bardo eſt. Earum enim in horologio rotarum ſymmetria tanta eſt, tamque accurata, & præciſa ſingularum functionum viciſſim ſibi reſpondentium concinnitas, tam certæ, ſtabileſq; leges, vt non rotam vllam, non K
ſtylum, etſi formatum ex auro, ijſdem in muneribus addi patiantur; aut ſi per imprudenté, & puerilem ingenij oſtentationem ab aliquo

alio

alio ſuperaddãtur artifice; derepente de ſin-
gulari horologij artificio, vſu, ac fine actum
penitùs ſit, & incõſiderati artificis hebes, ſtu-
L pidumq; ingenium vnà pelluceat. Quare ſu-
peruacenea illa tam denſi, abſurdiq; ornatus
adiunctio, non locupletis copia ingenij eſt,
ſed, quemadmodum dicere inſtitueram paulò
ante, ingens fortunis omnibus afflicti inopia.

A 136 Iam quid huius index horologij por-
tendat, Aduerſarij mei, qui tam acuto ſunt
ingenio, facilè, reor, diuinabunt, Auditores.
Vos horologium Orationis ſuas in partes, tã-
quam in rotas, argumentorum circumactas
ponderibus diſtributæ, quæ ad animorũ per-
ſuaſionem, veluti ad horarum diſtinctionem,
in Auditorum animis affectuum malleis in-
culcandã conformata eſt, quaſi parum orna-
tũ, aut minùs ingenioſum deſpicitis. Vt verò
ingenioſiores videamini, quid conſilij capi-
tis? rationum machinas ſubducitis, morum,
affectuumque ſtylos ferreos aufertis, eorumq;
loco innumera leuiſſimorum acuminum im-
pedimenta paſſim intruditis, vel ſi rationum
machinas non detrahitis, illas creberrimis
B argutiarum bracteolis, denſis ſcommatum la-
C mellis, venerum, lepôrum, gratiarumque ca-
D tellis, fibulis, ac dentibus illigatis, infarcitis,
oneratis. Num igitur hac argumentorũ, atq;
affectuum in futilia nugamenta peruerſã tra-
iectione, aut tanto argutiarum rationes ipſas
incredibiliter delumbantiũ luxu ingenij vo-
bis palmam aſſeritis? Auertat omen Deus.
Quin hæc ipſa illecebrarum intemperantia,

illa

illa illa eſt, quæ Orationē, quò minùs in orbem perſuaſionis ferri queat, ſufflaminat; B
aliumque finem extraneū, inanem, ac nugatorium immodicæ oblectationis, putidæque oſtentationis, proprio, inſito, præcipuoque perſuaſionis fine perdifficili, ac ſublimi neglecto, temerè arceſſit, ingerit, obtrudit. Tāta quippe argumentorum in Oratione ad perſuadendum diſtributorum harmonia eſt, cōcentus inter ſe tam aptus, diſpoſitio tam artificioſa; vt ſi ad ingenij celebritatem mendicandam iſtarum amœnitatum redundantiā obruatur, finis perſuaſionis, opus nimirum, vt paulò poſt docebo, maximum, extemplo ſit conclamatus, atq; eiuſmodi Orationum, Cōcionumue architectò ſtupidi cuiuſdam, ac delirantis ingenij nota turpiſſima inuratur. Porrò illa tanta non verorum acuminum, aut ornamentorum, ſed ſpeciē dumtaxat, ac laruā conſimilis ornatus gerentium, confuſa farrago, vel in lineam etiam redacta, non tā aurei ingénij, opulentiǽque, quàm ærei, atq; egeni, vt liquet, exploratū indicium eſt, teſtatumq; chirographum. F

137 Quare Auditores prudentiſſimi, quum Aduerſarij tantâ ingenij imbecillitate, atque inopiâ laborent; nolite mirari, ſi fortè aliquam eis ingenij gloriolam inter diſceptandum hactenus viſus ſum indulgere. Nam quum huic de ingenio controuerſiæ profligādæ nondum eſſet locus; ne veritatis tela ſubdolâ declinatione illi malitioſiùs ludificarētur, vel ſtomachabundi murginarentur, aliquā A

ego eis ingenij non gloriam, ſed vmbram concedendam putaui. At ingenij ſollertis, acuti, vereq; diuitis ſolidam laudem nunquã attribui, ſed merum fucum, merumq; ſimulacrum. Sic enim interpretor, ſic cenſeo, Auditores, exuberantes in corpore humores cauſſam eſſe ipſiſſimam ægræ valetudinis: optimam verò valetudinẽ in humorum omnium mediâ temperataque ratione ſitam eſſe, quam qui peruertat, ſanitatem quoque neceſſariò euertere. Multa in homine ſcabies, humorum quidẽ vitiatorum redundantia eſt; at ſanitatis inopia. Capilli, vnguiumq; præſegmina ab humorum adipatâ copiâ proficiſcuntur; ſed corporis excremẽta ſunt, ac ſordes. Qui binis naſcuntur capitibus, vel ſenis in manu digitis, materiæ vim multã ſecũ afferunt ſine dubio; ſed hæc humorũ eiectamenta ſunt, naturæq; portenta. At quorſum iſta? Vt non obſcurè innuam, ſapientiſſimi Antiſtites, ſpiſſam ſanè acuminum nubem a politulis Declamatoribus effundi, ſed hæc omnia plerunque nihil aliud eſſe, quàm immodicos in corpore Orationis humores, eiuſdẽ Orationis ſanitatem penitùs corrumpentes. Optima enim valetudo Orationis in argumentorum, affectuum, morumque perſuaſioni cõgruentium, nec non in ornamentorum appoſitâ moderatione conſtituta eſt. Fac iam eam multâ ſenſiculorum intemperantiâ laſciuire: quid inde, rogo, niſi ingenij quædam ſcabies, aut intelligentiæ præſegmina emanabunt? Huius uerò pretij ſollertiam, atque inge-

ingenium Aduerſarijs nunquam ego detraxi;
neque inuidendum duxi. Ingenij ſpeciem
dumtaxat, quod uerum eſſet ingenium, igno-
rantibus, tum commentitiâ falſis ingenij ſi-
militudine, nõ inuitus permiſi. Noſtis enim
opinor, Auditores, C. Cæſarem, quum in-
gruentibus undiq; ſicarijs quæreretur ad ne- D
cem, ᵃ in mare ſe ſe deijcientem, relicto a
tergo in fluctibus paludamento; hoſtibusque
imagine deceptis, illud pro Cæſare accipien-
tibus, ſpiculisq; inani prorſus conatu laceſ-
ſentibus, ſoſpitem ad peninſulam Pharon E
feliciter enatâſſe. Eadem omnino vos ludi-
bria deludunt, o ingenij miſeri, miſerandiq;
oſtentatores. Acuminum ceruſſam, ſenſicu-
lorum minium, argutiarum ſales magni opus
ingenij exiſtimatis. Nugæ, logi, bullæ, F
ſomnia. Luditis illuſi, intemperijs æſtuatis.
Non ita eſt. Ingenij vmbræ tantummodo
iſta ſunt, laruata dumtaxat imago, non ſoli-
da forma, aut genuina proles. Nam (vt egre-
giè docet Quintilianus ᵇ) *prima eſt eloquen-
tiæ virtus perſpicuitas, & quo quiſq; ingenio
minus valet, hoc ſe magis attollere, & dilatare
conatur: vt ſtaturâ breues in digitos eriguntur,
& plerumq; infirmi minantur. Nam tumidos,
& corruptos, & tinnulos, & quocunq; alio ca-
cozelia genere peccantes, certum habeo non vi-
rium, ſed infirmitatis vitio laborare: vt corpora
non robore, ſed valetudine inflantur.*

a *Florus lib. 4. cap. 2.*
b *Lib. 2. cap. 3.*

Sciti Ordinis admirabilitatem maximi ingenij eſſe teſtem.

138 SEd iam ſatis, ſuperque, quàm abiecta, quàm peruerſa, quàm inepta ad perſuadendū inſtrumenta Orationum cudant Aduerſarij, quo de piaculo priore me loco expoſtulaturum pollicitus antea ſum, planum feci, Patres ampliſſimi.

139 Nunc ad alterum illum partium omnium ordinem in ipſomet inſtrumento mirè inter ſe conſpirantium, ſagacis, promptiq; ingenij certam pariter teſſeram, explicãdum, orationem conuerto. Ignotum Protagoræ ſerui ingenium, quum multam Dominus ſarmentorum vim, ſoluto faſce temerè diſiectam, atq; confuſam eum colligere iuſſiſſet; ipſeq; ſtatim in eundem planè faſcis ordinē commodè redegiſſet, ſollers Democritus acutiſſimum deprehendit. * Ita prorſus nihil eſt in omni arte, & facultate, quod artificis magis commonſtret ingenium, quàm rerum ſingularium concinnus ordo, ac ſymmetria. Volubilem enim illam Archimedis ſphærã, quæſo vos, tot in circulos, minores, maiores, maximoſq; deſcriptam, tot in orbes tributã, tam varijs diſcretam figuris intuemini. Illam
A æquas in partes æquatore diuiſam, obuerſis
B hinc atque illinc verticibus, axe intercurrẽte,
C ſuſpenſam, orbe finiente interſectam in me-
D dio, tranſuersâ Zonâ, velut faſciâ circumueſ-

ſitam

* *Gellius lib. 5. cap. 3.*

titam contemplamini. Illam labentis Cœli circuitus æmulari; illam errantium ſiderum curſum referre; illam pares, imparesq; planetarum motus exprimere; illam Solis, ac Lunæ vices reddere animaduertite. Quem noſtri tanta orbiculorum multitudo, tã recto compoſita ordine, tam certis terminata finibus, tam iuſtis librata momentis, admiratione non impleat? Cui adeo imperito tanta partium congeries, ſibi vbique tam pulchrè conſentiens, ingenioſi artificis perſpicacem mentem non expingat?

140 Sed age a Cœli ſimulacro, quod in ſphærâ viſitur, in Cœlum ipſum oculos tollamus. Quid ſibi volunt tam magnæ, lucentesq; moles? quid tot orbium ſtatæ, ac perennes conuerſiones? quid indefatigata tot circulorum munera? quid æternis deuinctæ legibus ſtellæ, in ortum, atq; occaſum perpetuò commeantes? Cernitis micantium aſtrorum agmina in tot decuriata manipulos? A Cernitis tot ſcintillantium luminum globos tam diuerſis, ſed bellè cohærentibus figuris incluſos? Cernitis mediam ſubter regionem a duce, ac moderatore reliquorum luminum Sole occupari? Cernitis tanti Regis aſſeclas, & comites; ſupra, Martem, Iouem, Saturnũ; infra, Venerem, Mercurium, Lunamq; vnà circumagi? Cernitis eundem Solem cotidianis veluti itineris caſtris diei, & noctis confinia ſignantem, anniq; ſpatia quatuor in partes ex æquo ſecantem? Cernitis nocturnæ Lunæ faciem acceſſionibus, damnisq; ſemper B

variabilem, ſemperq; proximæ diſsimilem,
luce lucentem alienâ? Cernitis planetarum
C errabundos, ſimulq; ratos diſcurſus, diuerſis
circumuolutos mæandris, præcipitiq;Mundo
in aduerſum ſemper nitentes?

141 Linquamus Cælum, atque hæc infera
perluſtremus. Quid Terra quibuſdam quaſi
redimita faſcijs, hinc pruinâ obſita, illinc
A Solis æſtu torrida; hinc vaſto circumfuſa ma-
ri, immobilis, imaq; ſede iacens, tum mediũ
Mundi locum complexa oſtendit? quid eadẽ
Terra cũ Aquâ; Aqua cũ Aëre; Aër cũ Igne;
Ignis cum Æthere mutuo cõnexi fœdere pa-
ciſcuntur? quid perpetuis prælijs quatuor
rerum initia ſe ſe viciſſim petunt, damna in-
ferunt, ac reſarciunt, concordiq; diſcordiâ
mirè diſſentiendo, mirabiliùs ſemper con-
ſentiunt? quid de multiplicibus Terræ ani-
mantibus diſſeram? quid de plantis, quid de
arboribus, quid de metallis, quid de lapillis,
quid de ſexcentis alijs prodigijs enuntiem?
De homine tantùm, cætera interim prudens,
lubensq; diſſimulans, pauca delibabo. Quid
in perexiguo iſto Mundo, quemadmodum
eum appellauerunt Sapientes, tot membrorũ
varietates tam aptè conglutinat? quid tam
multa muſculorũ officia tam præciſè diſtin-
guit? quid tot venarum coeuntium fluxiones
diſtinet, ac diſpertit? quid tot neruos mutuò
implexos tantâ affinitate conſtringit? quid
tot oſſa tam varia, tam exilia, tam contraria;
magna, ſubtilia, craſſa, rotunda, plana, tam
eleganter committit? quid tot humorum
ſecum

ſecum perpetuò digladiantium rixas, tumultus, ſeditiones frænat, atq; compeſcit? quid denique in anguſtiſſimo humani corporis compendio totius Orbis molem vaſtiſſimam complectitur? Quid, inquam eſt, quod in ſphærâ, in Cęlo, in Homine, in Mundo vniuerſo hæc opera tam adſpectabilia perficit, niſi admirabilis ordo, partiumq; omnium pulcherrima diſpoſitio?

142 Hic igitur tantarum rerũ ſummâ etiã cũ varietate adeo ſtabilis ordo: hęc Cœli, luminumque exporrecta ſcena; hæc elementorum tam conſentanea diſcrepantia; hæc humani corporis tam ſollers cõformatio; hæc Orbis demum totius tam inexplicabilis diſtributio, quid nobis, cordati Auditores, deſignat? quid explicat? An non artificis alicuius, qui hæc omnia architectatus eſt, ingenium ſummopere commendat? An humani tantùm alicuius ædificatoris, vel ſtrũctoris ſollertiam delineat? Imò verò ingenium aliquod acre, viuidum, acutum, humano omnino maius, & quauis acie noſtrâ intelligendi, infinito etiam interuallo, perfectius primo ferè aſpectu, omnibus ponit ob oculos. Ipſum ipſum diuini molitoris diuinum ingenium, ipſam Dei ineffabilem ſapientiam, quæ tam admirandas moles fabricata eſt, tamq; affabre temperauit, hæc ordinis adeo præclari diuinis notata coloribus monimenta planiſſimis vocibus eloquuntur. Vſque eò nimirũ potens, diuinaq; res eſt ordo egregius, Auditores; vt etiamſi cætera deeſſent argumẽta,

hic vnus ſoluſq; ſupremum aliquod Numen,
& Deum extare, tamq; vaſtæ Orbis vniuer-
ſitati præſidere firmiſſimè conuinceret. Neq;
enim in vllius ſanam mentem cadere om-
nino poteſt, hanc ordinis diſpoſitioniſq;
incomparabilem ſeriem, atque excellentiam
vllo alio ab ingenio, quàm a Diuino,
excogitari vnquam, concinnarique po-
tuiſſe.

143 Sed quā ob cauſſam, Auditores, ſplen-
didus ordo ingenioſi artificis haud fallax in-
dex eſt? Nempe, quòd ſicut nihil venuſtius,
ita nihil magis arduum ſit, quàm exi-
mium ordinem componere. Nam vt con-
fusè, perturbateq; pleraq; moueamus,
ſuperuacanea eſt omnis induſtria. Scili-
cet milites, vt palantes diſcurrant, Im-
peratoris ductu indigent; vt pueri incon-
A ditè vociferentur, phonaſci, reor, ma-
B giſteriū requirunt; vt lateres temerè in acer-
uum proijciamus, architectus nempe con-
ſulendus eſt. At verò quæ nobilem poſcunt
ordinem, nonniſi multâ operâ, moleſtiaque
C obſtetrice pariuntur. Agricolæ ſanè ſuas
D caſas, incultaque mapalia, ſtabulis ſimiliora,
E quàm ædibus, ſine podio, ſine contignatio-
nibus, ſine ſcalis, opere tumultuario, paucis
diebus, ne dicam, horis, facilè extruunt. At
enim vt magnificētiſſimi Templi excites mo-
F lem; vt tam vaſtos tholi fornices ſuſpendas;
vt tam varios columnarum ordines dirigas;
G vt tot quadratas pilas erigas; vt tot ædificati

tamq;

tãq; diuerſo ornamentorum genere expoliti parietes, mutuò ſibi reſpondeant, vt vnius columnæ tam multas partes, ſtereobatem, H
ſpiram, epiſtylium, ſcapum, torum, ſtriam, I
volutamq; aptè exſculpas, quantum ſudoris K
priùs exhauriendum? quoties ſub onere fatiſcendum eſt? Vt verò prægrandes, vilesq; L
ſaccos, aut carbaſa cõſuas, haud neceſſe eſt, M
diu antea in aliquo conſenuiſſe gynæceo. At N
vt cuiuſque rei imaginem, viridantem puta camporum planitiem, vmbroſos vallium receſſus, onuſtas fructibus arbores, ridentium flores pratorum, animantium omnes effigies ita acu pingas in telâ, itaque exprimas, vt ars viciſſe naturam videatur, quàm duri conatus eſt, quàm ſpinoſi artificij? Quid? vt vna acus, O
tanquã radius, per tot ſtamina tenue filũ, tramamue tam diſtinctâ texturâ ducat, reducatque; vt repentè quoſdam ex telâ enatos homines, aut modò piſces, iam cancros, nunc aues, uel quoduis monſtrum exilijſſe credas; quàm infatigabilis patientiæ eſt, quàm longi, aſperiq; laboris? Vt parietes ex eâdem fideliâ plures dealbes; etiam quum primò P
periculum ſumis in manum, nullo negotio præſtabis. Verùm ut hominum uultus delinees in tabulâ; ut colores tam uarios ſcienter confundas, rectéque ſecernas; ut unumquemque cum alio ſuauiter temperes; ut umbras ſcitè cuique corporis eminentiæ affingas; ut quæ ſub oculis ſunt, longinqua ſimules; ut longinqua in proximo ſtatuas; ut in cauo plana metiaris, in plano rotunda, in rotundo
 directa,

directa, in recto obliqua, in arcto ampla, in
æquo prærupta adumbres; denique,ut ſolerti
penicillo, quæcunque arrident,bellè ordina-
teque repræſentes, hîc enimuerò diu multūq;
hærendum, ac morandum eſt, Auditores.
Rudia marmora etiam agreſtes uiri,baiuliq;
Q facilè conuehunt. Colores friare nôrunt uel
tirones picturæ. Multam liciorum uim circa
panni fruſtum glomerare, impuberes etiam,
imò uix quinquennes puellæ extēplo diſcunt.
R At fila, colores, lapides in ordinem beluati
S periſtromatis, elegantis tabulæ, uel ampliſ-
ſimi palatij redigere,quantę induſtriæ,quātæ
exercitationis,quot quantorumque menſium,
uel annorum opificium eſt? Summa igitur
difficultas, ſummuſque labor exquiſiti ordi-
nis in quâque arte ſtatuendi cruciat artifices.

144 Neq id profectò mirum.Quippe ſi dif-
ficilius eſt cum duobus,pluribusue paris om-
nino roboris luctari,quàm cum vno,vt reuerâ
eſt: qui ordinem negligit, cum vno tantùm
pugnare videtur,imò cū nullo.nihil enim iſte
cogitatione,aut conſilio prouidet; non eſt,
cur mentem in has, aut illas partes verſet;nō
illi, vt tam diffidentia ſæpe membra compo-
nat, laborandum eſt. At qui ordinem vbiq;
ſectatur, non cum vnâ dumtaxat difficulta-
te, ſed cum multis, & magnis congreditur.
Priùs integrum opus,omneſq; eius particulas
toto animo comprehendit; deinde frequenti
obtutu ſingularum vim, proprietates, impe-
A dimenta, ſitum, figuras, proiecturas, conue-
nientiam,ac diſcrepantiam metitur,ſeduloq;
expen-

expendit; tum ingenij ſummo niſu ordinatim cuncta diſtribuit, graphiceq; conformat. Quare quum præcellentis ordinis conſerendi tanta ſit difficultas; nihiloq; minor, quã iam conſerti concinnitas; miram profectò ingenij, a quo eiuſmodi ordo deſcriptus eſt, præſtantiam arguit; tantoq; magis, aut minùs illius, a quo manauit, perfectionem aperit; quanto magis minuſue idem & pulcher, & compoſitu difficilis eſt. Ergo quum Stellarum, Cęli, Elementorũ, Corporis humani, Orbisq; vniuerſi ordo tam nobilis, atq; elegans, tam ſupra omnem mortalis intelligentiæ captum, iuxtaq; ita ſalebroſus ſit, vt nullâ procreatæ potẽtiæ virtute illum inſtitui potuiſſe, omnibus facilè perſpectum ſit, quilibet naturæ informatus lumine, ſubductis ſecum rationibus, ſtatim efficit, ſibiq; perſuadet, ad tantam rem moliendam, atq; abſoluendam diuino prorſus ingenio, atq; potentiâ opus fuiſſe. Quæ ſanè ordinis eximij ſumma vis, Auditores, nõ primores tantùm noſtrę religionis ſapientes, omneſq; antiquitatis verendos Patres, ad vnum Deum hinc exploratiſſimâ ratione colligendum excitauit; verùm etiam quoſcunq; alicuius nominis Philoſophos, naturæ dumtaxat nutu tacitè admonitos, vt ex Mundi tã ſollerte diſpoſitione ſupremum aliquod Numen mentemq; potiſſimè deprehenderent, ac venerarentur, euocauit.

Oſtenditur iam Aduerſarios ab ingenio eſſe deſtitutos, quia in dicendo carent ordine, ac temerè omnia confundunt.

145 QVum igitur tanta ordinis excellentia ſit, tam laborioſa molitio, atq; perfectio; quumq; inter ordinem, Deiq; ſapientiam tanta intercedat neceſſitudo, vt planè vbicunq; ſplendeſcit ordo, neſcio quid diuinitatis cuiuis homini afflari videatur; quis iam inficiari poteſt, eam quoque Orationem, in quâ ſingularũ partium, atq; membrorum ordo & collocatio eniteſcit, ingenij
A admodum perſpicacis indubiâ teſſerâ eſſe obſignatam; contra verò in quâ vix vllum ordinis aut diſtributionis apparet veſtigium, hebetis, ac veternoſi Oratoris ſpeciẽ dare? Quo-
B circa Auditores, ſi neq, dum Aduerſarij mei, quàm imbecillo, inopeq; ſint ingenio, ſibi ex animo perſuaſerunt, agite, inſpiciamus modò paulo curioſiùs, quâ diſpoſitione tandem, quo ordine Orationes ipſi ſuas, quas ſui ingenij cæterorũ omnium apices longè ſuperantis indices certiſſimos iactant, architectentur. Ego verò, vt quod res eſt, fatear, quem ordinem inanium acuminum, atq; ornamentorum patroni amare queant, aut conſectari, qui cuncta Orationis decora extraordinaria eſſe volunt, anxieq; rimantur, quò nimirum ſupra reliquorum ingeniorum ordinem ingenioſiores habeantur, nõdum aſſequi poſſum, aut intelligere.

146 Luſ-

146 Luſtrate.n.,queſo uos,oculis,Auditores, niſi graue eſt,in pregrandi aliquâ caueâ,opere reticulato, ex ferreo pertextâ filo, cuiuſmodi A plures in Dynaſtarum viridarijs perſæpe viſuntur, omnium generum aues, acanthides, B galgulos, ardeas, palumbos, attagenes, tur- C dos, alaudas, turtures, aliasq; ſexcentas. Hæ D libero volatu,in quancunq. partem illas aura inuitauerit, ſine vllo ordine, ſine vllâ lege feruntur. Illæ in ortum pergunt, iſtæ in occaſum feſtinant: aliæ in Boream tendunt, in Auſtrum aliæ traijciunt, e terrâ quædam in altum ſaliunt, multæ de ramis arbuſcularum inibi conſitarum in aream deſiliunt. Vno verbo, quà cuiq. temeritas & caſus viam aperit, ſingulæ volant, ac reuolant. Quæ autem adeo diſcrepant in volatu,nihilo concinniùs in cantu conſentiunt. Audias illic ſimul cacabare perdices, frigulare graculos, pipilare E paſſeres, pupillare pauones, inconditumque F ſonum, & murmur a cunctis nõ tam profundi, quàm permiſceri.

147 Iã ſi ego huiuſmodi caueas omni auiũ genere refertas, ab Aduerſariorum meorum Orationibus quouis gratiarum, lepôrum,argutiarumq; quaſi volatili animante tumultuantibus repræſentari, vt meritò eas totidẽ planè ornithonas,ſeu auiaria poſſis appella- A re, non docuero, equidem, quàm ſimile ouo B ouum ſit, prorſus ignoro. Nimirum per iſtorum declamationes, quas Orationis,uel Cõcionis inſucant nomine, omnis generis acu- C mina,ſenſiculique diſcurrunt. Nam quà eos

glorіolæ captandæ libido ſolicitat, ultro citroque; furſum ac deorſum, ante, retro ; dextrorſum, ſiniſtrorſum, in obliquum , ex aduerſo, in contrarium rapiuntur. Quid mirũ? quum nullum, ut uidimus, finem eximium habeant conſtitutum , neq; eximio fini adipiſcendo congruentia fingant inſtrumenta; nullum uidelicet etiam ordinem eximium queunt digerere: ſed quum in ſui prædicatione ingenij, Auditorumq; uoluptate exprimendâ toti ſint, quotieſcunque eos aliqua argutiolæ, aut facetiæ enitendæ prurigo titillat, ſiue cum re concinat, ſiue ei officiat, ſiue propoſito cohæreat , ſiue ab eo diſſentiat, nihil penſi habent; ſed quaſi uterũ ferrent mulieres foetæ, impotenter illam ſubitò pariunt, nec ſi quæ leuiſſimæ ſententiolæ ſe ſe offerant, atq; importuniſſimè ingerant, quicquam morantur; utq; eas inſerant, a quæſtione in prærupta, atq; áuia perpetuò abducuntur . Quod ſi ſententias alioqui graues , & maieſtatis plenas habeant præ manibus, uideas illico iſtas ab eis hac ingenij oſtentandi cupidine abreptis, frequentium iocorum luxu eleuari, perturbari, exinaniri. Vbi enim res moeſta eſt, planeq; funebris, eam riſu diſſoluunt: ubi materiæ frons ſeueritate caperatur, ſtyli laſciuiã remittunt; ubi lacrymæ ex ipſo argumento cientur, & cadunt, fabellis aſpergunt, ac prohibent ; ubi in arctum rationibus compellendus Auditor, ſalibus, ut elabatur, operã dant; ubi ueritatis inueſtigãda cubilia, fuco cuncta oblinunt, ac tegunt . Neque vnquã iſti hunc ludum

ludum deſinunt ludere, vt nihil, niſi inſolens valde ſit, probent, omnia licet extra circulũ diſſita, temerè inuehant: hinc verò in ſummos audaciæ ramos tolluntur; hinc infra decorum humi repunt; iam ab ortu exordij in occaſum perorationis ſermonem præcipitãt; modò a meridie cõfirmationis in ſeptentrionem intempeſtiuæ digreſſionis peregrinantur. Eâdem quoq; ingenij venditandi cupiditate incenſi, velut de mentis poteſtate deiecti, ſuos illos lepôres, acuminumq; pigmenta exordione, an confirmationi; narrationi, an epilogo quadrent, non attendunt. Narrationis propria perorationi relinquunt: perorationi accommodata anticipãt in exordio; exordijs dicata addicunt confirmationi. Hæc ipſa oblectandi effrænata libido ipſos argumentorum pondus trutinari non ſinit; quæ primâ ſede, quæ alterâ, quæ deinceps, quæ poſtremâ ſint collocanda, nunquam patitur cogitare; ſingulas partes cõmittere cum ſingulis, ſingulasq; cũ omnibus inconſultè permiſcere ferè cõpellit. Dũmodo .n. intra Orationis caueam tot illæ argutiarum inquietæ volucres contineantur, quanuis caſu ſemper agitatæ, vbiq; fluctuent, ſatis ordine inſtructas arbitrantur. Proinde ſiue iam ſenſiculis cum perdicibus cacabent; ſiue argutijs iam cum paſſeribus pipilent, ſiue ſcommatis iam cum graculis frigulent; ſiue iocis iam cũ pauonibus pupillent; ſiue ſalibus iam cum alijs auibus ſingultiant, inſignẽ ſatis in dicẽdo ordinẽ a ſe inſtitui, ſeruariq; exiſtimãt. At in-

palante acuminum leuiſſimorum volatu, abſonoq; ſtridore quæ ordinis ſemita, reapſe, quæ orbita extare poteſt?

148 Sed quid ego ordinis elegantiam in meorum Aduerſariorum Orationibus requiro? Erraui, Auditores, fateor, valdeq; allucinatus ſum, qui ordinem vllum ab iſtis exegerim, eosq; tanquam ordinis præuaricatores reprehenderim. Quippe quum eorum acumina tam ſcita, ac blanda per ſe delectent ſingula, neq; aliunde pendeant, neq; cũ alijs cohæreant, aut cum cæteris Orationis partibus magnâ aliqua affinitate ſocientur; nullã ſcilicet ab illis ſeruandi ordinis curam poſtulant, nullam illis diſpoſitionis turbandæ religionem inijciunt; ſed liberum omnino campũ, vt quaquauerſum vagè, ſaltuatimq; diſcurrant, patefaciunt. Si quis enim Imperator, educto exercitu, nullum gerendi belli conſilium agitaret, verùm ſeſe dumtaxat cum aliquâ aliorum oblectatione cuperet oſtentare; quæ ordinis conſtituendi ſolicitudo eum tangeret? quæ lex admoneret? quæ neceſſitas cogeret? Nulla. Nam licèt aciem ita diſſiparet, vt non in cuneos, non in quadrum, non in longum, non in manipulos partiretur; non in cornua, aut alas diduceret; ſed quà cuiq; luberet, omnibus ſedẽ daret: ignauiſſimos in centuriones legeret; bardos, ſtupidosq; in prætoriam cohortem referret; meticuloſos, vel furentes in Legatos, aut Tribunos ſibi adiungeret, nihilo minùs integro ſui fine conſilij potiretur. Haud aliter quoque

acu-

acúminum iſti ſatores, ſui oſtentationem ingenij vnà cum puerili nonnullorum Auditorum iucunditate expetẽtes; quanuis in Orationis centuriones non firmas ratiocinationes, ſed leues annominationes ſcribant, in Legatos, Tribunosq; non prævalida argumenta, ſed inſulſa ſcommata deſignent; in prætoriam cohortem non inexpugnabilem amplificationem, ſed futilem deſcriptionem coagmentent; enthymemata non in cuneum centurient, nec dilemmata in cornua diuidant, ſed in nugarum faſcem compingãt: nihiſo ſecius voto fruentur ſuo, ſeſeq; cum aurium aliquâ titillatione venditabunt. Quid quod nullus ferè Imperatorum exercitũ ſine aliquo ordine, ne quidem quum non præliandi, ſed potiùs oſtentandi, vel alios recreandi gratiâ ludibundus exit in aciem, educit? Quanto igitur grauiùs, ac fœdiùs delinquunt Aduerſarij, qui ne in cauſſis quidem ſerijs, ac magnis ordinem vllũ cordi habent?

149 Verùm hæc piacula neglecti in diſponendâ Oratione ordinis, eo ſunt, Auditores, grauiora, quo alia complura ex his infelici foeturâ proſeminantur. Vos enim appello, acuminum elegantiſſimi phrygiones. Quantã in Oratione obſcuritatem ac tenebras veſtro illo ſenſiculorum nimbo, prõ perſpicuitate offunditis? quantam ſatietatem conſimiles ſemper paresq; ſententiolas ad faſtidium cumulando procreatis? quantam, quamue putidam in verborũ lenocinijs, & calamiſtris affectationem oſtenditis? Vos nihil penitùs

enu-

enucleatis,ſed omnia ſingulaq;leuiſſimè perſtringitis. Vos etiam attentionẽ Auditoris perenni argutiarum turbâ, vt fusè iam ſupra explanaui, prorſus obruitis.

150 At quid, obſecro, pronius, Auditores, quid expeditius, quàm huiuſmodi Orationes tam malè compactas, tam fœdè perturbatas, tam ignauè,atque inſipienter diſſolutas fundere? quid procliuius, quàm longum ſenſiculorum funem continuo tractu ducere, geminaq; ac paria acumina tam in principio, quàm in progreſſu, aut in fine proſeminare? quid promptius,quàm ex æquo tam a medijs, vel ab extremis; quàm a primis exordiri poſſe? aut confirmare non ſecus a primis, quàm a primis exordiri? aut confirmare non ſecus a primis,quàm ab vltimis? aut perorare non minùs a medijs, quàm a diſiunctis? quid magis ad manum, quàm eiuſmodi tornare Concionem, in quâ exordium nihil ferè a narratione differat, narratio a cõfirmatione, aut ab epilogo vix internoſcatur? quid minùs arduum, quàm in exordio narrationem,confirmationem, & perorationem, omni propemodum ſublato diſcrimine, cogere; rursũ in peroratione exordium item, narrationem, & confirmationem miſcere: in cõfirmatione demum reliquas omnes partes vnà conglobare? At enim incredibilia ſunt, dicent, hæc corrupti ordinis portenta, quæ criminaris. Itane verò incredibilia?Orationẽ ſanè quaſdam in partes vtcunq; tribuunt Aduerſarij. Sed quas tandem in partes? quibus officijs,fi-

nibus-

nibusque diſtinctas? nullis, niſi ſolo nomine. Nam exordij quidem, narrationis, confirmationis, & perorationis appellationes in ſpeciem retinent, non abnuo: at quũ argumenta, ſententias, affectus, omnemque dicendi apparatum cuiuſque partis proprium in quãcunq; aliam temerè transferant, viciſſimque nulla religione, nullâ prope diſcrepantiâ intempeſtiuè, atq; abſurdè commutent, ecquis ab illis ſingulas cum omnibus, rurſumq; omnes cum ſingulis perperam confundi iure optimo non vitio vertat, ac rideat?

151 Quare, quum Aduerſarij mei Orationes hoc tãtùm nomine extraordinarias, quòd ſine vllo ordine illas non tam elaborant, quàm profligant; non tam ornant, quàm deformant; temerè conſuunt, ſimulq; diſſuunt; quam ingenij famam hinc, aut gloriam, niſi inertis, aut hebetis queunt præſtolari? Docui igitur, quod huius diſceptationis initio promiſeram, acutos iſtos Oratores, atq; Concionatores ingenij laude fruſtrari; tum quia ad vanum, atq; inglorium oblectationis, plauſuſq; excitandi, finem inſano ſtudio feruntur; tum quia Orationum, Concionũue inſtrumenta nulli inclyto fini comparando idonea conflant; tum quia hæc eadem inſtrumenta nullo inter ſe ordine apta deformant potiùs, quàm formant.

Adi

Aduerſariorũ tela ad ingenij lauream extorquendam emiſſa, facilè omnia repulſa.

152 SEd antequàm a feſtiuis iſtis ornamentorum patronis ad Tullianos diuertam, ad ſingula, quæ excuſſerunt, ſpicula, quanquàm obtuſa omnia, iam ſcutum oppono, Auditores. Cornelium Tacitum primò, cognatiq; viros ingenij homines peracuti appellârunt. Quid audio? Tacitum audent commemorare? De Oratorio diſſerentes ſtylo, ab iſtius Annalibus dicendi formam arceſſunt ac ingenij admirabilitatem! Fallor. Dicam ex animo, o iudicij importunitatem! Mitto de Hiſtoriæ eius fide haud ſemel improbis corruptâ mendacijs queri. De ſtylo loquor, cui vt Latinitatem ipſe ego non detraho, ita nonnullis poeticam licentiam adeo frequenter audaciâ vincere viſus eſt, vt quò poetarum confidentiſſimus vltra progredi queat, vix ſanè reperiant. Ac licèt eiuſmodi ſtylus qualiſcunq; in Hiſtorico tolerari poſſit, quanto adhuc interuallo, quàm longinquo figurarum, numerorum, ſententiarum, ac periodorum tractu ab Oratorio, vel Cõcionali dicendi charactere diſiunctus eſt? Verùm L. Apuleio infenſi ſunt. Iterum prudentiam hominum notate, & ridete. Nam ſi Apuleius (quanquam Latini ſermonis auctor, ſi parcè, & cum grano ſalis eo vtaris in tempore, non omnino aſpernandus) eâ ſtyli contagione deprauatus eſt, ſi ludicrâ

illâ,

illâ, ac nugiuendâ elocutione delectatus eſt, A
haud abſurdè penitùs deliquit, neq; inſipienter omnino deſipuit. Nempe eo in opere, de aureo ſcilicet Aſino nihil cum perſuaſione habebat negotij, lepidas tantùm fabellas pangebat, omniaq; iocis, ac ſalibus nitebatur implere. In re ludricâ, & ridiculâ verſabatur. Quid igitur piaculi eſt, ſi & ludicrum, & ridiculum ſtylum commodiſſimè adamauit? Eundem Apuleium in duplici Apologiâ pro ſeipſo perorantem inſpicite, ac de ſubito aliam, longeq; modeſtiorem dicendi formam internoſcetis. Scilicet & ille, quanquam non vir, ſed viri ſpectrum; licèt rudenti, quàm loquenti, vt eum non nemo traducit, propior; vidit tamen, vidit, quid inter nugas, & grauem cauſſam; quid inter ridicula, & luctum; quid inter iocos, ſeriamque perſuadendi efficacitatem intereſſet. Denique Aduerſarij mei M. Tullij Ciceronis, & Fabij Quintiliani teſtimonijs ſe muniuerunt, tantisque defenſi patronis, extra omnem ſine dubio aleam ſe tutos exiſtimant. At ab ijſdem Aduerſarijs quæro. Patronos huiuſmodi, num ex animo aduocârunt? Si per iocum, remitto hoc illis, patiorq; eos id agere, quod ſemper agunt, vt vel in rebus triſtiſſimis, atq; grauiſſimis leuiſſimè iocentur, Sin audent in ſentẽtiâ perſiſtere, quâ tandem fronte? quo ore? quis enim ſeueriùs, quàm Cicero, & Quintilianus has ab Oratione eloquẽtiæ, ſtyliq; intemperias recîdit? Vterque quidem accommodatas ſententias, atque in loco

quum

quum argutias, tum acumina commendauit, atq; vſurpauit. At quoties cauent, quoties monent, quoties inculcant Orationem his parcè frequentandam eſſe, non immodicè infarciendam; diſtinguendam, non opprimendam; illuminandã, non obſcurandam? Quid? omnes dicendi magiſtri, quotquot in hodiernum vſq; diem vixerunt, an non hoc idem præceptum, decretumq; ſemper obſeruârunt, explicârunt, tradiderunt? Hæc ad huius diſputationis exuperantiam; etſi ad rē, quam potiſſimè vrgeo, qui non Latino ſermoni, ſtyloue patrocinor, ſed germanæ eloquentiæ corruptelas, quacunque in linguâ contingant, exagito, minimè neceſſaria.

Regiæ eloquentiæ candidati, atq; clientes antecellunt ingenio, quia perſuaſionis opus, ſeu finem difficillimum, ac nobiliſſimum ſpectant.

153 EReptâ iam Aduerſarijs meis ex tã multiplici capite ingenij palmâ, reliquum eſt, Auditores, vt hanc ipſam veræ eloquentiæ aſſeclis Oratoribus, quà ſacris, quà profanis ſolidè aſſeramus. Atque vt iiſdem veſtigijs, quibus ſollertiæ principatum ambitiosè affectantes in fugam paulò ante coniecimus, inſiſtamus: quem primò ſibi finem, aut opus Tullianæ dicendi formæ, hoc eſt, incorruptæ, fori, templorumque dominæ alumni

alumni

alumni Oratores præſtituunt? omnium difficillimum, ac ſplendidiſſimum, ad animos ſcilicet perſuaſione molliendos, atque expugnandos aptè dicere. Quàm enim arduum, quàm eximium eſt, hominem acerrimè repugnantem nutu rapere, quò velis; ad iram accendere; mox flectere ad miſericordiã? ſpem eius deſperatione incidere, audaciam timore compeſcere, odium amore commutare, reciprocos cupiditatũ fluctus ſiſtere, ac mouere? Quantum laboris, quanta ſeges gloriæ eſt, ſtabile pectus in vtramque partem verſare; nunc gaudio, nunc moerore alternare; æſtuantes mentis procellas tranquillare, tranquillam malaciam perturbare, perturbatam componere? Quantæ contentionis, quantæ laudis, remiſſos, inertes, ſtupidosque viros inflammare dicendo, præferuidos & præcipites ſuſtinere? Quàm durum, ſimulque præclarum, habenas tenere populorum, conſilia altis infixa præcordijs extirpare? mores naturæ prorſus agnatos ab imis fibris extrahere? opiniones diuturnâ peruicaciâ agglutinatas rationum cuneis diuellere? libertimã illam voluntatem, quæ neque auro, neque ferro, ſi ſe tueri velit, obuia eſt, ad liberam ſui deditionem non arietibus, nec catapultis, ſed Orationis impreſſione; non ex mobilibus turribus, ſed de roſtris, & pulpitis; non ſtrictis, intentatisque mucronibus, ſed ſtylo compellere, momentis rationum adducere, voluntarijs catenis pertrahere?

154 Verùm hæc ipſa animi perſuaſione debellandi

bellandi aſperitas, & decus quantum prætereà augetur, ſi in homine præter inſitos, inſanoſque naturæ tumultus virtuti obluctantes, externas quoque Mundi huius illecebras, ſociorum flagitioſa exempla, facinorum opportunitates, ſexcentos vitiorum ſcopulos honeſtæ vitæ impetum vehementiſſimè retardantes adiungamus? quid ſi Dæmonum efferatam tyrannidem, vim incredibilem, exercitam nequitiam, dolos, inſidias, ſummũ in homines odium, infinitum eorundem in ſuo regno, hoc eſt, in duriſſimâ ſeruitute retinendorum ſtudium, & contentionem addamus? Et quos iam humeros, licèt giganteos tam immane perſuadendi onus aduersùs tot tantoſque hoſtes non frangat? Porrò quum ſacris in Concionibus idem ſæpe ſit Auditor, & Iudex, & Reus; quàm erit ſalebroſum, homines ſuorum criminum iudices, non ad pœnas de alijs, quod longè procliuius eſt, expetendas incendere; ſed in ſeipſos, tanquam in ſontes plectendo incitare; in ſuorum animaduerſionem ſcelerum adigere; ſui perditè amantes in ſui infenſos hoſtes ſanctiſſimè traducere? Sed eſt adhuc aliquid longè operoſius in hac perſuadendi prouinciâ, longeq; etiã admirabilius. Nam hactenus explicatæ difficultates vnum tantùm hominem, vt facilè obſeruaſtis, prudentiſſimi Patres, obſident. Iam ſi vnum dumtaxat hominem de propriâ deiectum ſentẽtiâ in ſui poteſtatem dicendo redigere tantæ molis eſt: cogitate vos modò, viri ſapientiſſimi, Concionatorem non cum

vno

vnō ſolùm vnius ingenij homine, ſed cū tot agminibus, cum tam confertâ virorū, ac feminarū turbâ, cum integro populo, effræni, impotenti, ſine capite, tam diuerſo, tam vario, factioſo, atque præcipiti indictum habere certamen. Aſpicite lubricam illam, verſatilemq; multitudinis excetràm, quam ſacer A
Orator ſubigere debet pugnando; illam, quæ verbis obſeſſa, ſemper, quà elabatur, inueniet; illā, quę nunquam dimicanti cedit; illā, quæ cadit omnino nunquā, vel ſi cadit, etiā proſtrata impauido adhuc ore præliatur.

155 Quum igitur perſuadendi munus tam præſtabile ſit, atq; arduum, videant iam Aduerſarij, quàm amplum ingenij acuti, multiplicis, ſubiti, atq; celerrimi theatrum palmares Oratores, hoc eſt, noſtri, qui cum tot egregijs maximisq; difficultatibus glorioſè luctantur, eaſdem ſtrenuè perrumpunt, imperioq; animorum per ſummum conatū fortiſſimè potiuntur, vndiq; patefaciant. Certè qui ingentia pilarum ſaxa, ſubiectis palangis A
moliuntur; vel qui porrectum marmoreæ pyramidis, aut columnæ ſcapum trochleis in B
altum tollunt, rectumq; conſtituunt; eo ſuâ in arte ingenioſiores putantur, quo moles illa, quam verſant, & grauior, & maior eſt. At noſtri Oratores, quum molem omnium maximam, atq; grauiſſimam, auerſam nempe, vel alienam Auditoris mentem, atq; ſententiam, quò lubet, auferant, atq; traijciant: quū voluntatem, refractariam illam ſæpe beluam, C
& contumacem, quam nullæ minæ, ſi ius ſuū

propu-

propugnare velit, expugnant; nullæ blandi-
D tiæ deliniunt, aut cicurant; nulla Regum po-
tentia domat, nullus ſæuientis exercitus ter-
ror conſternat; nulla tormentorum carnifici-
na vincit; quàm demum ſolus Deus, quum ei
placet, nutu ſuo temperat; ſed mortalium ne-
mo, nemo prorſus ſternit, aut labefactat; ipſi
E tamen argumẽtorum ſuculis in omnem par-
tem admirabiliter moueant, ac vertant: quàm
illuſtrem ſibi ingenij lauream decerpunt?
quàm amplam de ſubactis non corporibus,
F ſed animis ouationem, iuſtumq; triumphum
merentur?

156 Sed neſcio quid inſuper magis mirificũ
machinatorum omnium ingenioſiſſimus Ar-
chimedes artificioſo molimine aggreſſus eſt,
& perfecit. * Quanti enim ſudoris eſt, ingẽ-
tem claſſem urbi imminentem, atq; iam ex-
cidium, vaſtitatemq; importantem ſubmoue-
A re, diſſipare, detergere? Quanto impeditius
eſt, multam roſtratarũ nauium vim toti iam
Oceano fræna, ventis incaſſum frementibus,
B decumanisq; fluctibus fruſtra obnitentibus,
inijcientem arcere longiùs, quàm immota la-
pidum pondera machinamento trahere? In-
finitam penè triremium, & quinqueremium
copiam Syracuſis Marcellus Imperator ad-
mouerat. Vrbem fortiſſimo milite contentiùs
oppugnabat, bellicisq; tormentis quàm vali-
diſſimè arietabat. Hinc ſagittarij peritiſſi-
C mi, illinc funditores exercitatiſſimi vix
quonquam ſine vulnere in muri coronâ pa-
tiebantur.

Liuius Dec. 3. lib. 4.

tiebantur hærere. Naues agitatæ remis,contabulatas turres omni militari inſtrumento E
refertas quatiendis mœnibus aduehebant. Iã
aduersùs hunc naualem apparatum tam magnum,tamq; formidandum quid præſidij ſpeculator ille Cæli, ſiderumq; excogitauit? Su- F
ſpicite Auditores inuentoris ſollertiſſimi acerrimum ingenium . Pro muris variæ magnitudinis tormenta diſponit Archimedes,
tum in eas, quæ procul erant, naues ſaxa ingenti pondere eiaculatur; in proras verò propiores ferreas manus firmæ catenæ alligatas,
tollenonibusq;ſuſpenſas demittit;deinde gra- G
ui plumbi libramento ex aduersâ parte ad ſolum illico recellente, in altũ rapit; mox vnã- H
quamq;nauium in puppim ſtatuit,actutumq;
remiſsã vndis affligit,atque immergit. *a* Neq;
contentus aquis obruere, quò etiam flammis
abſumeret, concauis ſpeculis in ſummâ murorum crepidine defixis, Solis radios certam I
ad metam omnes ita coegit, atque retorſit, vt
cunctas naues nullo ferè negotio penitùs inflammârit. Neq; alio ſanè artificio Proclus
inſignis Mathematicus,quum ſuſpenſis æneis
ſpeculis, ſi Zonaræ credimus, a Conſtantinopolitanis muris ignem radijs accensũ, fulminis inſtar, in aduerſam hoſtium claſſem
intorſit ; claſſem vnà cum claſſiarijs repentè K
extinxit, vrbemque obſidione liberauit. Quin
non tantùm pice oblitas naues Archimedes,
& Proclus *b* extemplo cremârunt ; ſed vel

a Rodiginus lib. 15. cap. 13.
b Galenus lib. 3. de temp. cap. 2.

L aheneas etiam, & chalybe obductas moles quæcunque incurrerent, liquare docuerunt.

157 Nũc porrò fingite, Auditores, imò reuerá oculis, ac mente luſtrate peruicacem voluntatis A renixum, tanquam roſtratam nauem, imò non vnam nauem, ſed totidem planè onerariis, B armataſque triremes, quot Auditores aduerſæ ſententiæ obærati, claſſis omnino ingens, integer ſæpe populus, totaque concio, pulpitum circumſtant, in multarum cupiditatum veluti mari fluctuantes, contemplamini. Quoties enim arcem honeſtatis conferta multitudinis manus impetit? quoties ſtipata virorum, feminarumq; agmina diuinarum legum muros arietant? quoties conuiciorum telis virtutis propugnatores feriunt? C quoties iniquæ obſtinationis fundis, ac lapi- D datione iuſtitiæ repagula quatiunt? quoties turres, morum diſſolutione mobiles quidem, at ſcelerum multiplici contignatione præaltas, omni pudori, & ſanctimoniæ euertendæ nequiter admouent? Quæ igitur erit illa vis E tam potens, quæ brachia tam lacertoſa, quæ propugnacula adeo munita, vt tantam tamq; furioſam impreſſionem non dico, retundere, ſed perferre poſſint? At in tam extremo dedendę vrbis periculo, hoc eſt, in cauſſę æquiſſimę aduersùs contumaces homines deſperato ferme patrocinio, enimuerò Tullianæ ingenium eloquentiæ, Auditores, ſeſe in ſuggeſtum tanquam in mœnia improuisò effert; mox hinc in perduelles, a veritate quàm lon- F giſſimè poſitos, argumentorum miſſilia iacu-

cula-

culatur; illinc amplificationis tollenonē tot catenas, ferreoſq; vncos, quot rationibus vincitur, ſpargentem, ab ore ſuo in Auditorum aures, ceu in proras demittit; tū euulſo errore, mentem ineluctabili perſuaſionis vortice G ſtatim rapit, ac mergit. Et poterit huic ingenioſo Oratoris facinori ingenium vllum æquale reperiri?

158 Quod ſi qui capitones ex ære fuſi, aut A ex chalybe facti, duratiq; honeſtatem pergāt contemnere: hîc Oratorū diuinus Archimedes, tot ſiderum ſpeculator, quot ſtellatis en- B thymematis dicendi characterem diſtinguit, Orationem ſuam illico in nitidum, concauumq; ſpeculum fingit, atq; in ſuggeſtu collocat: tum ex eloquentiæ Sole rationum, morum, atque affectuum radios emicantes excipit; exceptos rectà omnes in vnum perſuaſionis punctum ita dirigit, vt Auditores vniuerſos, licèt ferrei ſint, tandem leniat, liquet, incendat, ſuæq; ſententiæ agglutinatos vrendo ferruminet. Vultis vnum, quod ſexcentorum inſtar ſit, memorandum exemplum paulo accuratiùs recenſeam? Ita opinor. C. Cæſar Q. Ligario, * quòd cū in hoſtium caſtris cōtra ſe militâſſe haberet compertum, infenſus, rerum tandem potitus, iniuriæ vlciſcendæ animum adeo obfirmârat, iraq; percitus vindictam tam implacabilem meditabatur, vt nullâ ratione ad commiſerationem flecti, aut inclinari poſſe videretur. Non Ligarij ipſius ſupplices voces, non calamitoſa fortu-

* *Plutarchus in Cicerone.*

ſta, non luctus, non lacrymæ furentem Dictatorem poterant delinire. Omnem Rei excuſationem repudiabat, defenſionem omnem auerſabatur. Obteſtabantur amici: at fruſtra. Rogabant affines,& conſanguinei; ſed inani operâ. Immobili prorſus obſtinatione ſontis multandi pectus ſibi obriguiſſe geſtu, voce, oculis, vultuq; præ ſe ferebat. Diceres ipſum Cæſarem duriorem chalybe, & quouis ſolidiorẽ adamante euaſiſſe. * Verùm ſi huic ferro,& chalybi ſuas faces Ciceroniana eloquẽtia ſubijciat,quàm de ſubito,quàm prodigialiter illum molliet, ac perdomabit? Adeſte præſto animis. En M. Tullius, admirabilis ille Oratorum omnium Archimedes, Ligarij cauſſam,& patrocinium ſuſcipit,atque ad audiendum C. Cæſarem inuitat. Cæſar, quòd ſuum perdendi hominis conſilium vel ipſis inſculptum medullis nullâ arte, nullaque vi deleri, aut reuocari poſſe exiſtimaret, fruſtra quidem ſe inuitari, quando Ligarium iã dudum vt improbum, ſuumque hoſtem damnâſſet,præfatus; officij tamen gratiâ,quò Ciceroni gratificaretur, ſe auditurum, ad amicos conuerſus, reſpondit. Vbi autem M. Tullius dicere orſus eſt;vbi in medium argumentorum depromſit ſpicula: vbi ſuæ eloquentiæ machinamenta in aciem eduxit;tum enimuerò Cæſaris cõſtantem illum,fortemq; vultum varijs paulatim obduci coloribus: animum ſimul diuerſis cieri motibus; mox æſtuare,alterniſque veluti procellis inquietari vidiſſes. Quid porrò vbi Pharſalicam pu-

Plutarchus in Cicerone.

gnam commemorauit Orator ? quid vbi confertas rationes in Tuberonem tam contentè exonerauit? quid vbi hiſce vocibus non tam dixit, quàm tonuit? *Quid enim tuus, Tubero, ille diſtrictus in acie Pharſalicâ gladius agebat? cuius latus ille petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Quid vbi tam acri, incenſaque oratione Cæſaris pectus ex obliquo adortus eſt? quid vbi obſecrando, laudando, demulcendo, premendo, omnia ſurſum deorſumque miſcere cœpit? an non illum flexit, vicitque, ac vel inuitum & reclamantem ignoſcere Ligario coegit? Tanta nimirum fuit dicentis vis, Auditores, tantum robur, atq; impetus, vt Cæſar ipſe paulò ante immoto rigidior marmore, eo Orationis tonitru conſternatus, atq; exanimatus, toto corpore, teſte Plutarcho, contremuerit, ſupplicesque libelli, quos manibus gerebat, repentè ei exciderint, & tam fortis, tantusque Imperator (o vim tuam incredibilem, inauditamque potentiam, M. Tulli!) tot regnorum domitor, tot prouinciarum dominus, tot partis victorijs metuendus, ab vnius Ciceronis ingenio victus, ac domitus, territusq; ex ipsâ, in quâ confidebat, ſellâ penè fuerit exturbatus. Scilicet M. Tullius ex Orationis inflammatæ ſpeculo enthymematum fulmina, affectuum ardore vibrata, in animum adeo efferatum ita adegit, ac torſit, vt inexpectato eum incendio corripuerit, peruſſerit, liquefecerit, placa-

tumque Ligario omnino reddiderit.

159 Quis igitur e cenſu Tulliano Orator Tulliani Oratoris ingenium, quod perſuadendi prouinciam tam difficilem, tam grauem, tam impeditam, tam nobilem gloriosè adeo, ac ſtrenuè perrumpit, peruadit, perluſtrat, ac debellat; ſatis idoneis, amplisq; præconijs exornet? quis ſummam illius vim, atq; imperium non admiretur? quis a diuinâ quadam ſapientiâ hanc mẽtis præaltæ aciem delibatam nõ agnoſcat, laudandoque rurſum in Cœlũ non euehat? Verùm quantuncunq; Ciceronianus Orator emineat ingenio, hoc vno tamen minùs eſt ingenioſus, quòd ſuæ laudem ſollertiæ ne ipſe quidem tam copiosâ eloquentiâ, diuiteque Oratione ſatis eleganter, ac dignè eloqui poteſt.

A *Tullianæ eloquentiæ adſtipulatores ingenio meliores, quia Orationum inſtrumenta ad perſuadendũ accommodatiſſima fabricantur.*

160 VErùm ſi noſtri Oratores finem perdifficilem, præcellentemque, ex quo primam ingenij lucrantur prærogatiuam, intuentur; profectò ad hunc ipſum finem adipiſcendum non minùs appoſitas quoq; Orationes, vnde alteram ingenij lauream ſibi decerpunt, pulchrè conformant. Si enim tria illa ad perſuadendum inſtrumen-

menta, vt initio poſuimus, rationes ſcilicet, mores, atque affectus inſpiciamus; quis hæc omnia ſapientiùs, atque ſollertiùs, quàm Ciceroniani dicendi artifices exercent? Hi nimirùm in omnem ſe verſant partem, vt argumenta cauſſæ neceſſaria eruant. Hi ſingulorum argumentorum officia, momenta, vim, roburq́ue prudenter examinant. Hi adiuncta omnia loci, temporis, perſonarum, negotij diligenter expendunt. Hi, quæ ſint cuique generi propria, quæ aliena; quæ inſita, quæ extranea, tempeſtiuè obſeruant. Hi enthymemata, quæ Auditorum captui quadrent, quæ ſint popularia, quæ nimis a communi cognitione remota, accuratè animaduertunt. Hi genus omne teſtium aduocant, locos omnes excutiunt, nihil inexploratū relinquunt, quicquid in rem ſuam deriuare queunt, ſagaciſſimè odorantur; contra verò quo pacto Aduerſariorum fundamenta debeant conuellere, maturè conſiderant; quid cauſſæ propriæ obeſſe poſſit, tanquam Argi quidam, centum inſtructi oculis, longè ante prouident, omnes eorum latebras tenent, dolos omnes, atque fallacias retexunt. At in exprimendis moribus quis concinniore penicillo, quàm Tullianæ imitator facundiæ, vtitur? quis cuncta acutiùs perluſtrat? quis decôri magis memor, aut retinens omnia, quæ profert, vt ſuam dicentis perſonam maximè deceant, tam penſiculatè trutinatur, aut circumſpicit? quis vniuerſa, quæ expromit, an Auditoribus conſentanea ſint, aut ſecus, religioſiùs ſcruta-

 ta-

tatur? Noſter Orator, noſter concionator eſt, qui ſummam prudentiam, dum omnem rei honeſtatem, atque vtilitatem indagat, nihil non ex deſtinato, atque conſilio affert in medium, rerum omnes difficultates notat, ſimulq; elidit, luculenter aperit. Et cui, niſi noſtro eloquentiæ magiſtro inſignis probitatis totâ in Oratione oſtendendæ opportunitas blandior, aut mollior ſe præbet? Quis aptiùs, aut meliùs, quàm idem perſuadendi Architectus pietatem in Deum, ſacra in Templa venerationem, in viros Religioſos obſeruantiam, caritatem in patriam, iuſtitiam in ciues, modeſtiam erga omnes, in rebus omnibus magnanimitatem, virtutum denique cæterarum exercitationem dicẽdo repræſentat? quis beneuolentiam erga Auditores tam ſuaui lenitate, tam prolixo de omnibus bene merendi ſtudio teſtatur? Vbi autem Tulliani Cõcionatores affectus commouere cogitant; quot illis, & quanta, quàm multa, quàm magna complectenda animo ſunt, & comprehendenda? Ijs attentè proſpiciendum, qui, & quot quâuis in cauſsâ requirantur; qui cuique materiæ conueniant; qui ſint huic, aut illi perturbationum generi obnoxij, in quos potiſſimùm Auditorum ſinguli accendantur; quas ob cauſſas quælibet appetitiones maximè laceſſantur. Ij ſecum, quinam affectus idonei, qui repugnantes, qui præpoſteri videantur, ſeriò reputant. Ij, quâ ratione mutuò iſti miſcendi ſint; quam præparationem, vt ex vno in alium dexterè fiat gra-

dus,

dus, eorum vnuſquiſque poſtulet, ſapienter diſcernunt. Ij grauiores ita temperant, vt quum ad lacrymas eliciendas artis machinas adhibent, nolint tamen videri eas ipſas lacrymas velle elicere. Ij nunquam in commiſeratione diutius morantur. Ij honeſtum ſemper ad commotiones aditum, vt non videatur quæſitus, ſed a ratione vltro oblatus, prudenter captant: receſſum verò non præcipitem, vt non exhauſtus, vel ſatiatus, qui dicit; ſed ſui compos, ac potens, de induſtriâ in alium ſe migrare ſermonem, haud obſcurè ſignificet. Quid ampliùs? Tempus ipſum, ne cui affectui plus, aut minus, quàm oporteat, moræ indulgeat, ſed legitimum tantummodo, iuſtumque ſpatium concedat, numeratis prope ſingulis momentis, ſolicitè dimetiuntur. Quanta igitur Tulliani laus ingenij eſt, quanta excellentia in tam exquiſitis inſtrumentis conficiendis, expoliendis, admouendisq; ſplendeſcit? quanta dignitas, atq; eminentia, non ſolùm quia perſuadendi finē operoſum, atque ſublimem reſpicit, ſed etiam quia Orationum inſtrumenta ad eum obtinendum conflat aptiſſima?

Mirus ordo, magni index ingenij, e Tullianis Orationibus eluceſcit.

161 CÆterùm quia hāc vtrāq; ingenij palmā Aduerſarij, qui perſuadēdi ſtudio, ac muneri nuntium iam pridem remiſerunt, haud inuiti, opinor, noſtris Oratoribus

concedent: iam ad alterum illum ordinem, qui ex partium omnium in ijſdem ipſis Orationibus ſcitâ conuenientiâ extat, ſermonem transfero, Auditores. Cuius enim, niſi Tulliani ingenij ea ſiue Oratio, ſiue Concio eſt, quæ ſingula, & minuta quæque tam artificiosè diſponit, quæ omnia ſuis collocat ſedibus, quæ vniuerſa ſuas tribuit in partes, quæ cuncta membra inter ſe aptè committit? Horologij ordo peringenioſus eſt? horologium Ciceroniana Oratio æmulatur. Viden' totã illam in ratiocinationum dentatas quaſi rotas tam congruenter inter ſe, ſtriato axe intermedio, fœderatas, vt amplificationũ ponderibus rapiantur in orbem? Viden' initio dicendi præcipuæ libramentum quæſtionis, cæteros omnes temperans motus, defigi: mox confirmationem ſenſim quodam prudẽtiæ, ac diſſimulationis ſufflamine quodammodo ſuſtineri, aut potiùs pertexi, quò deinde repentè ſoluta, maiore impetu tonet, ac ruat? Viden' demũ explicatâ peroratione, elapſoque horæ ſpatio, malleum perſuaſionis non in tintinnabulum, ſed in animum Auditoris infligi? Nihil in huiuſmodi tam concinnè fabricato horologio importunè inculcatum, nihil temerè additum, nihil inſertum præpoſterè. Non hîc vllus ambitionis, auræque popularis venandæ puluiſculus, nulla hîc affectationis rubigo tot rotarum motus retardat, vel robur earundem rodit, aut deterit. Nullæ acuminũ redundantium bracteolæ fruſtra interiectæ; nulli argutiarũ

errabundi capreoli ſpiſſiùs affixi; nulli ſcommatum dentes minutiùs ſecti, aut exacuti. Imò ne vnus quidem intempeſtiui ſenſiculi dens in rotam vllius argumenti recipitur. Nempe ſtant fixæ adeo, immotæq; omnium officiorum leges, vt nullam præterea rotam, nullumque ſtylum, licèt multo ſententiolarũ auro obductus videatur, vllo modo patiantur. Omnia hîc momenta non tam temporis, quã cuiuſque inciſi, atque particulæ, certis diſtincta interuallis, certiſque librata rationibus, belliſſimè fluunt, ac ſuauiſſimè illabuntur.

162 Sed quid ego de horologio diſputo? nũ aliquid maius adhuc, hoc eſt, Archimedis illam ſphæram tam admirabiliter elaboratam deſideratis? Sphæram exprimit Oratio Tulliana. Hîc rationum, morum, atque affectuũ circuli minores, maiores, ac maximi diſcriminantur. Hîc theſis ſeu propoſitionis axis exordio, & perorationi, geminis quaſi verticibus, inſeritur. Hîc finiente lineâ membra quæſtionis diuiduntur. Hîc Solis, Lunæque vices, ac motus, hoc eſt, animorum conuerſiones ſpectantur. Parum eſt, Auditores, ſphęram Archimedis a noſtris eloquentiæ artificibus reddi. Cælum ipſum (quis credat?) ingenij veluti throcleâ, ab ijſdẽ ſuas in Orationes deuocatur. Aſpicite enthymematum rata ſidera in tam varias figuras decuriata. obſeruate principis controuerſiæ Solem toti diſceptationi moderantem, omniumque planetarum, ſeu rationum motus ſedulò metientem.

tem. Intuemini hunc ipſum Oratorem iam diem clariſſimum cauſſæ patrocinio afferentem, iam Aduerſarijs, ipſisq; iudicibus noctis tenebras offundentem. Cernite Lunam nunc propria augentem dilemmatû cornua, iam contraria extenuantem, modò expleto exaggerationis orbe pleniùs micantem. Notate obluctantium impedimentorum, aut exceptionum curſus, ceu in contrarium nitentes, a rapido refutationis motu retroactos. Hæc igitur Oratio tam graphicè deſcripta, vt Cæli ipſius diuinum ordinem nobis referat, quâ iam ordinis Cælo ſubiecti præſtantiâ carere poteſt? Vultis quatuor rerum initia? amens ſim, niſi hæc a quatuor eiusdem partibus, exordio, narratione, confirmatione, atque epilogo delineantur. Vultis mutua prælia, atque victorias? mutua damna, & lucra? aut fallor, aut illa ſunt, quæ noſter dicendi faber ſuis dat Aduerſarijs, pauloque poſt ingenti lucro, multoq; cauſſæ prouentu redimit, & compenſat. Vultis fulmina? enthymemata fulminis inſtar intorquentur. Vultis tonitrua? tonant grauiores affectus. Vultis terræ motum? ſubitâ trepidatione Auditorum animi commouentur. Quid vltra egregij ordinis vſpiam eſt? num humani corporis homine maior coagmentatio, inimitabilis, atq; ineffabilis ſymmetria ſupereſt? Imò hanc quoque Oratio Tulliana in ſe traducit. Vbi membrorum tanta varietas? multa in membra vnaquæq; periodus venuſtè diſtribuitur. Vbi muſculi, ac tori? ineluctabili illâ dicen-

A di

di vi nihil toroſius, aut muſculoſius. Vbi nerui? perpetua illa rationum commiſſura neruo quouis validiùs totam Orationem adſtringit. Vbi oſſa? diuerſa firmamenta nō minùs cauſſæ molem, quàm illa corporis, ſuſtinent. Vbi venarum canaliculi? latices illi beatæ cuiuſdam facundiæ leniſſimè manantes, quædam emicantes venæ ſunt eloquentiæ. An igitur noſtris Orationibus, in quibus horologij, ſphæræ, cæli, ſiderum, elementorum, humani corporis, Orbiſq; vniuerſi pulcherrimi ordines tam decorè cōponuntur, poteſt aliquid ingenioſius excogitari? B

163 Porrò hæc tanta ordinis admirabilitas quorum, niſi noſtrorum Oratorum, propria eſt, & peculiaris? Quum enim hi in ampliſſimum perſuadendi finem toto pectore ferantur, is tātus ordo ab hoc ipſo fine ijſdem Oratoribus ex lege neceſſariò imperatur. Statuo namque aliquem Imperatorē, qui hoſtes prælio ſibi euertendos proponat; quis extemplo non colligit, huic exercitum omnem, vt victoriæ fine potiatur, in ordinem neceſſariò eſſe tribuendum? Res aperta. Totam ille ſubitò aciem in legiones ſecat, legiones in cohortes, cohortes in manipulos, manipulos in centurias, centurias in decurias partitur. In fronte principes, in medio agmine haſtatos, in vltimo triarios collocat. Hinc equitū alas ad cornua explicat, illinc in ſubſidijs pugnaciſſimas gentes conſtituit. nullum militē telis hoſtium opportunū relinquit, omnes aditus ad capeſſendam fugam obſtruit, omnia

diuer-

diuerticula, ne a tergo circumueniatur, obſidet, omnes Aduerſarij inſidias præcauet, latera omnia, ne quà impreſſio ingruat, egregiè munit. Haud ſecus noſtri quoque Oratores, quum Auditorum animos, quaſi arcem quandam, dictione ſibi expugnandos decernant, ab iſto expugnandorum animorum cōſilio, ac fine apti congruentiſq; ordinis in Oratione cōſerendi ſtatim admonentur, atq; ad eundem eximiâ ſpecie inſtituendum ſuopte nutu quodammodo impelluntur. Cedò enim mihi eorum Orationes, totidem acies in multitudinis cāpo explicatas dices. Singulæ earum in præcipua membra quæſtionis, tanquam in tot legiones, diſtribuuntur. Rurſum, ſingulis membris ſuæ cohortes, hoc eſt, cauſſæ firmamenta primaria aſſignantur. Denuo, hæc ſuos inductionum manipulos, enthymematum centurias, exemplorumq; decurias ſortiuntur. Primo loco principes, argumenta ſcilicet firma, medio haſtati, nempe firmiora, poſtremo triarij, hoc eſt, firmiſſima ſtatuuntur. Hinc alæ equitum reprehenſionibus armatæ in Aduerſarios excurrunt, illinc Iudicibus ipſis terrori ſunt. Nullus aditus hoſti ad elabendū relinquitur, omnia diuerticula præmunitionibus intercludūtur, nullū latus Orationis, quin nulla ratio nuda, Aduerſariorum fraudibus obnoxia, exponitur; quicquid dicitur, ſemper quadam amplificatione, aut ratiocinatione, vt nulli hoſtium ludificationi eſſe poſſit, cataphractū incedit.
164 Hic autem ordo, Auditores, tam varius,

rius, ac ſplendidus quum in Ciceronianis Concionibus adeo eniteſcat; quis hunc ipsũ, tanquam Tulliani ingenij præſtantiſſimam imaginem, atq; exploratiſſimum teſtem non recognoſcat? Nã ſi ex ſphæræ, cæli, hominis, elementorum, Orbisq; totius ordine in diuini ingenij, atq; ſapientiæ admirationem rapimur: quum hunc ipſum ordinẽ noſtri Oratores ſuas in Orationes tam bellè deducant, an non ingenij cuiusdam humano ferè maioris florem ex ipsâ planè diuinitate libatum demonſtrant? an non Aduerſariorum intelligendi vim longiſſimo perſpicaciæ tractu prætergrediuntur? Nemo dubitabit, Auditores, niſi qui, quàm indiſſolubilem habeat ordo cum ingenio conſociationẽ, penitùs ignorat.

165 Imò verò ingentia illa, quæ lubentes Aduerſarij committunt, piacula obſcuritatis, ſimilitudinis, affectationis, erraticæque euagationis, quot quantisque contrarijs virtutibus peſpicuitatis, varietatis, proprietatis, & contentionis Tulliani Concionatores expungunt? Noſtra ſcilicet Oratio, noſtra Concio eſt, quæ verba omnia, omnesque dictionis ambitus, vt probè intelligatur, coagmentat; ac ne quid caliginis offundatur, clarà ſtyli luce arcet, prohibetque. Noſtra illa, quæ nunquam in eodem hæret veſtigio, ſed nouam ſemper, diuerſamq; rerum ſcenam patefacit, alias atque alias rationum, morũ, affectuumque diuitias continenter depromit. Noſtra illa, quæ in verborum cultu minimè

anxia,

anxia, minimè ſuperſtitioſa, nec tamen negligens, ſed moderatè diligens; ornatum rei congruentem induit: licèt accommodatas metaphoras non repudiet in loco, magis tamen propriè, ac ſignificantiùs amat loqui: ſtylum quidem ſimplicem, apertumque, ſed non humilem; naturalem, ſed non abiectum profitetur. Noſtra denique illa, quæ in argumento poſito habitat, nec peregrinatur, ſed collato dimicat pede; ſtricto ſemper gladio præliatur acerrimè, ſemper vrget, ſemper iugulo imminet, ſemper premendo, feriendoque progreditur.

Fabricatio Tullianarum Orationum difficillima.

166 VErùm hic Tullianarũ ſtylus Orationum, hoc opus, atque artificium quanto illuſtrius eſt, Auditores, tanto quoque conflatu accidit laborioſius. Vt enim nihil facilius, nihilque pronius, quàm effræ-
A nem veredum, aut ſternacem equum, in ampliſſimo laſciuientem prato, quoquouerſum curſu citatiſſimo, ſine vllâ lege præcipitem ferri, ſurſum deorſumque per amœnos colles ſpatiari, nonnihil procedere, extemplo repe-
B dare, in orbem circumagi, ante, retro, in latus procurrere, recedere, deflectere: ita ni-
C hil arduum magis, aut durius, quàm lupatis
D coercitum aſtureonem, ephippijs inſtratum,
E poſtilenâ, pectoraliq; ſuccinctum, habenis,
F & loris ſuſtentatum, rectoris fræno ſemper

pa-

parentem, per anguſtiſſimum callem rectà ſemper, ordinatimque pergere, ad virgulæ vmbram, ac ſibilū illico mobilē, celerare iter; iam gradu tollutim explicato, bellè, grauiterq; G
incedere; modò foſſas pernici ſaltu traijcere; H
nunc poſterioribus arrectū pedibus inſiſtere; I
iam incitatiùs glomerare paſſum; mox vaſtam K
curſurâ effuſiſſimâ tranſuolare planitiem; re- L
pentè fræno monitum curſum abrumpere; ſubitò hærere veſtigio; rurſum laceſſitum calcaribus toto impetu ruere; hoſtem in pugnâ calcibus petere, ferire, proculcare; lacerare morſu, hinnitu territare, niſu, preſſuque exanimare. Nunc, quæſo, quo munere phalerati Declamatores in ſuggeſtu fungantur, attendite. Effrænes ſine vllâ perſuadendi curâ veredi ſunt; ſternaces omnino equi, M
nullum viæ rectorem tolerantes. In latiſſimâ illecebrarum acie ſine vllo moderationis fræno, ſine clitellis decôri, excuſſo rationis N
ſeſſore, temerè in has, atque in illas deſcriptiones excurrunt. quid facilius? Incertò ſemper gradu, hinc ſe in acuminum ſinus flectunt, illinc per iocos, & ſales redeunt; inde ſe in fabulas porrigunt, iſtinc in orbem ſenſiculorum circumaguntur. quid procliuius? mox per argutias ſurſum, deorſumque palantes vagantur; tum per omnes venerū, lepôrum, annominationum, gratiarumque crepidines, exleges, præcipitesque rapiuntur, O
quid expeditius?

167 At quanto operoſior eſt, Deus immortalis, quanto ſalebroſior Ciceronianæ eloquen-

quentiæ prouincia; quanto aſperius munus? Hæc nempe in oblongo Concionis hippodromo per anguſtiſſimum diſpoſiti artificij callem ad metam perſuaſionis rectà ſemper incedit. Defenſionis pectorali loricata, ephippijs amabilis cuiuſdam grauitatis cooperta, habenis motionũ laxandis, adducendisque moderans, cauſſæ inſiſtit; ad quæſtionis nutũ, tanquam ad rectoris ductum, ſemper flexanima, iam ſedatæ narrationis tollutario veluti inſidens, ambulat leniùs; modò immani prętеritionis ſaltu foſſam, voraginemque ineluctabilis difficultatis tranſmittit. quid magis lubricum? Nunc ſe in altam præmunitionẽ tollit; tum retro paululum in conceſſionem quandam, atque indulgentiam agit, vt confeſtim glomerato exemplorum agmine feſtinet celeriùs; vt vaſtam eruditionis planitiem volubili inductione tranſcurrat; vt ingentem perturbatæ mentis puluerem citatiſſimo amplificationis curſu Auditorum oculis incutiat. Quid rarius? quid non mediocribus etiam ingenijs moleſtius? Deinde verò figurarum irritata calcaribus, toto nixu ſe ſe infert in hoſtem; illum enthymematum calcibus tundit, illum dilemmatum dentibus lancinat, illum argumentorum ponderibus, moleq; proterit, illum affectuum non tam hinnitu, quàm tonitru exanimat; ac penitùs ſternit. Satiſne ergo iam Tulliani artificij in Oratione texendâ difficultatem, o Declamatorum deliciæ, intelligitis? ſatiſne vel oculis ipſis ſpectatis?

168 Quid

168 Quid ſi in hoc artificio latet adhuc aliquid difficilius? Videte quantum cauſſæ fidã veritati. Audeo me vobis, ornamentorum patroni, credere; audeo me auctoritati veſtræ ſponte committere. Quid enim (obſecro vos, quod res eſt, candidè enuntiate) quid ſcopuloſum magis eſt, in laxâne areâ, lataq; plateâ, hac, atque illac puerorum more, quũ laſciuiunt in triuio, circummerrare, tum ſeſe A humi ſtolidi aſelli de more, incompoſitè volutare, multo obruere puluere, temerè ſe in omne latus agitare, manus, pedes, caput, totumq; corpus iactare: an contra, volucris inſtar funambuli ſuper extento in aëre fune B tam ſecurè, expediteque, ac ſi domeſtico in in cubiculo nugaretur, cum omnium ſpectatorum admiratione ludibundum decurrere; a fune, quem premit, nunquam aberrare; per totam illam arctiſſimam ſemitam ſaltus geminare; greſſus ſingulos, æquatis hinc atque illinc libramentis, recto ſemper tramite, tutisque veſtigijs metiri? Nemo certè eſt, qui non fateatur, laſciuientis in ſolo iumenti verſatilem ludum, quàm ambulantis in aëre penè funambuli ſaltum multo eſſe proniorẽ. At vos, o perpetui eloquentiæ errones, in veſtris Concionibus, rogo, quid agitis? ab vnâ acuminum tabernâ ad aliam in foro ambitionis; ab iſtâ ad aliam rurſum ſenſiculorũ officinam per varios antithetorum, ſcommatum, venerumque anfractus ſemper commeatis; ſemper huc, atque illuc diſcurſantes, immẽſam inanium nugarum ſarcinam, magno nihilo-

nihilominùs gementes ſub pondere, a re propoſitâ etiam cum ſudore in auia transfertis.
C quid magis ſolutum? Hoc etiam mediaſtini
D in compitis, ac foro, non ingenio, ſed dorſo
E merentes, & cuicunque humeros, pedesque ſuos in omnem Vrbis regionem, vago ſemper itinere, locantes, cotidie præſtant cumulatiſſimè. Vos deinde, pigra capita, totam cauſſam in terram ſternitis; ſtylum in omnẽ digreſſionem temerè vertitis; per ſales, per ſcommata, per argutias, per acumina vos ſupra, atque infra volutatis; totam Orationem in leuem plauſus puluerem, auramque inaniter iactatis. Quid magis cuiuis in promptũ? quid adeo vulgatum? Hoc etiam Caius ille Caligula, inſaniæ monſtrum, quum nudum ſe in cubiculo ſuper pauimento aureis conſtrato numis, ad inauditæ, portentoſæque oblectationis genus captandum, frequenter volutabat, ſtudioſiſſimè factitabat.* Niſi fortè hoc magis pudendum ſit, quòd vbi illius numi omnes erant verè aurei, totam nonnulli eloquentiæ monetam ex acuminum meris adulterijs conflant; atq; vbi ille, etſi omnis pudoris euerſor, ſeſe priuato nudauit in cubiculo, iſti in theatro multitudinis, in roſtris, in pulpitis, in publicis conuentibus tantã acuminũ ambitionem, tã impotentẽ rumuſculorum cupiditatem, tantam iſtarum illecebrarũ intemperãtiam, totâ Oratione, tot animarum ſalute interea, atque ea propter turpiſſimè proſtitutâ, inhoneſtè denudant. At quid hac fœditate turpius, ſimulq; prociiuius?

Suetõ. in Caligul. cap. 42. 169 Con-

169 Contra verò quid ego hîc de Tullianæ eloquentiæ difficultate diſceptem? quid exclamem! An hæc illa non eſt, quæ controuerſiæ funem commodè in rectum porrigit, totius ſtructuram Orationis ad libellam exigit, mox per illum ipſum funem, rationum ponderibus ſemper librata, nuſquam labente veſtigio, decurrit? Quid periculoſius? an non certam ad perſuaſionis metam per argumentorum nexus aptè commiſſos fertur, neq; infra cauſſę dignitatem humilis, neque ſupra decorum inflata, ſed ad amuſſim ſemper enthymematum, affectuumque, vt ſic dicam, pedes, & greſſus tam arcto in tramite numerat, explicat, duplicat, promouet, donec totum Concionis funem in perorationis ſpirã, A ſub exitum feſtinatò conuoluit? Et quis nodus magis implicatus eſſe queat? Si funambulos in fune ſtãtes præ sũmo lapſus,ruinæq; diſcrimine omnes mirabundi ſpectamus: quâ admiratione, quo ſtupore defixus, hærebit immobilis, quicunque Ciceronianam eloquentiam in extento queſtionis fune, recto ſemper pede inſiſtentem, ac ne latum quidem vnguem a fine abſcedentem, contentioſo ſanè, & ſupra quàm plebeia comprehendant ingenia, arduo, ſed feliciſſimo curſu ad controuerſię victoriã, non tàm pergere, quàm volare, animaduertet?

170 Magna eſt igitur, vt videtis, Tullianarum Orationum elaborandarum difficultas, magna planè, atque impedita prouincia, Auditores, eòque impeditior, atque aſperior,

quo

quo tantorum operum artificiũ artificio prę-terea longè operoſiore, atque ingenioſiore inuoluitur, & celatur. Quippe nihil violen-tius eſt, quàm Crœſum ſuperare diuitijs, & tamen diuitias minimè oſtentare: doctrinâ ſeptem Gręciæ Sapientibus nihil concedere, & tamen doctrinam nullam de ſe prędicare. Honeſta virgo, quę ſpecioſiſſimo vultu eſt, ſi non videri geſtit, ſed omnium declinat oculos, ſi ſe gynæceo continet, ſi quęrit ſe-ceſſum, ſeque de induſtriâ abdit, quantam naturę vim infert? quod fręnum impotenti formę hominum adſpectui exponendæ cupi-ditati, quę maximè regnat in feminis, for-titer inijcit? At quis eloquentię diuitijs, quis ſapientię copiâ, quis venuſtâ dicen-di formâ noſtris Oratoribus, ſeu ciui-libus, ſeu Deo ſacratis par fuit aliquando? Et tamen quum tot eloquentiæ opibus circũ-fluant, opes peritiſſimi artifices ambitioſiùs non iactant; quum tantâ ſapientiâ cumulati ſint, doctrinam intempeſtiuè non infarciunt; quum ſtyli elegantiâ ipſis prope gratijs ſint gratioſiores, hanc ipſam elegantiam non ce-ruſsâ aliquâ contaminant, ſed pudibundę in-ſtar virginis, diſſimulationis velo omnium oculis ſubducunt. Orationes ſanè de ſuggeſ-to publicè dicunt, ſed totam artificij admira-bilitatem ab obſeruationis aſpectu remouẽt, ſtudioſè abdunt, multo, vt ita loquar, filo,
A multâ tramâ, multo ſubtegmine, multâ ar-gumentorum, & figurarum texturâ implicãt. Vim illam ſuam cæleſtem Suadę Ciceronia-

na

na non promit initio, ſed modeſtè quàm pri-
mũ, ſyncereque, quid impetrare velit, propo-
nit; tum leniter animi, vt ita loquar, brachiũ
palpat, fricat, & demulcet; vſq; adeo dexterè
verſat, premitque, donec iã planè obſtupefac-
tum illud tibi nec ſentienti ſcalpello perſua-
ſionis incîdit. Argumenta ſua dilucidè ex-
planat, decoreq; ornat, paulatim vocem attol-
lit, ſenſim animatur magis; quæq; in Oratio-
nis veſtibulo timidior videbatur, pedetentim
incaleſcit, mox æſtuat, paulò poſt accendi-
tur, inflammatur, igneſcit.

171 At has eloquentiæ diuitias, hunc doc-
trinæ apparatum, hanc dicendi ſpeciẽ, hanc
perſuadendi vim, hoc Orationis exquiſitum
artificium dicendo obnubere, quanto exquiſi- A
tioris, & operoſioris artificij eſt? quanto du- B
rioris conatus? Quis enim neſcit ea artificia,
quæ, quum oculos fugiant, lateantq; in receſ-
ſu, ex occulto ſunt euocanda paulatim; vt
monſtri plurimum habent, ita quoq; inuen-
tu, perfectuq; multo eſſe difficiliora? Præſti-
giatores illi, qui cuiuis, etiam valde oculato
manuum dexteritate, atq; argutijs imponunt, C
quã ęgrâ, contortâq; nõ minus, quã artificioſâ
digitorum ludificatione fraudes ſuas, & fu-
cos abſcondunt? Multiplices fontium luſus,
ſiphonibus hinc atque illinc aquam eiacu- D
lantibus, quando ſine admiratione intuemur?
at quàm magnis ſumptibus, quantoq; niſu
ſalientis aquę molitrices machinę procul ab E
oculis diſtinentur? Quoties illa, quę vocan-
tur automata, hoc eſt, quędam animata pro- F

pemodũ

pemodum ſimulacra, ſuo ſe nutu mouentia,
atque a nullo, quod pateat, agitata ingenti
voluptate cernimus? at interiùs condita li-
bramenta quàm ſubtili, anguſtoque opere in-
cluduntur? Ita prorſus Tulliani Oratores
quibuſdam velut pręſtigijs Auditorum ani-
G mos videntur infatuare; capiunt, irretiunt,
H illaqueant: Sed eloquētię philtrum, texturę
retia, & laqueos ſingulari induſtriâ, & dexte-
ritate ſepeliunt. Fluentis ſtyli fontes perio-
I dorum ſiphunculis in orbem auditorij diſ-
K pergunt: at ingenioſas machinas non in pro-
L ſcenio locant, ſed intra ſcenam abducunt.
Animata quędam automata Ciceronianę Orationes ſunt, faſcinoque quodam perſuaſionis incantant: at cuncta ſollertiſſimi artificij libramenta in eis quàm diligentiſſimè tumulantur.

Tullianarum Orationum textura ab Aduerſarijs perfacilis temerè iudicatur.

172 QVare quum Tullianarum Orationum opus, atque artificium excogitatu, comptuq; adeo difficile ſit, tantóque difficilius, quanto occultius & tectius; quis non Aduerſariorum, aliorumque conſimilium, qui huiuſmodi artificio, normâque nihil vulgatius cenſent, aut magis parabile, ſummam nō rideat, vt clementiſſimè dicam, incogitantiam? Verba ſingula ferè ſumpta de medio cernunt, partes Orationis, mem-

bra,

bra, incisa a communi non abhorrere ſermone animaduertunt, atque idcirco Orationes id genus fabricare, rem cuiuis nullo negotio obuiam ſtatim pronunciant: artificium tam eximium, quod ipſi ne agnoſcunt quidẽ, molli a ſe brachio uincendum, ne dum imitatione reddendum exiſtimant. contra verò inſignem, luculentamque Concionem texere, atque expolire, nihil aliud demum eſſe ſanciunt, quàm latè fuſo ſtylo res vtcunque cohærentes perſtringere, multam peregrinæ eruditionis vim, variam Hiſtoriarum ſiluam, ſublimes doctrinarum abſonarum apices, leuium acuminum innumera myſteria, quanquam importuna, atq; inepta, in faſcem cogere, ac perturbatè colligare. Hoc Orationis artificium arduum, atq; abſtruſum vocant; Ciceronianum autem dilutum ferme, ac puerile; quin muſſant etiam iacêre cuiuis A in triuio, & vel tironibus in propatulo. Sed B nimirum, quod hiſce lepidis hominibus tam procliue videtur, atq; illaboratum, nihil eſt, vt prudenter olim ipſemet eloquentiæ Rex Tullius prouidit, experienti minus. Nihil enim, nihil planè vſu ipſo tam ſcopuloſum accidit, nihil tam aſperum, quàm ad Tullianum præſcriptum ſiue Orationem, ſiue Concionem elucubrare. Ciceronem imitando cõſequi, aut adumbrare, res imperitis videtur expedita, & facilis. at manum operi admouentium vel giganteos delaſſat humeros, ac C lacertos. Arcanum illud reconditumq; artificium, illa tam multis inexplorata textura,

 ſtylus

ſtylus ille ſplendidiſſimus, opus maius omnino eſt, quàm vt in humilis ingenij cadat anguſtias (Vos enim iam appello, o ingenij, quo caretis, inanes iactatores) eſt aliquid prorſus diuinius, quàm vos tantâ ſollertiæ inopiâ, atq; imbecillitate, vt vidimus, comprehendere valeatis. Huic Cælo tam vaſto
D ſuſtinendo ne Atlantæi quidem humeri, ne
E dum Pygmæorum, pumilionumq; fluxi, atq; enerues, hoc eſt, veſtri, pares eſſe queunt. Nõ eſt, non eſt veſtrarum virium, mihi credite, Ciceronis ſtylum, artemue exprimere. Fidem monenti detrahitis? Agite. periculum facite. Mentiar, niſi vos omnis conatus vel in principio extemplo fefellerit. Quando enim vobis Ciceroniani ſtyli, vel eloquentiæ quic-
F quam ſuboluit? Si Tulliani artificij, vel operis aliquid vultis effingere, aut ſapere: Tullius ipſe totus a capite vobis retractandus eſt.
G quid retractandus, dico? imò nunc primùm fortaſſe luſtrandus, nũc primùm accuratè perlegendus. in cuius ſanè voluminibus compluribus quum multa vobis obſeruanda ſunt, tũ inuſitata in primis textura retexenda, figurarum vis expendenda, dicendi formulæ, amplificationum nerui, morum, affectuumque
H machinæ enotandæ. Magno vobis ſtudio,
I diſertè prędico, magnâ patientiâ vſus eſt. Ciceronis codices in manibus ſemper habendi, diu noctuq; terendi. Et quia vobis, has e Tullio diuitias veſtro Marte eruere, Oratoriæ facultatis infantiâ impeditis; ſat ſcio, non licebit: auctor vobis ego ſum, vt dicendi ma-

giſtrum in Ciceronis libris apprime volutatum, & periciſſimum, qui vos, vt pote hoſpites, in eiuſdem Tulliani artificij, ac ſapientiæ penetralia non grauetur adducere, ſedulò cõſulatis. Cui duplicem ſtrenam, qualem Timotheus ille muſicus deprauatos alio a præceptore diſcipulos repoſcebat, hoc nomine perſoluetis, aut certè debebitis; tum quòd pleraſq; ſtyli, atque artificij corruptelas ab eo priùs dedocendi; tum quòd plurimas de integro germanę eloquentię virtutes ac dotes neceſſariò docendi eſtis. Nuſquã verò, mihi credite, veſtros numos, nuſquã vtiliùs erogabitis. Quanquã ille multo plures, quàm numeraturi ſitis, haud dubiè merebitur. Magnus quippe ab illo labor in vos impendendus eſt. Toti planè, ſi attenditis, denuo eſtis recoquendi. Et cuius pectus prouincia tã grauis nõ frangat? Porrò ſi poſt multam operam Tullianæ eloquentiæ tributam, aliqua lineamenta, coloresq; in cuiuscunque linguæ Orationibus, Concionibusq; ducere addidiceritis; compertum erit omnibus, vitium, quo veſtrum hactenus ingenium hebetatum eſt, rudis potiùs inſtitutionis, quàm obtuſæ mentis, fuiſſe. Sin autem fruſtra id a vobis laboris erit ſuſceptũ, veſtro exemplo cunctis prædicabitis, certamque facietis fidẽ, in Tulliani artificij, ſtyliq; adyta non omnibus ingenijs aditum, atque acceſſum patêre. Quæ vniuerſa, Auditores, eò videlicet pertinent, vt ſummam Ciceronianæ eloquentiæ difficultatem, quippe quæ tanto ad imitandum fit impeditior, quò nos

occultior, eoq; ſalebroſior, quò inexpertis expeditior videtur, veſtro iudicio, veſtriſq; oculis contemplandam, perpendendamq; ſubijciant.

Ciceroniana eloquentiæ forma omnibus abſoluta numeris, ſuo in lumine collocatur.

273 EX his poſtremò omnibus dicendi præſidijs, ex tot rationum, morũ affectuumq; inſtrumentis tam ingenioſè inuentis, tanto, tamq; improbo, eoq; improbiore artificio, quo magis tecto, concinnè adeo diſtributis, nec non tam congruenti dictione exornatis perfecta illa Tullianæ ſpecies eloquentiæ tandem exiſtit, atq; efflore-ſcit. Quid enim eſt, Auditores, tam durum, quid tam incredibile, quod illa non leniat, flectat, ac perdomet? Hæc profectò integerrima illa, & plena maieſtatis virgo eſt, quæ
A frontem animoſè commaſculat, neq; vt illa Aduerſariorum madens, atq; effeminata, me-
B retricio purpuriſſo vultum adulterat, ſed tanquam Amazon inuictiſſima, in quæſtionis
C equo, peltâ argumentorum, & commotionũ
D munita, per confirmationis balliſtam, haſtã perſuaſionis intorquet. Hæc illa bellatrix fortiſſima, quæ rem propoſitam tam dextere vrget, tam blandè imprudentibus animis inſinuat, tantâ vi gradatim amplificat, tanto refellit pondere, impreſſionem ſemper maiorem facit, aduerſariumq; maiores ſemper in

ar-

anguſtias redigit, atq; vbi impreſſionis, pu-
gnæq; finé adeſſe puto; tũ ea, quaſi me hacte-
nus vix attigerit, alias ex integro ſagittas
ꝓmit, firmiora rurſũ machinamenta, ad quē-
cunq; obfirmati præfractique Auditoris ani-
mum, cuſpidatis argumentorum tormentis, E
cochleæ inſtar (audaciùs dicam, vt dicam ſi- F
gnificantiùs) penitùs terebrandum, exerit, G
ac promouet. Iam verò tam validæ facundiæ
Oratio quid non vincet, ac ſubiget, quæ per-
duellium animorum obſtinata conſilia, tan- H
quam moenia, ratiocinationum arietibus
quatit, ac demolitur? illa, quæ pertinaciæ ar-
cem quà artificij defoſſi cuniculis ſubruit,
quà ſcalis enthymematum ſubmiſſorum ſen-
ſim admotis, conſcendit, & calcat; quà aper-
tâ commiſerationum vi proſternit, ſoloq. ex-
æquat? illa, quæ in acie & armorum, & pu-
gnæ mutans genus, cum à grandioribus telis
ad breuiora deſcendens, nouas ſicas, nouoſq;
pugiones, duriores ſemper, atq; acutiores im-
prouisò nudat, interior fit ſemper vulneri,
collatoq; pede dimicat, pungit, ac ferit; neq;
ante excedit e prælio, quàm totum mihi per-
ſuaſionis ferrum defigit in pectore, fruſtraq;
reclamantem exanimat, atque ita exanimem
vociferari cogit: *Victus ſum, herbam porrigo,
tuam in opinionem, atque ſententiam vel inuitus
concedo.*

174 Quod ſi hæc eadem Oratio palmaris,
regia, atque imperatoria, eâdem quidem
formâ, vultuque a M. Tullio ſacratis viris
credatur, at profanis exuta veſtibus, alijs, hoc

eſt, ſacris paludamentis induatur, ſacriſque inſtructa præſidijs, ſacroſancta Templa perluſtret, atque in pulpitis vim ſuam, efficacitatem, atque potentiam effundat; Deus immortalis, quæ ſubita rerum omnium commutatio, quæ nouæ hominum facies, quæ noua pauimenti, & parietum ſcena? obiurgat, at ferit; rogat, at flectit; clamat, ſed penetrat; minatur, ſed terret; execratur, ſed tremore quatefacit. Alto derepente ſilentio, ſuſpirijs tantùm interrupto, ſingultibus fatigato, fletibus expugnato, Auditores omnes tenet immobiles: Illos nunc rubore perfun-
A dit, nunc emaciat pallore, nunc, ne mutuò ſeſe audeant aſpicere, metuendâ oris maieſtate deterret. Hinc cuncti ferè dicentis ardore ſaucij, extemplo in preces fuſi, humiq;
B ſtrati, piacularem verſant coronam, ſalutantes ſub Concionis finem amicos nō audiunt, nec reſalutatos piè inurbani dimittunt. Exeuntium e Templo vox vna omnium eſt; o Concionatorem ter ſanctum! o cæleſtem Dei legatum! o peccati monſtrum horribile! o honeſtatis amabilem pulchritudinē! Hæc nimirum Rhetoricæ diuinę diuina proles eſt. Hæc illa portentoſa animorum moderatrix, quæ irâ furentes, vindictæq; cupiditate præcipites frænat. Hæc, quæ nudatos enſes vulnerique proximos vaginis reddit. Hæc, quæ
C rapacibus Harpijs res furto ſublatas, ferreis licèt arcis preſſas, licèt profundis humatas foſſis, eripit, ereptaſque dominis ſuis reſtituit. Hæc, quæ Veneris flagitioſa mancipia,

hir-

hirco peiùs olentia, ſubitò lilia docet afflare D caſtitatis. Hæc, quæ pacem foris domiq́ue alit. Hæc, quæ bella in noſtræ religionis transfugas accendit. Hæc, quæ Chriſtianos inter Principes arma, atque iras componit. Hæc denique illa illa eſt, quæ nutu ſuo quãcunque in partem Auditores rapit; quæ eorũ ex mentibus opiniones & decreta cordi mordicus hærentia, iamq́ue infixa medullitus, argumentorum, atque affectuum veluti forcipibus, per ſummam contentionem ſtirpitus E euellit, vitioſas antiquat conſuetudines, nouas condit leges ſanctiſſimas, omnium hominum ſaluti conſulit, hiantem perdendis animis Orcum claudit, miſerè demum pereuntibus Cœli beatiſſimas ſedes pandit. O eloquentiæ machinas potentiſſimas! o Orationes, atque Conciones ad cupitam ſententiam, ac deliberationem ab Auditoribus extorquendam ab ipsâ planè Suadâ conformatas! F

175 Ex hoc nempe admirabili, ac munitiſſimo Tullianæ facundiæ, quam paulò ante in ſolo Cicerone ſpectauimus, armamentario ſuam deriuauit in Hetruſcum ſermonẽ Orationem nobilis ille, atque inſignis Concionator, quem Angelus Politianus, homo diſertus, atque eruditus, ſed emunctæ omnino A naris, duriq́ue admodum ſupercilij, vel inuitus ſuſpicere, ac prædicare coactus eſt.* Acceſſerat is, vt de ſe ipſo ipſemet ſcribit, ad audiendum veluti tentabundus, neque tam au- B diturus, quàm non ſecus, ac cæteros, quos

* *lib. 4. epiſt. 6.*

 tanto

tanto munere ineptè interdum abutentes de more irridebat, contempturus. At vbi de ſuggeſtu vir eloquentiſſimus exordio quàm accommodatiſſimo Auditorum animos, ne dum aures, ſibi cœpit demereri: tum ſubitò difficilis ille, moroſuſque cenſor aures arrigere, auideque leniſſimè loquentis copiam haurire, nec non grauibus, ſuauibusque ſententijs demulceri. Poſt exordium diſtinctè ſacer ille Orator partitur, iſte attendit. Nihil implexum, nihil inuolutum, nihil fruſtra aduocatum animaduertit. Texit deinde argumentorum nexus: & ſtatim qui venerat faſtidioſus Auditor, illaqueatur. Retexit, expeditur. Inſerit alicubi affines cauſſæ narratiunculas, oblectatur. Premit, vrgetque enthymematis, dat manus. Experitur affectus mitiores; ſtatim de oculis per os lacrymæ cadunt. Clamat iratus, terretur. Denique pro re ipsâ, quam tractat, & figuras, & vocis flexus variat, & vbique actionem geſtu commendat (quæ omnia in noſtri quoque Oratoris, atque Concionatoris ære ſunt, ac cenſu) & ecce tam vehementi eloquentiæ impreſſione proſtratus Politianus mentem priſtinam illico exuit, noua init conſilia, totusq; in alium prope hominem migrat.

176 Hanc eandem eloquentiæ formam, & vim Sapientum totius Græciæ Pater, ac lumen Gregorius Nazianzenus magnâ ex parte (vt facilè nôrunt omnes, quicunque in eius monumētis vel mediocriter verſati ſunt; præcipuè verò qui eum Græcè loquentem le-

gerunt) expreſſit.* Vtebatur ille preſsâ Oratione ſimul, atque vberi, ſtyloque peracuto non tam vibrabat, quàm vulnerabat. In eloquendo grandis, magnificus, ſuauis, copioſus, plenus omnino dignitatis. Si ſenſa expendis, in altum ſe effert: ſi verba trutinaris, omnibus dictionis opibus ad miraculum vſq; circumfluit. Vbique ſententioſus, aureæ mentis multiplices fœtus expolitæ elocutionis elegantiſſimis, vt ita dicam, faſcijs, & incunabulis excipit, atque exornat: cum ſupra omnem ingenij aleam diſertus, conſummatæque in mitioribus literis peritiæ, nihil ille dicendo premit, quod ab Auditoribus ſine morâ non exprimat. Quoties verò de induſtriâ in altiſſima quæque myſteria, cum magno verborum, rerumque pondere, ſe penetrat? quoties diuini cuiuſdam ingenij pennis ſubnixus, in arcana Theologiæ ſe inferens, quaſi Deus quidam de Cęlo fulminans, e machinâ Orationis tonat, & quodam veluti fragore totam obruit, ſternitque concionem? Quid vbi hiſce eloquentiæ arm s munitus, grauis, acer, velox, ſibi vbique par, Iulianum Imperatorem, cui perfidię infandę crimen *apoſtata* cognomentum, & notam inuſſit, aggreſſus eſt? quot, quantiſque motibus, quibus contentionis arietibus eum verberauit, concuſſi, labefactauit? Hęc ſcilicet tanta eloquentię pręſtantia illa fuit, quę nunquam ipſum, licèt ſolitudini addictum quàm maximè, in receſſu quieſcere, aut latêre paſſa eſt. Hęc fuit, quę integras Vrbes po- A

* *Vtraq; ex Cauſſino deprompta.* M 5 pu-

puloſque ad illum in antris, & ſaltibus commorantem, tot tantiſque perluſtratis regionibus, diligentiſſimè perquirendum, excitauit. Hęc fuit, quę relicto toties Concionatoris munere profugum, atque in ſpeluncas abditum, fruſtra reluctantem, in ſacra iterum Roſtra, atque ſuggeſtum euocauit. Hæc fuit, quę, quum idem ipſe ad ciues Conſtantinopolitanos numero penè infinitos in maximo, refertiſſimoque Templo diceret; tanto repentè ſilentio, atque admiratione vniuerſos defixit, vt nemo ab eo oculos, vel aures aliò auerteret, aut declinaret; nulla neque uox, neque ſuſurrus, neque oſcitatio, imò ne reſpiratio quidem exaudiretur. Tanta fuit innumerabilis populi eius ex ore pendentis approbatio, tantuſque aſſenſus, ut ipſemet Gregorius tam inſolitum admirationis prodigium nõ potuerit non ſummopere admirari, palamque fateri etiam coactus ſit, ita omnes ſuã erga eloquentiam, ut ferrum erga magnetem, affectos: nec ſecus, atque ab iſto illud trahitur, eloquentię ui ab ſe abreptos, ſuam in ſententiam uniuerſos tranſijſſe.

177 Hanc denique expletam vndique eloquentiæ formam ille Concionatorum omniũ coryphæus Ioannes Chryſoſtomus (vt interim Tullianorum aliorum Oratorum, atque Concionatorum, qui ſuam in poteſtatẽ quoſcunque animos dicendo ſemper redegerunt, integrum agmen tacitũ prætermittam) ille, inquam, Antiſtitum omnium ſingulare decus, cui aureæ facundiæ copia aurei oris cognomen

gnomen indidit; ſuis coloribus, ſi quis alius, ad viuum ſupra omnes expinxit. Quis enim elegantiore literaturâ excultus? quis in rerum diuinarum myſterijs interiùs verſatus? quis in implicatarum difficultatum nodis diſſoluendis expeditior? quis in obſcuris quibuſcunque tenebricoſiſque ſententijs verborum perſpicuitate illuſtrandis lucis quoſdam radios vnà cum verbis ipſis clariùs, aut copioſiùs ſpargit? Feliciſſimam cæleſtis hic præco in dicẽdo popularitatem mirâ temperat maieſtate; idem verborum nexibus volucer, & grauis; incitatus, & ſeuerus; fuſus, atque adſtrictus. Videas in eo ſpecioſas quidem rationes; videas circuitum, & pompam; ſed ab omni redundantiâ, atq; affectatione prudenter ſeiunctam. Videas theſaurum ſapientiæ, ſenſus opulentos, tractus leniſſimos, figuras, quà dignitate, quà venuſtate decoras: ſed hæc omnia ab omni oſtentatione aliena. Fuit ille incredibilis cuiuſdam eloquentiæ theatrum ampliſſimum, in quo omnium animos quà, & quò volebat, ab eodem adductos, traductoſque licebat intueri. Nam quis, rogo, quis intimos hominũ ſenſus magis explorauit? Iracundię faces ſubijceret? illico omnia ignoſcebant. Furorem blando ſermone deliniret? Statim vel immites feras cicurabat. Peruicaces, & refractarios increparet? Subitò tanquã ſagittis confixi ingemiſcebant. Animum cõmiſeratione tangere niteretur? omnium oculi, atque animi colliqueſcebant. Quum verò ei lubet, oratione utitur adamantinâ, eaque uel A

quouis ictu fulmineo potentiùs ſaxa, & marmora, hoc eſt, contumaces, & capitones perrumpit, ac domat. Quoties Antiochenum illum populum tam uarium, cerebroſum, & reclamantem, contentè perorando ſubegit? quoties in lacrymas ſoluit? quoties exanimauit ſuſpirijs? quoties in quendam clamoſi plauſus tumultum exciuit? o prodigium tuę eloquentię, Concionatorum eloquentiſſime, inſolitum, atque inauditum! Quoties namq; tuâ uicti eloquentiâ Auditores, te dicentē ſecundâ admurmuratione, atque acclamatione interturbârunt? quoties acriter urgenti ſe dediderunt? quoties toto niſu, ne penitùs opprimerentur, uociferando, lacrymandoque lacrymantem oppreſſerunt?

178 Quid quòd Chryſoſtomi non tantùm in ſuggeſtu dicentis Oratio animata, ut ità loquar, & ſpirans, adeo potens, & diuina uiſa eſt, ſed exarata quoque dumtaxat in tabulis, & pugillaribus, muta, elinguis, ac ferè mortua, non minùs ſollertiſſimos quoſque, & diſertiſſimos, ne dum indoctos, & rudes tenuit, pellaciq; quodam illicio faſcinauit? Teſtor ego Libanium illum Sophiſtarum omnium ſui temporis maximum, qui Chryſoſtomi noſtri ęqualis, imò & magiſter, quum Orationem laudatiuam ab eodem ad ſe dono tranſmiſſam in conuentu inſignium Oratorum recitâſſet; neminē ex tanto ſapientum uirorū numero fuiſſe, qui non ſtatim gaudio tripudiauerit, atque acclamauerit, acclamationique ea omnia, quę homines inopinatâ

natâ perculſi admiratione, edere ſolent, adiunxerit, ex fide, ſanctéque commemorat. * Quod ſi Chryſoſtomus in eâ laudatione paulò vtique, vt res poſcebat, hilariore, vel tacitis ex folijs, paginiſque faces vibrauit, & fulmina: iam reputate vobiſcum, Auditores, atque colligite, quantus ille in grauioribus argumentis fuerit, quàm contentioſus, & vehemens. Cernite illum in Arrianos ſæuiſſimos noſtræ religionis hoſtes apud Imperatorem, rectè quidem ſentientem, ſed eorum factione trepidantem, metu ſolicitum, ancipitique euentu anxium, magno animo inuehentem. Quanto ſententiarum pondere, quibus affectuum catapultis illum percellit? quibus incenſæ orationis ſulphuratis malleolis animum præſentis non inflammat? Quantâ vi C
dicendo (an potiùs tonando?) exclamat, fremit, excandeſcit, ſtatimque Cæſarem, poſito timore, ad diram illam Arrianorum, licèt nobilium, ac præpotentum, luem totâ ex vrbe pellendam mouet, incitat, adigit? Sed quàm longè operoſioris adhuc molis fuit, Gainam Imperatorij ductorem exercitus, viribus gratiâq; Arcadij Augusti tumentem validâ oratione proſternere? Adeſdum ſæua Arrianorũ belua, infeſtiſſime propugnator, vindexque crudeliſſime. Ades adumbratâ rerum bellicarum gloriâ inflata excetra? Ades ingenti au- D
licorum famulitio, Arrianiſq; clientibus ſti- B
pa te prædo? Ades tuæ ſectæ, atque factionis ho-

* *In Epiſtola ad ipſummet Chryſoſtomũ ſcriptâ, relatâq; ab Iſidoro Peluſiota in Epiſtola ad Orpheliũ.*

hominibus, patrone omnino impudentiſſimè, templum audaciſſimè poſtulans? Vt concedatur, miſces precibus minas, totoque anhelitu iras, & furias proflas? Nutat, Auditores, Imperator: quid ineat conſilij, ignorat. Paterna pietas altis impreſſa veſtigijs, hinc illum elatis vocibus Chriſtiani officij, nefariæque inſolentiæ compeſcendæ admonet: at impotentiſſimi hominis repulſam ambitioſo ſtomacho minimè concocturi artes, viresque illinc eundē territant; verendumq; etiam atq; etiā eſt, ne maximā potentiā, quaſi arcum in ipſum Imperatorem euertendum, vertat, imperijque iam fatiſcentis ſummam funditus exterminet. In tantâ igitur rerum omnium timiditate, in tam ancipiti deliberatione, præſentique diſcrimine quid præſidij, ſupereſt, aut perfugij? En pannoſus ille, ille abiectus, pauloq; ante ignotus Anachorita Chryſoſtomus, eloquentiâ præcinctus, in aciem fortiter prodit, cum hoſte truculentiſſimo acerrimè congreditur, proiectæ frontem audaciæ fortiſſimè contundit, furoris dementiſſimi effrænem impetum arctiſſimè comprimit, arrogantiſſimum hominem, quaſi puerum virgâ, extemplo coercet, fruſtraque inuidiâ lacrymante, noſtrâ autem Religione geſtiente, tum bonis omnibus gaudio exultantibus, atque plaudentibus, ſceleſtiſſimæ Hæreticorū poſtulationi intercedit, planeque ſecurim inijcit: ſuperbiſſimum Ducem confertiſſimâ non tam militum, quàm latronū manu vallatum, metuendumque in eâ ipsâ Vrbe, in

quâ

quâ iam ſibi Imperij ſedem animo deſtinâ-
rat, vagum, errabundum, profugum, baſili- H
cæ expetitæ immunem, irriſum, atque extor-
rem facit, amandat, exturbat.

Summarium totius de ingenio diſputa- A
tationis, ac refutationis.

179 QVæ quum ita ſint, Auditores, vt
omnia, quæ de perfectæ eloquẽ-
tiæ ingenio latiùs diſceptauimus, in ſummã
veluti, & breuiarium contrahamus: quum no- B
ſtris Oratoribus, atq; Concionatoribus hinc
nobiliſſima, ſimulque difficillima perſuaden-
di prouincia, totius conatus finis, conſtituta
ſit; illinc verò Orationum, Concionumque
inſtrumenta artificio tam eximio, arduo, at-
que recondito, tantâ perſpicuitate, tantâ va-
rietate, tantâ proprietate, tantâ contentione,
ad perſuaſionis opus moliendum, accuratè,
ſollerterque fabricata, iure ſuo vendicentur:
quis iam arcem, regnumque omnium inge-
niorum Ciceronianis ab ingenijs tãto viriũ,
ac prærogatiuarum apparatu occupatum non
fateatur? Cui tandẽ vel cæcutienti non illu-
ceſcat, quantum ſit tuum, M. Tulli, quantum
veſtrum, Ciceronis alumni, ingenium, quod
tam egregia monimenta enititur? quàm vi-
uidum, quàm perſpicax, quàm volucre, ac
ſapiens? quàm ſupra inanem logodædalorũ
oſtentationem elatum? quàm a vulgari ho-
minum, eorũ etiam, qui ſe doctos, acutoſque,
inuitâ tamen Mineruâ, dici, haberique vo-

lunt,

ſunt, conditione remotum? quàm deniquè ſublime, quàm capax, quàm, vno verbo, incomparabile, ac diuinum?

180 Non ſum tamen neſcius, Auditores, huiuſmodi ingenium tam inſigne non omnibus arridere: quin etiam nonnullis, atque vtinam non pluribus quoque penè ſordere. At hoc ipſum M. Tullij, aliorumque tanto ſub
A Imperatore ſtipendia merentium Oratorum, atque Concionatorum decus eſt, hæc regiæ eloquentiæ gloria immortalis, hoc ingenij
B præſtantiſſimi exploratiſſimum præiudiciũ, id genus hominibus perridiculis in primis diſplicere. Hæc prima ex tam multis tantorum virorum dotibus eſt, perennis imperito-
C rum inuidia. Hæc noſtræ cauſſæ baſis immobilis, quòd M. Tullius, veraque forma eloquentiæ nullos alios ſui, niſi Orationis tam
D ſiccæ, tam ſtramineæ, tam inflatæ, tam poëticæ, tam peruerſæ amatores, implacatos numerat accuſatores. Vos verò omnes Tullianæ dicendi formæ infenſi hoſtes, quum arrogantiâ, atque ambitione turgeatis, pergite ſanè Ciceronis ingenium contemnere, veſtrum autem habere in delicijs. Pergite, quum auræ popularis ſitis mancipia, plauſus, atque gloriolæ illecebras deperire. At dum Tulliana ingenia tam inconſideratè ſpernitis,
E nempe vos ab ingenio exheredatos eſſe imprudenter omnino proditis. Dicam, amicè, dicam ex animo, dicam liberè, ſed dicam veriſſimè. Vos, quum nihil penè, quod ad perſuaſionem faciat, inuenire, componereue

poſſitis,

poſſitis, ingenio eſtis non dicam, eximio; non concedam, magno; non feram, mediocri; ſed obſcuro planè, atque ſubleſto. Duplo inſuper, aut triplo tardiores, atq; infeliciores, tum quia a perſuaſionis calle, quod voſmetipſi vltro fatemini, tam longè, vt vici, peregrinamini: tum quia quum ingenio ſitis, vt dixi, adeo poenitendo; nihilominùs vos ipſos ſupra Ariſtoteles, ſupra Tullios, ſupra Chryſoſtomos, veſtri exiſtimatione decepti, inaniter extollitis: tum denique quia, quũ tanto in errore verſemini, hunc ipſum errorem ignoratis, voſque ſolùm ingenioſos, ſolos ſapiẽtes arbitramini. O ingenij tenebras! o noctem! o caliginem.

181 Hac igitur tantâ ingenij imbecillitate, atque inopiâ, in tam proletariâ acuminum nundinatione, ornatuſque intẽperantiâ quũ, vt modò patefeci, Aduerſarij vexentur: deſinant, quæſo, æquiſſimi Iudices, deſinant aliquãdo cauſſari, aut cõminiſci, ſe, quò maiorẽ ſibi ingenij gloriã parerent, Tullianũq; ſtylũ ſimplicem nimis, & iacentem, appictis ſententiolis incitatiùs vibrarent, acuerentque ſollertiùs, a Ciceroniano dicendi charactere diſceſſiſſe. Quippe quum hæc ipſa a Cicerone defectio ingenij perquàm tardi teſſera ſit compertiſſima, quî poſſunt acuendi magis ingenij cauſsâ eundem Ciceronẽ deſeruiſſe?

ACTIONIS PARS TERTIA, ET REFVTATIONIS CAPVT ALTERVM.

In quo euincitur, Ciceronianæ contemptores eloquentiæ oblectandi gratia deſtitui.

182 INterclufo iam hoc primo, quod fruſtra Aduerſarij quæſiuerunt, ingenij diuerticulo; equidem ſum percurioſus, quò tādem fugâ in præſens ſint euaſuri, ſpectandi. Non ſumus, aiunt, ita impudentes, vt Solem in meridie lucere inficiemur, neque mentis adeo præfractæ, vt perſpicuis rationibus, ac veritati manus dare obſtinatè recuſemus. Eſt ſanè ita, vt dicis. Ingenium noſtrum minùs re verâ perſpicax, quàm cuperemus; minùs, quàm rati ſumus hactenus, eximium tuâ ex Oratione deprehendimus. Quid ni can-

candidè fateamur? Perſuadendi efficacitate iam ſupra palàm dedimus nos carere: modò ingenij quoque laudem, & decus amiſimus.

Aduerſarij ingenij principatu deiecti, oblectandi palmam ſibi aſſentatoriè tribuunt.

183 SEd alia tamen eſt adhuc, extẽplo ſubdunt, prærogatiua ſingularis noſtra tota;atque ita noſtra,vt de noſtrâ manu nullis eloquentiæ præſidijs, aut præſtigijs eripi, nullis argumentorũ machinis extorqueri poſſit. Et quæ porrò eſt iſta prærogatiua?Iucunditatis gratia, quam noſtra afflat Oratio, inquiunt, tota noſtris ex ſenſiculis, atque argutijs naſcitur, animisq; Auditorum quàm blandiſſimè lenocinatur. Noſtri ſales,noſtræ veneres, noſtri lepôres. Hi quoſcunque adducti, rigidiq́ue ſupercilij Catônes facile effusâ ſoluunt hilaritate. Poſſemus id ſexcentis illico in medium allatis venuſtiſſimis exemplis planiſſimè confirmare. Sed duæ illæ antea delineatæ noſtrum ad genium,delicateq; elaboratæ amplificationes, altera eam D. Caroli pilam, altera Magni Xauerij marinum cancrum, ſuis expingentes coloribus, id ipſum ſat ſuperque teſtantur. Quid enim volucri illâ pilâ, etiam cùm feriret, lenius? quid ingenioſo illo plumbo ſuauius? quid animatâ illâ purpurâ illecebroſius? quid illo glandis gemitu magis gemmeum? Illo verò cancro ſpirantem in nauem commutato A

quid

quid amœnius? quid eius legatione feſtiuius? quid ſalo illo ſitie ſale ſalſius? quid fluctuante amari maris conſcientiâ dulcius? quid admiſſi facinoris purpuriſſo lætius? At contra ſeuerior illa ſtyli Tullianam ad normam exi-
B gendi diſciplina, ſquallori, pædoriq; propior eſt, certè oblectationis apparet penitùs ini-
C mica. Strigoſa nimis, nimis triſtis, ſi hiſce acuminibus non exornetur, languida, vulgata, ac nullius ferè pretij videtur Oratio. At, ſi alicuius nominis haberi velis, ſeruiendũ plauſui, ſeruiendum oſtentationi, ſeruiendum aurium voluptati. Hoc nimirum iſti crebris vſurpant ſermonibus, hoc ſemper habent in ore: alia eſſe nunc tempora, quàm maiorum noſtrorum: a noſtri ſeculi hominibus huiuſmodi ſermonis cõdimenta perditè adamari, poſci, expectari: his ad audiendum inuitari: his aulas, & templa ſtipari: his denique tanquam Lydio lapide Oratoris cuiuslibet, Cõcionatoriſque præſtantiam examinari, ac prædicari. O ſapientum cata conſilia! lo-or: o meras ludionum fabulas!

Reprehenduntur Aduerſarij, quòd oblectationem Auditorum tam intemperanter affectent.

184 QVid enim hîc primum deplorem, Patres ampliſſimi? imò quid maximè omnium rideam, aut indigner? Itane verò, quum perſuadendi curam omnem abiecerint Aduerſarij; quum ingenij patri-

patrimonium, ſi quod etiam a naturâ nacti ſunt, penitùs, vt ita dicam, conturbauerint; A
poſtremò vni ſe ſe oblectationi tot tantisq́; verborum irritamẽtis eblandiendæ tam ſcurriliter dedunt, ac mancipant? Et hac demũ arte tám molli, fluxaque plauſum aliquem ab Auditoribus nituntur elicere? Mitto hîc pluribus docere, quàm abiectè, turpiterque voluptas finis conſtituatur, quod antea iam a me haud ieiunè præſtitũ memini. id dumtaxat in eiuſdem ſententiæ confirmationem hoc loco addiderim; non defuiſſe, qui aſotis, B
atque in omnem intemperantiam proiectis ſolemne admodum eſſe, prudẽter notauerint, vt etiamſi laſciuiam & ſempiterni lege Numinis vetari, & illuceſcentis ductu rationis proſcribi, & cõſcientiâ remordente exturbari probè nôrint; delectationis tamen abrepti faſcino, in turpitudinis cœno fœdiſſimè volutentur; ſui tantummodo corporis remiſſiones, ac delicias quærant; decus, nomenque honeſtatis, denſiſſimis obſeſſi tenebris, nequeant intueri. At hæc immodica ornamentorum, acuminum præſertim, cupiditas, hæc cæca adeo contortulis ſentẽtijs farciendi periodos libido, quid eſt, quæſo, Auditores, niſi quædam ingenij exuberantis, aut potiùs furentis luxuria? Nempe qui ingenioſi videri uolunt, nominis ſplendori, ac famæ uelificantur; quam ut colligant, omnia ad titillandas oblectatione aures ſedulò comparant. C
Licèt autem eiuſmodi acumina, atq; ornamenta nihil opitulari perſuaſioni; licèt tan- D

tam eorum copiam omniũ Rhetorum dam-
E nari calculis; licèt experientiâ teſte a verè prudentibus improbari, maximè ſacris in Concionibus; licèt diuinæ gloriæ plurimum officere; licèt ſexcenta alia inde fluere detrimenta non ignorent; tantâ nihilominùs uoluptatis Auditoribus adſpergẽdę, ſibiq́; hinc gloriolæ cõciliandæ flagrant libidine, vt totã id genus ſalſamentis Orationem, atq; Con-
F cionem adobruant. Quid quòd hanc eandẽ in rem commodè quoque obſeruârunt nonnulli; quemadmodum perditæ mulierculæ, quæ neq; claris familiæ natalibus, neq; mo-
G rum elegantiâ, neq; dotis opimitate nuptui elocari, honeſtoq; cõiugio maritari poſſunt; vulgatâ nõ raró pudicitiâ, in ſcorta diſcedũt; tum, vt æſtuantes hominum affectus impuriſſimis lenocinijs palàm laceſſant, faciem pigmentis adulterare, inter capillorũ ordines Veneris retia tendere, in ſinu integros propemodum Floræ hortos geſtare ſolitæ ſunt; ita qui ſpe omni honeſtæ laudis promerendæ inciſâ, Auditorum gratiam neq; argumentorum apparatu, neq; morum ſuauitate, neq; affectuum vi, neq; perſuadendi neruo ſibi demereri poſſunt, ipſumq́; voluntatis conſen-
H ſum dicendo emungendum, tanquam nobile connubium fruſtra prænſant: plerumq; ad meretricias vitiatæ eloquentiæ artes huiuſmodi inhoneſtè confugere, ſtyli adulteria
I vænum exponere, verborum floſculis, acumi-
K num ſtricturis, argutiarumq; ſalibus, quò ab imperitis adoleſcentibus, vel à nugatoribus
colle-

collegis, medicatâ ineſcatis dulcedine, inſulſiſſimi plauſus ſtipem exprimant, Orationes, Concioneſq́, ſuas nequiter proſtituere? O voluptatis ſeruum pecus! o caſtæ, caſtigatæq́; eloquentiæ dedecora! Venuſtas quidē Orationis ſpernenda nō eſt: quin omnem illum, qui perſuaſionem non remoratur, cultū vltro iam ſupra, requiſiui. Videndum tamen, nequid nimis, modusq́; apprime tenendus eſt.

Oblectandi laureola Aduerſarij exſpoliantur.

184 QVid ſi ego iam delicatos iſtos Declamatores hac etiam qualicunque oblectationis euocandæ gloriolâ, tam ſuâ, tamq́; ſibi, vt ipſi prædicant, addictâ, nullâ vt vi duriſsimo ipſorū ſeruitio, ſi eos ita iactantes audimus, ſubduci poſſe videatur, carere demonſtrauero? quid ſi argumentis effecero, voluptarios iſtos dicendi artifices, ſi cum noſtris contendantur, ad deliniendos iucūditate Auditores ineptē planè perorare? Quid ſi extorſero, nullos concinnè magis, quàm Ciceronianæ candidatos eloquentiæ, conformare Orationem? Tunc ſcilicet Aduerſarij naufragio non tantùm ingenij, uerùm etiam oblectationis, non in mari imperiti, ac fluctuantis uulgi, ſed in ipſo ueſtrum omnium, hoc eſt, ſapientiſſimorum uirorum portu demergentur.

186 Sed antequàm propiùs cum Aduerſarijs congrediar, perſpicuitatis gratiâ quæro

ex illis, quo delectationis genere ſe anteſerendos contendant, Oratorione, an extraneo? Nam ſi decernunt uoluptatem ſuis ab Orationibus, cuicuimodi ea ſit, longè maiorem, quàm a ſolidâ eloquentiâ, procreari, in ipſo meridie turpiter cæcutiunt. Si enim quęcunque oblectatio, etſi minimè Oratoria, neque Oratore digna, ab iſtis tamen recipitur, ineptiam ſtatim uidetis. Delectant quippe & Poetę carminibus, & multo quidem, quàm Oratores, iucundiùs, ut pote quibus delectatio curę prę omnibus, cordique eſt: oblectant etiam digitorum pręſtigijs Circulatores in foro: oblectant & Mimi portentoſis geſtibus in ſcenâ: oblectant & Citharœdi ſuis fidibus in aulâ. Num igitur Cócionator, quò blandiùs oblectet, & Poetę carmina, & Circulatorum pręſtigias, & Mimorum rictus, & Citharœdorum fides afferat in ſuggeſtum? quis adeo hebes, atq; excors hæc tam portentoſa meditetur? Age, de Oratorum, uel Concionatorum ordine aliquis Mimi geſtus in pulpito ad unguem omnes pro Oratorijs repręſentet. Caput principio ſtatim apprimat pectori: deinde longior aſſurgat: mox ſũmis pedum inſiſtat digitis: tũ ſe in globum colligat: momento ſe explicet in ſaltum: rurſum capite genibus inſerto, manibusq; pedem utrunque, flexis poplitibus, coxendici ſubiectum complectentibus, totum corpus in pilam ueluti cogat, & per ſuggeſtum uoluat; illico poſtea luxatâ dorſi uertebrâ, auerſis manibus arcuatus,

terram

terram tangens, pontis referat abſidem: iam E
manibus humi defixis, pedibusq; in altū ſublatis, pronus in caput inambulet: nunc perbreui pallio ſcitè caput obnubat: modò labia F
binis digitis vaſtum in hiatum diducat: ſubinde alias atque alias geſticulationes, ineptiasq; frequentet. Iam ſi quis ſiue Orator, ſiue Concionator hos geſtus exprimat in ſuggeſtu, an non voluptate recreabit? an dulci quodam illicio non rapiet? Oblectabit ſine dubio, & quidem maximè; quin etiam cunctos ſoluet in riſum. At illa per Mimi geſticulationes ab Auditoribus, vel Spectatoribus elicita voluptas num Oratoris, aut Concionatoris officio congruit? an fini vtriuſq; cōſentanea eſt? num ſapienter, atq; ex arte Oratoriâ Mimici huiuſmodi geſtus in Foro, pro Roſtris, in Senatu, aut in Templo ab alterutro redduntur? nullo modo. quidni autem reddantur? atqui iucundiſſimam voluptatem, quam vnam Aduerſarij dicendo conātur excitare, ingenioſâ talium motionum aſſimulatione ſuis Auditoribus alliciunt. Cur ergo G
geſtus huiuſmodi ad eum oblectationis finē adeo accommodati, ab iiſdem non adhibeantur? Cur negligantur? Nimirum quòd Oratoris certi quidam, proprijq́ue ſunt geſtus, quorum venuſtate, ſermonis, aut Orationis pronunciationi eleganter, prudenterq́ue ancillatus, propriam etiam, certamq́ue Oratoris oblectationem gignere, ſuo a munere iubetur. Quemadmodum igitur Oratoris proprij quidam ſunt geſtus; ita etiam propria

quædam eſt dicendi forma, & peculiaris quoque delectandi ratio: atque, vt per geſtus Oratorios Concionator longè diuerſam voluptatem ab eâ, quàm per Mimicos ferit, Auditoribus inſerit; ita etiam Auditores à ſolemni eloquentiæ ſtylo longè aliam, quàm à Poetis, vel ab alijs artificibus, oblectationem percipiunt. Quamobrem ſi abſurdiſſimus eſt, qui Mimicos geſtus pro Oratorijs in Oratorio ſuggeſtu temerè ſubſtituit; ex æquo etiam præpoſterus eſt, atque amens, qui pro elocutione, atque oblectatione Oratoriâ, Poeticum ſtylum, oblectationémque ineptè ſupponit. Quid verò, ſi quis inſanæ mentis Auditor Mimicos ab Oratore, vel à Concionatore geſtus expectaret, aut poſceret? Num is, aut ille tam inconſultæ expectationi, impudentique poſtulato, ſaluo Oratoris, atque Concionatoris officio, & pudore, annuere poſſet, aut reſpondere? nihil minùs. At vos, Patres ſapientiſſimi, ponite iam, aliquem leuiſſimum ardelionem, impotentiſſimumq; oblectationis captatorem, oblectationem minimè Oratoriam, ſed Mimicam, ſed Poeticam, ſed Comicam, ſed ſcurrilem ab Oratore præſtolari, ac requirere; neque ſe vnquã illi, niſi huiuſmodi delinitum oblectatione, plauſus vllam ſtrenam daturum, aut redonaturum, apertè profiteri. Æquane, an iniqua; honeſta, an abſurda; ſana, an inſana ab ipſo præſtolaretur, ac peteret? Imò nihil iniquius, nihil abſurdius ſomniaret; neque Orator ſuo muneri, atque eiuſmodi petitioni.

ni tam vecordi poſſet vnà ſatisfacere. Sed extra hanc amentiæ aleam ſe longè ſitos clamant Aduerſarij; ſibiq́ue non minùs omnem delectationem, quæ Oratoria nō ſit, quàm Mimicos geſtus, in Oratione fatentur diſplicere. Ego verò, Auditores, inſignem hanc, inſolitámq́ue Aduerſarijs meis modeſtiam etiam atque etiam gratul[illegible] illosq́ue de tam prudenti, & pudibundâ ſententiâ amo vehementer.

Oblectatio Oratoria, honeſta eſſe debet, ac perſuaſioni congruere.

187 Videndum igitur primò, diligenterque inueſtigandum eſt, quænam, aut qualis ſit hæc delectatio germana, legitima, & propria Oratoris. Quid hîc aiunt, quid ſentiunt voluptatis architecti Declamatores? Quænam oblectatio ab Oratore tanquam verè Oratoria aucupanda eſt? Illa profectò, & ſola, quæ & honeſta eſt, & Oratoris fini, hoc eſt, perſuaſioni per quàm officiosè ſeruit. Honeſtam datâ operâ delectationem, prudentiſſimi Iudices, deſigno, ne cui in mentem veniat, Oratorem ganconem eſſe aliquem, vel Epicurum, qui turpi A impuratæq́ue aſſueſcat, vel indulgeat volup- B tati. Si quis enim ita deſiperet, vt quamcunque oblectationem ſeu turpem, ſeu honeſtam ad Oratorem pertinere arbitraretur: ego ſanè iſtiuſmodi tabulam non in Orato- C rium ordinem plenum honeſtatis, ac digni-

tatis retulerim, ſed in pecudum potiùs brutorumque fœdiſſima ſtabula meritiſſimò detruſerim. Neque mihi verbum vllum deinceps cum tam probroſo hominum genere, qui non tantùm Oratoris munus, & nomen ampliſſimum ignauiter deſerunt; verùm etiam honeſti hominis mores, ac decus flagitiosè exuunt, ſeſeq; in beluarum ſordes, lutumque turpiter abiiciunt, faciendum putarem. Quid enim? quum Rhetorica ars honeſtiſſima ſit, quî poteſt turpem pati, ne dum parere oblectationem? quumque omnes artes ciuili diſciplinæ, ſeu Politicæ, vt apud omnes Philoſophos vulgatum eſt, & Philoſophorū Princeps Ariſtoteles perſpicuè docet, famulentur, earumque fines peculiares, atq; priuati ad huius amplum, & omnium maximè vniuerſum, hoc eſt, ad ciuilem felicitatem ſpectare debeant; Rhetorica autem ars certè quædam ſit, & artium omnium reginæ, nēpe Politicæ, humanę quidem, Orationis inſtrumentum, diuinæ verò, ſacrum opus Concionis ſuppeditet: quo pacto ad eum ſupremum finem, hoc eſt, ad beatam vitam ſeu temporariam, ſeu æternam poteſt perducere, ſi pro honeſtâ turpem delectationem proſeminet? Et quicquamne verè beatitati magis aduerſum inueniri poteſt, quàm turpido? Sanè Oratoris, Concionatoriſq; honeſti, qui in Foro, in Curiâ, vel in Templo verſentur, officia ſunt, quum dicunt, ea ſuis Auditoribus proponere, quæ eos ad ciuilem, cæleſtemque felicitatem conſequendam adiuuare,

ac promouere queant, quo munere quid honeſtius, aut ſpecioſius eſſe queat?

188 Non tamen ſatis eſt, Auditores, vt oblectatio Oratoria euadat, eſſe honeſtam, niſi Oratoris quoque fini, vt dixi, velificetur. Eſt quippe finis quâuis in arte, prima norma, certiſſimaque regula, quæ omnia metitur, ac regit; nihilque, quod ab illo non imperetur, vllam ad artem attinere poteſt. Quorſum enim quæcunque inſtrumenta huic potiùs arti, quàm illi, addicantur; & ſubulam A ars ſutoris magis, quàm pictoris; contraque iſta penicillum potiùs, quàm illa, ſibi aſſerat; niſi quia ad pingendi finem non ſubula, B ſed penicillus; atque ad ſuendum non mollis C penicillus, ſed peracuta ſubula; eodemque modo ad reliquarum quoque artium proprios fines, certa quædam inſtrumenta de induſtriâ conformantur? Pari igitur omnino iure nullum ad artis Oratoriæ, vt ita loquar ditionē inſtrumentum, niſi cum eiuſdem fine concinat, ſpectare, ratum, fixumq; eſt. Quis verò alius Oratori finis, niſi animorum perſuaſio, vt iam antea firmiſſimè ſtabiliui, vindicari poteſt? Iam ſi de oblectatione Oratoriâ ita philoſophari lubeat, ſicut omnes dicendi magiſtri ad hanc vſque diem ſunt philoſophati, illam Oratoriæ facultati tanquam inſtrumētum adſcriptam, ſubiectamq; reperiemus. Nam, quum ijdem dicendi magiſtri paſſim aiunt tria eſſe munera Oratoris, docere, mouere, & delectare, nihil aliud videlicet innuunt, quàm argumenta, quæ

potiſſimùm docent; affectus, qui maxime mouent; mores, qui præcipuè delectant (ſiue autem id ſingula hæc ſeparatim per ſe præſtent, ſiue coniunctim cum alijs, nihil ego in præſens laboro.) totidem eſſe ad finem perſuadendi, qui Oratoris proprius eſt, adipiſcendum commoda inſtrumenta. Neceſſe igitur erit, delectationem, quò Oratoria ſit, ad eundem perſuaſionis finem collineare; quumq; oblectatio Oratoria Oratoris ſit inſtrumentum, niſi ad eius finem, hoc eſt, ad perſuadendum conducat, nullo prorſus nomine Oratori hærere poſſe. Illa ergo oblectatio, quę inani hilaritate implet Auditorē; illa, quæ mentem a cauſsā auocat; illa, quæ eò fertur, vt in admirationem ingenij dumtaxat excitet; illa, quæ affectionū commotiones eludit; illa, quæ rationum vim emollit; illa, quæ plauſus rumuſculos tantùm ſpargit; illa denique, quæ perſuaſionis alia adiumenta perdit, vel vtcunq; deſerit, quum Oratoris fini minimè conſentiat, Oratoria eſſe non poteſt.

189. At demonſtratiuo generi delectatio quodammodo conſecrata eſt. quin igitur in eo liberiùs illa ſpatietur? quin hilariùs longè ſe efferat, ac tripudiet? Ratione quidem ampliorem in laudatione campum oblectationi patêre. Sed dummodo oblectatio inſtrumentum maneat, neq; in finem planè degeneret. Nā, vt ſupra iam dixi, omnis delectatio Oratoria, etiam in Panegyricis, perſuaſionem velut finem intueri debet, a quâ ſi Auditorem

abducat,

abducat, vel alienet, definit penitùs eſſe Oratoria, vel Concionalis.

1190 Quid faciemus ergo compluribus Auditoribus veſanâ quadã, impotentiq; libidine æſtuantibus, quorum nonnulli ab Oratore, multam eruditionis copiam exigunt; non pauci peregrinam doctrinam petunt; multi Philoſophiæ apices flagitant; pleriq; abdita Theologiæ myſteria deſiderant; alij infinitã apophthegmatum, prouerbiorum, hiſtoriarum vim expetunt; alij Iuris peritorum ſexcenta decreta poſcunt; alij innumera Medicorum placita cupiunt; alij confertarum ſententiarum agmen ex auctoribus coactum verbis recitari volunt: alij demum integrum Polyantheæ, varij nempe, multiplicisq; voluminis penum exhauriri, vel potiùs totam ſiluam ita impeditam, ac denſam cædi, atq; in Orationẽ, Cõcionemue transferri peroptant? Perinde ſanè omnes iſti deſipiunt, manifeſtoq; inſaniunt, ac qui a pictore calceos, a ſutore pharmacum, a medico aratrum, a ſartore ollam, ab aurifice cucurbitam requireret. Quippe quum ab Oratore, nihil aliud vllus poſtulare, quàm vt accommodatè ad perſuadendũ dicat, iure queat: vbi Auditores inſitâ leuitate, aut curioſitate de rationis poteſtate deiecti, eiuſmodi leuidenſas a perſuaſione tam abhorrentes (quum nullâ ſcilicet moderatione temperantur, neq; vllum ad finem referuntur) ab illo poſtulant: id nimirum poſtulant, quod ipſi, ſi Oratore eſſe velit, præſtare non poteſt, quodq; multo magis

A B C D

concinnè, Mimi, Comoedi, atq; Circulato-
E res, qui toti ſunt in deridiculis componendis,
præſtarent.

Aduerſarij Oblectationem Oratoriam, vel Concionatoriã minimè afferunt.

191 NVnc, quoniam quæ, aut qualis delectatio ab Oratore proficiſci debeat, compertum eſt: ediſſerant, quæſo, Aduerſarij, quamnam huius formæ, nō dico voluptatem, ſed voluptatis ſpeciem præbere poſſint? Illine delectationem vllam Oratoriã aliquando conciliabunt? Quid? ſi oblectationem, quã Orator gignere debet, quamq; ſolam ab eo expectare poteſt Auditor, perſuaſionis conciliatriculam eſſe oportet; illine, qui perſuadendi munere ſe penitùs abdicârunt, atq; id delectationis genus, quod non ſolùm perſuaſioni nihil prorſus opitulatur, ſed plurimum etiam refragatur, ſtudioſiſſimè conſectantur, vllum Oratoriæ delectationis veſtigiũ imprimere poterunt, aut relinquere? Quid multis opus eſt, Auditores? inexplicabili laqueo Logodædali iſti Declamatores, luxuriantis patroni voluptatis, irretiti, atq; conſtricti tenentur. Illa quippe eadem argumenta, quibus ſe dediderunt, quibusq; iam pridem Orationes a perſuadendi fine toto cœlo diſtantes ab eis tornari luce meridianâ clariùs oſtendi; planiſſimum etiam hîc cuiuis faciunt, non minùs hoc delectationis, quam tantopere amant, genus ab eodem perſuaſio-
nis

nis tramite infinito penè interuallo diſcedere. At neceſſe non eſt ſuperiora repetere, vel longinqua arceſſere, quum vltro ipſi perſuadendi vi, ingenijq; prærogatiuâ ſe planè orbatos, palàm confeſſi ſint; vt duo hæc, quanquam ingentia, damna hac vnâ oblectationis gratiâ reſarcirent. Quid ergo ab his præterea requiramus? Cui iam dubium, vel obſcurum ſit, talem ab eis oblectationem afflari, quæ cum perſuadendi curâ non poſſit vllo modo conſiſtere: ac proinde non Oratoriã ab iiſdé, ſed, neſcio quam, aliam exoticam, atq; errabundam eſſe præſtolandam? O miram meorũ Aduerſariorum memoriam, & fidem! En, paulò ante argumentis a me compulſi, omnẽ oblectationem, quæ Oratoria non eſſet, non minùs, quã Mimicos geſtus, in Oratione ſibi diſplicere, cenſoriâ propè ſeueritate, & grauitate pronuntiârunt: nunc alijs illaqueati rationibus, aurâ leuiores, coguntur, quod iã conceſſerant, reuocare, tandemq; candidè fateri, delectationem eiuſmodi Oratoriam à ſe minimè conflari; ſed neſcio quam aliam extraneam, & peregrinam. Vnde non ægrè, opinor, diſpicitis, Auditores, cũ quibus deſultoriæ artis hominibus mihi hoc loco res ſit, atq; contentio. At enim obſtrepunt iſti. Nos vbiq; nobis probè conſentimus. Oratoriam delectationem nobis eſſe propoſitam, ſemel profeſſi ſumus, atq; hîc iterum ſuſtinemus. At cum eâ oblectatione, quæ veluti inſtrumentum ad perſuadendi finem deſtinatur, nihil nobis commercij eſt, qui perſua-

 ſionis

ſionis ſolicitudine liberi ſumus ; aliâ nihilominùs ſexcentis nobiliorem partibus, & tamen adhuc Oratoriam exprimimus.

192 Verùm nullum eſt, Auditores, in hac fugâ perfugium. Nã hæc tam blanda delectatio, quæ perſuadendi inſtrumentũ, vt bella iſta capita fabulantur, non eſt, quandoquidẽ illam adhuc Oratoriam eſſe volunt; quæro, quo nomine ad Oratoris finẽ pertinet? Duo diuerticula Aduerſarijs meis ſupereſſe animaduerto. Nã primò quãuis in arte magna delectatio ex eiuſdẽ finis adeptione naturaliter emicat. Ideirco enim venator nũquã adeo voluptate liqueſcit, ac quum prædâ tot laboribus partâ fruitur: neq; architectus aliàs tanto triumphat gaudio, quanto, quum ingentem palatij, vel Templi molem exædificauit; neq; pictor ita exultat, ac, quum elegantiſſimam in tabulâ imaginem pinxit, atq; abſoluit. Imò non ipſa tantummodo finis conſecutio magnum habet in ſingulis artibus oblectamentum, ſed ipſe etiam conatus contentioq; eiuſdem comparandi neſcio quã

A præflorat, atq; anticipat voluptatem. Porrò, ſi qui iſtorum artificum maiorem ex lucro, quæſtuque, quem ſuis ex opificijs faciunt, delectationem captant, atq; experiuntur; huiuſmodi certè delectatio nullo modo ab ijs artibus, quæ cum extraneis illis lucris nihil habent commune, neq; ab illis artificibus, quà tales artifices ſunt, ſed quà homines egeſtate, vel cupiditate ſolicitantur, vt perſpicuum eſt, deriuatur. Fac enim liberalem aliquem virũ

ab

ab omni quæſtu alienū venari, architectari, pingere. ſummam hic ſine alio lucro ex captâ prædâ, ex ſtructis ædibus, pictâue tabulâ percipiet iucunditatem. Atq; hoc eodem modo reliquas artes, atq; artifices ratâ portione metiri licet. Quin & natura ipſa vniuerſa delectationem nonniſi actionis, atque operis ancillam, vt ita dicam, a tergo uoluit eſſe, effectusq; ſeu finis iam expleti ordinariam prolem. Muta ipſa ſaxa, Auditores, ipſas arbores, atq; animantes interrogate, ſi placet, quamnam voluptatem naturæ tributam munere ſentiant: & ſingula, ſi loqui poſſent, aut fallor, aut reſponderent: ſaxa, quum medio Mundi loco, in quem feruntur, propiùs quieſcunt; arbores, quum pomis, quibus producendis omnem e radicibus humorē euocant, onerantur; animantes, quū ſuos fœtus, quos tantis parturiunt laboribus, tandem enixæ ſunt, ſummopere ſe delectari. Nempe viator omnis, Auditores, vbi ad viæ finem, terminumq; multo cum ſudore peruenit, incredibili iucunditate recreatur. Haud ſecus igitur Oratori quoq;, vbi ſuo fine potitus fuerit, vel ad eum obtinendum accōmodatè dixerit, mirificam accipiet voluptatem. Quod ſi qui venales Oratores auiditate, vel ambitione titillati, ex quæſtu, vel honore oblectationē quærunt, hæc vtiq; non Oratoriæ artis, ſed cupidorum hominum aucupia ſunt. At id diuerticulum Aduerſarijs meis, quò minus eo elabantur, iā occluſum penitùs, atq; oppeſſulatum eſt. Nā quum illi perſuaſionem, Ora- B

toris finem deſerant, atq; contemnant, neque-
unt ſcilicet vllam oblectationẽ, quæ eiuſdem
perſuaſionis finem poſtea excipiat, fingere,
C aut mentiri: ſed hæc voluptatis indiuidua
D noſtris Oratoribus coauctio, qui toti ſunt in
perſuadendo, vel nõ quæſita vltro, perpetuóq;
E comitatur.

Aduerſarij delectationem Auditoris in finem ſibi dicendo conſtituunt.

193 NIhil nos iſta cõmouent, reponunt hîc melliti Declamatores. Hæc tela ne ſummam quidem cutem nobis perſtringunt. Neq; enim nos de eâ, quâ is, qui
A dicit, perfunditur, oblectatione; ſed de eâ,
quæ in Auditores ipſos redundat, tricamur.
B Hoc nempe alterum erat diuerticulũ ad hanc qualemcunq; oblectationem in Oratoris ære retinendam. Atqui ego de induſtriâ ad has itineris anguſtias diu iam Aduerſarios meos expecto, Auditores. Sicã modò, pugionemq; expedio, iugulo nihil minùs opinantium improuiſus immineo, palantes, ſine ſpe fugæ, omnes extemplo confodio. Delectationem Aduerſarij mei nolunt eſſe perſuaſionis inſtrumentum, nolunt eſſe Oratorij finis corollarium, quid ergo uolunt? hoc unũ reſtat, ut eam Oratoris finem ipſum, & quidem præcipuũ, quem in Auditoribus demulcendis maximè intueantur, decernant. Hoc uerò durum illud demum iſtorũ placitum eſt, hoc dirum decretum, quod diu tegunt, atq; inuoluunt.

nolunt. Sed fruſtra omnino, fruſtra. Si enim delectationem hi ad perſuaſionem eliciendam potiſſimè referrent: vt omittam ponere illos iterum, quod tam obſtinatè ſæpius negauerunt: conueniret iā prorſus inter nos, neq; vlla ampliùs diſcordia ſupereſſet: quum & nos quoq; oblectationem quidem afflandā cenſeamus, ſed ad perſuaſionem præcipuè extorquendam, conciliari oportere exiſtimemus, ſæpiusq; iam id teſtati ſimus; atq; adeo omnem delectationem, quo magis, minuſue perſuaſioni conducit, vel obeſt; tanto etiam magis, minusq; Oratoriam eſſe, nec nō conſectandam, vel ablegandam aſſeueremus. Verùm Aduerſarij perſuaſionis cōtemptores, a cperduelles, oblectationem profectò nequeunt nobiſcum perſuaſioni ſubijcere: ſed, dum ſe totos mancipant voluptati, voluptatē tanquam primariū finem deſigunt, ac veluti ſummum Imperatorem, cui omnia Orationis firmamenta, & ſigna pareant, imprudenter inaugurant. At tantum abeſt, Auditores, vt hæc oblectatio, quam finem Oratoris in Panegyricis præcipuum eſſe iſti contendunt, Oratoria ſit, vt ſui etiam patronis nomen ipſum adimat Oratorum. Satis enim iam longâ diſputatione oſtendi, nullum, qui ad perſuaſionem dicendo præcipuè non graſſaretur, in Oratorum album cooptari poſſe; & qui ſuis in lucubrationibus oblectationem potiſſimè cordi haberet, a Poetis minimè ſecerni. Atqui delectationem finem eſſe Oratoris præcipuum voluptarij Declamatores C

pro-

pronũciant. An nõ igitur oblectationis amore abrepti, velint, nolint, ipſomet Oratoris munere, nomineq́; ſe ſe exuunt; neq; amplius huiuſmodi oblectationem, quin ab Oratoriâ ſit quàm alieniſſima, vllâ laruâ tegere, aut diſſimulare poſſunt? Deſinant igitur iſti oblectationis aucupes ſe pro Oratoribus venditare; ſed potiùs ſe Poetas, Hiſtriones, Comœdos, ac Mimos, ſcitos nempe omnes promos condos voluptatis agnoſcant. Quod planè ſi agnoſcerent aliquando, etſi piaculum maximum ſit, eum, qui Oratoris nomen grauiſſimum ſuſtinet, in tam ignobiles artifices degenerare; at ſpei ſaltem eſſet aliquod veſtigium, illos bonam ad frugem Oratorum aliàs ſe recepturos, neq; ego iiſdem, ſi ſe pro Comœdis, aliiſq; id genus hominibus gererent, ampliùs ſuccenſendum putarem. At dum hinc ſe Oratores ipſius Suadæ filios conſtituere dicunt, & iactant; illinc verò oblectationem nõ Oratoriam, ſed Mimicam, Comicam, Hiſtrionicamq; ſibi tanquã finem principalem curæ eſſe denuntiant; eorum ego iudicium, vt leniſſimè dicam, maximè deſidero.

194 Quid noſtra refert (en quò deſcendat, & pergat meorum Aduerſariorum modeſtia) quid ad nos, inquiunt, cætera omnia, dummodo ſummopere delectemus? Is tandem noſter finis eſt, quid diutius tergiuerſamur? Quàm enim pellax, quàm blãdus eſt? Non ſit autẽ hæc delectatio Oratoria, neq; Cõcionalis: nolumus repugnare pertinaciùs: eſto. At

quos

quos ad plauſus rapit Auditorem? quantâ illū, quantâ hilaritate demulcet? O voluptatis improbum faſcinum, quod mentes iſtorū adeo habetauit! Nam ſi delectationem, etſi neq; Oratoriam, neq; Concionatoriam, iurati aſſeclæ voluptatis, captatis; cur Mimicam repudietis? vt quid Poeticam non admittatis? quem ad finem Hiſtrionicam aſpernemini? quapropter Comicam proſcribatis? Præterea, ſi oblectationē ab Oratoriâ diſſidentem ſemel adamatis; quidni etiam geſtus, quanquam nullo modo Oratori conſentaneos? quidni Comicam quoque pronuntiationem in Oratorio pulpito exprimatis? quidni Mimicos pariter flexus? quidni Hiſtrionicam etiam actionem? quidni Poeticam ſimul cantilenā? quidni ſcurriles quoque mores, & geſtus? Quippe tam longè à geſtu, actione, & pronuntiatione Oratoriâ, Mimicus geſtus, Comica pronūtiatio, actio Hiſtrionica, Poetica cantio, ſcurrileſq; mores diſtant; quàm veſtra hæc exotica, exuberanſq; delectatio à ſtylo, ac delectatione pariter Oratoriâ. Iam verò quæ monſtra video, Auditores? quæ portenta? Rebar ego, certamen mihi cum Oratoribus, vel Concionatoribus fore; autumabā pedem mihi cum Declamatoribus ſaltem, politulis illis quidem, ſed Declamatoribus tamen conferendum. At ecce cogor iam cum nugiuendis Comœdis, cum tortuoſis Mimis, cū leuibus Hiſtrionibus, cum iocoſis Poetis, cum ridiculis ſcurris in arenam deſcendere. atq; haud ſcio, an ipſe Hercules (quando in A B

præſens cum fabulatoribus iuuat paululum
C fabulari) in Augiæ ſtabulo tot ſordes inue-
D nerit: quot mihi in olidis iſtorum ſeu Ora-
E tionibus, ſeu Concionibus lutoſæ inquinamenta delectationis eluenda ſunt. Iam mihi ſcilicet nouus, vt cerno, naſcitur labor; nunc opus aliud Ætnâ grauius denuo mihi moliendum eſt. Verùm ne iocularis euadat pugna, certa priùs meta, in quam omnia conuertam ſpicula, depangenda eſt.

195 Tuentur Aduerſarij mei, vt videtis, Auditores, ſummam illam, quam in Laudationibus præcipuè quærunt, oblectationem, etſi Oratoris fini nihil conſentiat, ac propterea neq; Oratoria ſit, vtrâq; nihilominus eſſe multo dulciorem, atq; amœniorem. Ego verò, tantum abeſt, vt perblandæ huic Logodædalorum voluptati quicquam concedendū putem, vt etiam ſi eiuſdem aucupio totos ſe illi deuoueant; cōtra autem noſtri Oratores, parcè eidem, moderateque, quatenus ſcilicet perſuaſionis finis patitur, indulgeant; tamen hac ipſâ delectationis moderatione delectationem haud paruo maiorem, atq; vberiorem a noſtris, quàm ab ipſiſmet voluptatis architectis, procreari cenſeā. Cōferamus: n. ſi placet, vtramq; oblectationē, quā inter dicendū Auditor, quum ab iſtis, tum a noſtris affici-
A tur. Tota controuerſiæ ſtirps in eo tantummodo, ni fallor, verſatur, quòd voluptarij Declamatores immoderatā conciliare volunt delectationem, nos verò moderatam, caſtigatamq; ferendā arbitramur. Illi a perſuaſionis fine

ſine pereg inantem exigunt; nos eidem coniunctam. Illi tanquã finem eã conſtituunt; nos vt finis adiumentum. Illi iucunditatis illicio ſingulos Orationis articulos vnguentatos poſtulant; nos nihilo plus odoramentorum, aut ſuffitus ſpargimus, quàm cauſſa ferat. Cæterùm ſi moderata illis oblectatio arrideret, nihil eſſet ampliùs inter nos, vt dixi, diſſidij, quum nullus Orator accuratiùs, quàm noſtri, moderatam delectationem ad perſuaſionis finem adornet. At nullus eis in delectando modus poteſt ſatisfacere, ac niſi immoderata illa ſit, ſuã eſſe negant, repellunt, auerſantur. Nam vbi, neſcio quam, acuminũ pultem, denſamq; adeo farraginẽ coquunt, vt B
quot ipſi ſtipant argutias, tot e ſaccharo C
globulos in os Auditorũ a ſe indi exiſtiment; D
vbi ingentem antithetorũ imbrem effundũt, vbi piperata infarciunt dicta; vbi lepôres corradunt; vbi nomina, & vocabula delicatâ ſemper dolabrâ læuigant, multoq; minio, & E
ceruſſâ obducunt; vbi ſenſiculorum circumducto veluti circino, cuncta Orationis membra in veneres, in gratias, in totos Adonidis hortos deſcribunt; vbi his dictionis condimentis Auditoré ab attentione rei propoſitæ auocant, vbi eundem Auditorem ad artificiũ, atq; ingenium Oratoris primò cõtemplandũ identidem excitant: vbi deniq; argumentorum vim, quò minùs in animum penetrent, remorantur: quid niſi immoderatam delectationem venantur? quid niſi extuberantis genus omne iucunditatis propinant?

Non

Non oblectant Aduerſarij, quia nō ſunt ingenioſi, gignuntq; faſtidium.

196. IAm verò ſi perſpicuè docuero, Auditores, delectationem, quæ modum neſcit, veram non eſſe delectationem; & quo magis immodica eſt, eo minùs aures, aut animos detinere; confectum erit ſine dubio illud monſtrū, quod à me mactandum paulò ante promiſi, oblectandiq; palma iniquis A extorta plagiarijs, graui, ac virili eloquentiæ, hoc eſt, Ciceronianæ aſſerta, in libertatem tandem vindicabitur. Abrumpo moras. Immoderatam ego Aduerſariorum oblectationem aio Auditoribus iniucundam accedere, quia nihil præ ſe fert ingenij, quia plena faſtidij, quia orbata ordine, quia honeſtæ expers vtilitatis. Singula inſpiciamus, atq; à primo ordiamur. Cui, quæſo, perſpectum nō eſt, quanta ex ingenio voluptas, quàm co-B pioſa, & decocta exiſtat? Da mihi ingenium acre, da ſollers, da vegetum, da perſpicax: & ab eo omnes in partes ſeſe verſante opera perinſignia, noua, inſolita, affabre conformata, præterq; morem admirabilia, quibus nimirum ad curioſas mentes voluptate complendas nihil eſt aptius, effingi animaduertes. Quum enim Orator Auditores iam ſtupore defigit; iam inexpectatis, in rem tamen libratis, feris ſententijs, iam orationis philtro extra ſe rapit; quid niſi promptæ, vibrantiſq; intelligentiæ machinamentū admouet, explicat, viget? Sin contra is, qui dam in-

genio

genio agreſti ſit præditus, ſi retuſo, ſi plum- C
beo; quâ iucunditate delinict? nullâ. At
quale, rogo, eſt meorum ingenium Aduer-
ſariorum? (redite, quæſo, in memoriam eorũ,
quæ haud ita multò ante diſputaui) qualis
ſollertiæ præſtantia? Quaſi verò, eos ingenio
depauperato, tardos, præpingues, atq; ob- D
ſtipos non demonſtrârim. Quaſi, non verã
ingenij formam, ſed vmbram dumtaxat ab
eis haberi, non docuerim. Quaſi, ab illorum
obtusâ acie nihil ferè eminens edi poſſe; ſed
nugas tantùm, crepundia, apinas, ac iocos; E
pleraq; etiam anxiè corrogata, vel oſtiatim
mendicata produci, rationum penè ridiculis F
non expreſſerim. Quid ergo ſolidæ volupta-
tis illi, ac nõ potiùs euanidæ, concinnabunt?
Quando veram oblectationem, & nõ fictam,
quando germanam, & non adumbratam
conflabunt?

197 Verùm Aduerſariorum meorum Ora-
tio, non ſolùm veram nequit delectationem,
quòd ingenio deſtituta ſit, afferre; ſed etiam
quòd faſtidio impleat, atq; alienet. Memini
me, quum de argumentorum corruptelis age-
rem, reuiciſſe, immodicâ iſtâ ornamentorũ
frequentiâ eorundem vim argumentorum,
quòd ingenti ſatietate attentionem obruat,
Auditoris imminui. Atqui ſatietas non mi-
nùs voluptati inimica eſt, quàm attentioni.
Hoc igitur telum iam aliâ in arenâ non in-
decorè rurſum, imò multo robuſtiùs in Ad-
uerſarios torquere neceſſe habeo. Eſt enim
naturæ ſapientiſſimæ inſito quodam afflatu

-o2 com-

comparatum, vt certus modus, quem illa quibuſq; in rebus apprime amat, oblectationi quoq; ſit definitus. Aures tantam ſibi mēſuram ſoni, quo tanguntur, depoſcunt, quā ſi valde excedat, eo non excitentur, ſed quē-
A admodum iis, qui ad Catadupa Nili degūnt, contingit, hebetentur. Oculi, qui lumine recreantur, lucis quendam terminatum modum deſiderant. at ſi immodico ſplendore ob-
B ſideantur, non acuuntur, ſed occæcantur. Palatū dapes, quibus irritatur, aptè conditas & tēperatas requirit; ſin bolo nimis calido, fer-
C uentiq; tentetur, vritur, atq; affligitur. Ferream fiſtulam, vel æneos tormētorum tubos, ſi præter ſtatam, quam ferunt, menſuram, nitrato farcias puluere, illico diſſiliūt. At idem prorſus in voluptate vſuuenire, manifeſtum eſt. Nam moderata corporis exercitatione quid iucundius? leni per apricos campos inambulatione quid ſuauius? Animum refocillat, & vires reficit; at ſi gradu concitatiſſimo per aſperas valles, arduoſq; colles diem integrum curras; ſudore diffl ues, & labore frangeris. In cantu peracutæ flexiones, & falſæ voculæ mire blandæ ſunt, nihilq; delicatius his aures excipiunt At vocē ſi nimiū attollas, vel deprimas, quàm ſtridulo, raucoq; eas murmure cruciabis? Quis porrò ſenſus tantopere, impellitur voluptate, atq; guſtatus? At nunquā cibus ita ſuauis eſt, quā, quum fame cōdiente dulceſcit, tantūq; eius de voluptate demitur, quantū de fame edendo detrahitur. Quod ſi, vbi famis nulla irritatio eſt, cibos in os
co-

concris ingerere, non oblectationem, vt in ſaturis jam, aut in languidis, vel ægrotis cernitur; ſed cruciatum intolerabilem apportabis, adeoq; intolerabilem, vt non pauci eâ victi moleſtiâ, mori malint, quàm cibari. D
Quis autẽ initia poma ſecundis tantùm menſis apponenda, ſingulis prope ferculis inferat? & quale, obſecro, erit tale conuiuium? E F
Piperatæ dapes linguam, ac palatum laceſſunt; quid ſi integra e pipere coagmentata edas obſonia? ſapientne? Acris eſt aqua ardens, fauces deterget, vrit. Modica grata eſt, G H
ſtomachoq; vtilis. Quid ergo? Illâne dumtaxat ſitim totâ mensâ, omiſſo vino, reſtingues? Si in dies iuſto prandio, frugaliq; cœnâ naturæ parcas neceſſitati, vires redintegrantur. Sin plus æquo ciborum vores, ſtomachum non ales, ſed onerabis: non iucunditatem metes, ſed dolores feres. Nempe certis quibuſdam legibus natura incluſa eſt, certos habet, & circumſcriptos quâcunq; in re fines, ad quos vires ſuas commodè poteſt porrigere; extra quos ſi eam porrò trudas, laborat, fatiſcit, ſuccumbit. Quocunq, nimirum illa pergit, aut ſe mouet, ſemper viæ comitẽ modum legit; hoc defecta, immani gemit ſub pondere, planeq; opprimitur.

198 Adime enim inambulationi, vocibus, & dapibus modum; hæc illico in quantum cunctos adducent faſtidium? Vides, vt inambulatio immodica non delectet, ſed fatiget? vides, vt modi expers ſtridor aures non demulceat, ſed flagellet? Vides, vt multa ſine

mo-

A modo comeſſatio palatum non titillet, ſed perdat? Tu verò, qui tuis in declamationibus, quas fruſtra Orationum, Concionumue ſpecioſis donas nominibus, ſine modo oblectare cupis, ſcilicet modum tolerare potes. Acuminum dapes crebrò vſurpas.
B Sub primũ miſſum acumina inuehis; ſecundo miſſu acumina repetis. Satis eſt. Nihil minus. Tertium, quartum, quintum, decimũ, centeſimum miſſum acuminibus obruis. Eia! deſine tandem. Primæ amouentur menſæ, ſuccedunt ſecundæ; & nihil in iſtis præter acumina? nihil prorſus. Acumina ex integro, ac ſi nunquam libâſſes, ſubmittis. At Auditoris palato quid, rogo, tam immoderatâ acuminum copiâ moleſtius eſſe poteſt? quid iniucundius? Tu illum ad tuæ ſiue Orationis, ſiue Cõcionis conuiuiũ inuitâſti.
C rectè. At ille acuminum heluo non eſt, nõ
D eſt ſenſiculorum comeſſator. Sale quidem ſententiarum condîta amat obſonia, ſed non è ſale tota. quid enim magis inſulsũ? Pipere etiam argutiarum perſperſa fercula nõ repudiat, at è pipere integra minimè patitur. Famis quoq; modum affert finitum, paucisq; ferculis contentus eſt. At tu libum ſenteñtiolarum non vnum, ſed plura ex ſale tota; ferculum ſenſiculorum non vnum, ſed plura, ex pipere integra ingeris. Et putaſne tuo hoc illũ conuiuio oblectandum? imò nihil magis ſtomachabitur. Vix tamen primus miſſus abſolutus eſt, quum ſub ſecundum iterum alias ex acuminibus placentas adhibes? Rurſum

ſum argutiarum papauera, rurſum leporum fercula, non vna, ſed bina, terna, ſeptena, dena, centena agminatim intrudis. O eloquentiæ decoctorem! o euerſorem ſtyli! Atqui iſta omnia Auditorem voluptate ſibi non demerebunt, ſed faſtidio infeſtabunt. Dum enim huiuſmodi dictionis ſcitamenta moderatè prompſiſti, dum tot fercula, quot ſatis erant ad explendam perceptæ cauſſæ famem, id genus acuminibus temperatè condita appoſuiſti, mirã hauſit delectationem Auditor. At dum ſupra hunc modum tu pluribus ſenſiculorum dapibus luxurians, acuminum mille alijs ferculis palato illius, atq; ſtomacho illudis, non tu illum oblectas, ſed tædio afficis; non illum exhilaras, ſed exagitas; non guſtatum eius laceſſis, ſed obtundis.

199. Quocirca limati vir iudicij Fabius Quintilianus horridã mauult, & meritò, Orationem, quàm ſine modo ornatã. * *Ego verò* (inquit) *hæc lumina orationis velut oculos quoſdam eſſe eloquentiæ credo. Sed neq; oculos eſſe toto corpore velim, ne cætera membra officiũ ſuum perdant: & ſi neceſſe ſit, veterem illum horrorem dicendi malim, quàm iſtam nouam licentiam. Sed patet media quædam via. Sicut incultu, victuq; acceſſit aliquis citra reprehenſionem nitor, quem ſicut poſſumus, adijciamus virtutibus. Prius tamen ſit vitijs carere, ne, dũ volumus eſſe meliores veteribus, ſimus tantum diſſimiles.* Hactenus Rhetorum diſertiſſimus, a quo calamiſtrati iſti Declamatores ita diſſen-

* *lib. 8. cap. 5.*

ſentiunt, vt vitijs carere vitium iudicent, totiq; in eo ſint, vt quo veterum diſſimiliores habeantur, tanto in dies peiores fieri ſtudeant, quanto in acuminibus nimio plus coaceruandis moleſtiſſimâ ſatietate Auditores delaſſant. Idemq; generatim de quacunq; cæterorum ornamentorum intemperantiâ, luxuq; dictum, atq; concluſum exiſtimate.

199 Quamobrem, quum Aduerſariorum Orationes, atq; Conciones, vt appellant, tantum faſtidij Auditoribus, dum immodicã affectant delectationem, impingant; quis nõ facilè colligit, quàm longè illi omnem veræ delectationis imaginem arceant? quis hinc non experitur, immodicam voluptatem nihil aliud demum eſſe, quàm voluptatis ſatietatem? hanc ipſam ſatietatem non modicam eſſe immodicæ oblectationis pœnam? exuberantem aurium iucunditatem in magnam crucem, ſummumq; horrorem conuerti? Nõ oblectant igitur Aduerſarij, quia incredibile faſtidium, quod erat delectationis alterũ prępedimentũ, dicendo afferunt. Iã de ordine reliqua proſequamur.

A *Pulcher ordo promus cõdus eſt egregiæ delectationis.*

200 CONcinnus ordo, Auditores, vt eſt ſollertis proles ingenij certiſſima, de quâ prolixè iam ſupra; ita quoq voluptatis genitor eſt elegantiſſimus, de quo in præſentiâ. Quantum enim iucunditatis, quum

quum domum in cubicula aptè, graphiceq́; tributam primùm intras, ſtatim oboritur? quantum ſuauitatis, quum exercitum bene diſpoſitum, quadratoq́; incedentem agmine intueris? quantum lætitiæ, quum ſaltatorem tam numeroſo pedum motu tripudiantem ſpectas? quantum hilaritatis, quum citharœdum tam explorato digitorum flexu pares, imparesq́; chordas impellentem auſcultas? Ipſa humanorum vultuum tam grata pulchritudo, quæ, quum aſpicitur, tantam habet illecebram oculorum, vnde, niſi ex ordinatâ membrorum omniũ conſtitutione gignitur? Quid vbi Stellarum admirabiles illas figuras tam ingenioſè partitas, vbi Cæleſtium orbiũ adeo ſtatas conuerſiones; vbi elementorum mutuò pugnantium tam firmum nexum contemplaris; quanto repentè gaudio circũfluis? Sed age, ab hiſce rebus omnibus iam ordinem paululùm remoue, atq; extemplo de omni delectationis veſtigio actum erit. Tolle primum ab ædibus ordinem, facq́; totum ædificium in angulos temerè porrectum, ſine facie atq; proſpectu, hinc introrſus reductum, illinc in latus deflexũ, vndiq; erraticis mæandris interruptum, atq; diſiunctum. Fac vno B pariete tumuli eminentis ſupercilio hærere; C altero depreſſo in voraginem iacêre. Fac nullum, quo adeatur, oſtium extrinſecus illi eſſe, ſed mobili tantùm per feneſtram ſcalâ ingreſſum patêre. Feneſtras prope ſolum demiſſas cogita; portas ſummis laquearibus coniunctas; ſtabula in veſtibulo collocata; D

 cubi-

cubicula humi deſoſſa; cellam vinariam in
E aulæ meditullium elatã, aulam infra equile,
ac bubile deiectam;omnia cubicula diſtorta,
F tenebricoſa,gibba,anguloſa, inæqualia,atq;
G cliuoſa. Eritne ruſticorum vllum mapale
magis incultum? quæ caſa magis agreſtis,
aut perturbatior reperiatur? Tolle deinde ab
exercitu ordinem. Fac eum huc, atq; illuc
errabundum; fac diſſolutum, atq; diſiectum;
ſac, quà cuiq; libet, ſingulos dilabentes; fac
nullos ab eis ſeruari ordines,ſed vago diſcurſu
in auia quæq; ferri præcipites. quid magis
incomptum, aut tumultuoſius? ex tali enim
militum confuſione fiet ſubito latronum manus,
quibus nihil furacius, nihilq; infeſtius
horti, vineæ, campi, viridaria, ruſticorum
tuguria, pagi, oppida, ac viæ experiuntur.
Tolle præterea a ſaltatione ordinem. Fac eã
nullis gaudere numeris, nullis inflexionum
conſtare legibus. quid abſurdius?Tolle quoq;
a citharœdo ordinem. Fac omnes fides ex
æquo contentas; fac nullâ ſerie inter ſe commiſſas;
fac æqualiter denſas, & craſſas; fac di-
H gitorum omnium ſcalprurigine vno ductu
ſingulas ſimul percelli.quid magis abſonum?
Tolle pariter a pulchritudine ordinem, atq;
hominis pedes appinge humeris; pedibus
caput ſubijcito; tibias ad collũ erige; brachia
appende auribus; manus ſupercilijs annecte;
omnia oris, ac formæ lineamenta peruerte;
quæ forma deformior? quod monſtrum tætrius,
aut turpius? Tolle deniq;a Cælo,tolle
a ſideribus, tolle ab elementis ordinem. Fac

terram

Terram commeare ſurſum; Cælũ ruere deorſum; ſtellas in Mare defluere; Mare ſuper aſtra euehi; quod chaos a Poetis fictum magis incompoſitum? quæ ſpecies horridior?

201 Quod ſi quid etiã ſine ordine delectat, ſi in pratis tanta florum varietas, caſu, vel fortuitò enata ſolo; hinc, atq; illinc diſſita, nõ diſtincta, fuſa, non diſtributa; tam grato ſpectaculo cunctorum oculis blanditur; hæc omnia, quæ ſine ordine ſuauiter tenent, in ordinem redacta multo vberiùs delectabunt. A
Illos enim ipſos flores ꝑ prata temerè ſparſos transfer, ſi placet, in aliquem hortum ad amuſſim quadratum, peritumq; hortulanum, qui eos ſcitè diſtinguat, adhibe. Tum is quatuor ad angulos quatuor areolas, extrinſecus quidem rectis lateribus, intrinſecus verò cuſpidatas, aut in ſpiram conuolutas deſcribet. In medio ingentem ſtellam radios quaquauerſum fundentem depangit. Areolas immiſſis teſſelis diſcriminat; teſſellas puluinis, & toris munit, tenuiores undiq; ſulcos ducit; tum ſtrias, liraſq; minores interponit. At quatuor latera in crucem interſecat, ipſas areolas biuijs, triuijs, quadriuijs decuſſat. Poſtremò latè ſpatiantem ſemitam, & per quatuor latera pertinentem, quaſi pomœrium relinquit. Porrò vbi hortum ita extruxit, flores rurſum in areolas, in teſſellas, in puluinos, in toros, in ſtellam diſtribuit; viarum crepidines roſario, ceu ſpinoſo propugnaculo obuallat: delectum ſingulorum etiam florum habet; notat, qui humiliores, qui medij, qui B C D E F G H I K

 pro-

L procêri. neq; colorum negligit varietatem,
cęruleas violas, nigra vaccinia,alba liguſtra
ſuos in manipulos centuriat. In ſtellæ vmbi-
M lico Solis æmulum heliotropium figit, in
ſtellæ radios haſtata lilia diducit. Deinceps
N anemones,hyacinthos,amarãthos,narciſſos,
& reliquorum omnium florum aciem ſpecio-
O ſiſſimam, tanquam Floræ pictum exercitum
ſerie eximiâ componit. At in ſemitis omnẽ
eradit herbulam, in ſulcis,in ſtrijs,in biuijs,
P nullam terræ lanuginem patitur, nulla fert
Q ſtamina, nulla cymata tolerat. Vniuerſum
R ſolum per omnes verſus areolis interiectum,
S vt ſemper purũ putumque ſit, perenni labore
T deglubit,glabrat, decorticat? Contende iã,
ſi vis,hos flores tam bellè ordinatos cum illis
antea in pratorum acie ſine vllâ lege a terra
profuſis. Vtri magis capient oculos? vtri iu-
cundiùs delectabunt? Sine dubio in ordinem
adducti,quã errabundi. Quid ſi fortè aliquis
in ſulcis illis floſculus, in ſemitis, aut in
mæandris extra reliquorum ſeriem florum
enaſcatur? olitor ſinetne creſcere? Imò verò
ſtatim radicitus extrahet. At bellulus flos
eſt, narciſſus eſt, amaranthus eſt. Nihil re-
fert. Extirpatur. Cur, quæſo? Nimirum
V quicquid extra ordinẽ iacet, hortulanus ait,
ſiue flos ſit, ſiue herbula, ordinem turbat,
gratiam deflorat, oblectamentum minuit,
ideoq; properè euellendum,ac ſine morâ era-
dicandum.

202 Eodẽ prorſus modo pleraq;etiã alia,quæ
ſine ordine aliquâ oblectatione titillant, in

ordinem digeſta, largiorem addere voluptatem, teſtatum eſt. Incompoſitas in ſiluâ arbores, raraſq; in montium iugis plantas, magnis interuallis, ſed incertis diſtantes, paulò curioſiùs, quæſo vos, Auditores, conſiderate. Sint veſtitæ folijs, odoræ floribus, opimæ fructibus: placeant, arrideant, exhilarent. Illas deinde in aliquod viridarium traducito. Ibi longos in ordines porrigito: in quincuncem conſerito; in ſtellas tranſcribito; binas binis, ternaſq; ternis committito; in varia ſpatia, atque interualla diuidito. At parietes cedrorum viridantibus, vt ita dicam, periſtromatis conueſtito; ramos per murum repentes artificiosè intexito; medijs in ſpatijs ex ijs, quæ intercurrunt, arbuſculis genus omne animantum, quaſi hortorum quidam ſator, ex buxo, e myrto, lauroq; procreato. hinc leones, hinc vrſos, hinc tigres, hinc elephantos, nullo alio terriculamento, quàm frondium, metuendos, exprimito. Adijce etiã armatorum hominum ex corno cohortem, quaſi excubias agentem pro horto, ipſoq; in veſtibulo minitantẽ. Nunc uerò pedem mihi inferat aliquis de integro in huiuſmodi viridarium. Si has ipſas, aut conſimiles arbores, atq; virgulta confusâ in ſiluâ non ſine iucũditate antea ſpectâſſet: vbi primum eadẽ ipſa tam nobili conformata ordine, tamq; varijs propè animata figuris, poſtea ſuiſmet oculis ſubiecerit, quàm inſolitâ, multoque, quàm antea, cumulatiore voluptate liqueſcet? Quod ſi qua virgulta, vel ſurculi ſupra parietũ crepidi-

A

B

C

pidinem emineant;ſi extra coronam verticis
D ſingularum plantarum progerminent;ſi animantum rictus,ſpeciesque denorment ; adeſt ſtatim cum falculâ olitor, omnesq; illos aut
E ſtolones,aut coliculos, aut cincinnos ſeuerè caſtigat, ſecat, recîdit. At omnes illi ramuſculi innumeris fœti erant fructibus. Nihil moror, inquit hortulanus. hîc mihi decor,& venuſtas curæ eſt(quanquã arbuſculæ etiã ſic caſtigatæ vberiores fructus ferent) quicquid extra ordinem ſurgit, ordinẽ diſijcit, venuſtati officit, concinnitati detrahit; ac proin-
F de auerruncetur.

Aduerſariorum Orationes, atque Conciones, quia inordinatæ ſunt, minimè delectant.

203 OStendi hactenus, Auditores, ſatis perſpicuè, quàm pellax,miruſq; voluptatis genitor ſit ordo,quãtaq; hunc inter,atq; illam affinitas intercedat. Nunc idẽ ordo poſtulat, vt ab Aduerſarijs meis quærã, quem ipſi ordinem, ſuis in Orationibus,vel Concionibus teneant. Sed quorſum? Illine ordinis vllam orbitam queant inſiſtere? Illine, qui immodicam delectationem tam perditè amant, poſſunt,quid ordo ſit, ſuſpicari? Quaſi verò modus ſine ordine eſſe valeat. quaſi modus certos quoſdam fines, & terminos cuiq; rei non præſcribat: quaſi ratas ad leges, atque menſuram ſingula non exigat. Quod ſi modus id, cui accidit, terminis includit,

cludit, ſi finibus circumſcribit, ſi legibus tẽperat, ſi menſurâ partitur, poteſtne ab ordine eſſe diſcretus? Quum igitur immodici iſti ornamentorum ſartores omnem delectationis modum, vt immoderatam vbiq; ferant, aſpernentur; an non etiam omni ordini eâdem operâ nuncium remittunt? Deinde, nonne paulò ante meâ ex diſceptatione didicerunt, ſuas Orationes, atq; Conciones faſtidij eſſe pleniſſimas? At quid magis ordinem peruertit, quàm faſtidium? Fallor. Faſtidium euerſi potiùs ordinis indiuidua eſt appendix, quàm euerſor; & turbati exploratum magis argumentum, quàm turbator. Tu verò tam acutè declamando quantâ imples aures ſatietate? Tenes igitur manu, & neſcis, ipſiſſimum vitiati ordinis chirographum. Quod enim faſtidio eſt, nempe ſupra modum, ac vires illius, cui creat faſtidium, eſt. Dapes faſtidis, nempe quia palato tuo, vel ſaturitati nõ cõgruunt. Quæ autem non congruunt, poſſuntne cum ordine, qui continua quædam conuenientia eſt, vllo modo conuenire? Vide igitur, vide implacabiles faſtidij cum ordine ſimultates. Intellige aliquando, quum in dicendo tam effræni ſenſiculorum intemperantiâ tantum ſatietatis apportes, buccinâ quaſi te ſignum edere, omnes a te ordinis leges ſine vllo reſpectu fuiſſe temeratas. Sed quid ego de faſtidio loquor? quid in re apertiſſimâ longiore ſermocinatione opus eſt? An qui ſe extraordinarios Oratores, Concionatoresq; cenſeri ambiunt, aliquid ordinis ordiri, aut

B inuenire queant? Itane ordinem iſti audeant nihilominùs conteſtari? O capita obliuioſa! Itane citò e memoriâ excidit, quum de ingenio veſtro verba facerem, luculenter a me tũ demonſtratum, eo vos idcirco frigere, atque langueſcere, quòd omnem ordinem fœdiſſimè affligatis? Quæ poteſt ergo de ordine lis, aut iurgium ampliùs remanere? Quum enim abſq; controuerſiâ, nullũ ordinis ſpecimen a vobis dari, planum ſit: cui poteſt anceps eſſe, neq; vllam a vobis delectationem, ordinis nempe filiam, gigni poſſe?

A 204 Verùm minutæ hæ interrogatiunculæ acutiores, puto, sunt, ſapiẽtiſſimi Patres, quã vt ab Aduerſarijs meis non ingenioſiſſimis percipi queant. Metiar igitur diſceptationem meam ad iſtorum anguſti oris captum, miſ-
B ſiſq; illis quaſi punctis epicheremate ſubſtrictis, ſtylum latiùs, ac liberaliùs fundam. Vos ipſos ego iam appello, perblandi Declamatores; vos, inquam, mihi, qui pro veſtro more, quæ ſemel pro exploratis conceſſiſtis, Punicâ fide iterum antiquatis, ex fugâ retracti, iam pœnas diſſipati ordinis perſoluite. Nam quum Orationis, Concioniſue ædem in deſcriptionum latera ſinuatis; quum ſine claræ quæſtionis proſpectu eam confeſtim introrſum in cæcum arcanæ doctrinæ antrum reducitis; quum ſubitò in angulum abiunctę prorſus digreſſionis declinatis, quum in edito arrogantiæ tumulo, altoq; ſupercilio hinc partitionis vnum parietem ſtatuitis, illinc alterum in inſcientiæ voragi-

voraginem deprimitis, quum nullum perſpicuitatis oſtium, quo eius cognitio adeatur, relinquitis; quum nullas explicatæ dictionis feneſtras patefacitis; quum obſcuritatis tenebras vbique offunditis; quum veſtra illa acuminum adyta, atque myſteria nulli Auditorum, niſi longiſſimæ commentationis geſtatoriâ ſcalâ, cochleâue admotâ, penetranda, tã altè ſuſpenditis; quum rerum, quæ affectus C
poſſent ſuppeditare, apothecam, ſeu cellam D
vinariam ſub initium illico panditis; in exitu verò perorationis aquam infacetæ fabellæ E
propinatis; quum ſtabula reiectaneorum argumentorum in fronte: aulam autem validæ F
amplificationis exterminatis; quum rationũ denique cubicula, diſtorta, exilia, rimoſa, gibba ac ruinoſa concameratis; voſne de ſerie H
aliquid cogitatis? vos de ordine curam vllam ſuſcipitis?

205 Sed nunc uertite veſtram Orationem, in exercitum. Quando enthymematum milites palantes huc, atq; illuc agitis; quando omnis diſciplinæ lege ſoluitis; quando nullos ſeruare ordines, imò peruertere iubetis; quando in prærupta, atq; a cauſsâ omnino auia præcipitatis; quando latronũ more iã Poetarum vineas populamini; iam Sophiſtarum viridaria diripitis; iam viarum diuortia obſidentes, tranſeuntium Comœdorum peras, manticasq; A
ſalibus fartas excutitis; iam Circulatorum B
dicteria expilatis; iam Iuuenalis ſcommata depeculamini; iam Plauti iocos exenteratis, C
iam Martialis argutias inuaditis; iam omniũ

ſenſiculorum penum exhauritis: demum quando officinas omnes, atq; tabernas venalium ornamentorum, ut tandem perſuaſioni ſolitudinem, uaſtitatemq; importetis, per uim totas ferme aſportatis, ut nulla penitùs
F muſcaria iſtarum ſententiolarum, atq; nugarum ludicro ab ingenio fabricata apud ullum
G nugonem; uel Comœdum, ſatis clauſa ſint,
H quin a uobis repentè uel unco extrahantur, uoſne ordinis ulla lineamenta ducetis?

206 Quod ſi eadem Oratio in citharam commutetur; tu ſanè non argumentorũ fides, quæ fidem maximè faciunt, ſed ſimilitudinũ chordas dumtaxat, quæ rem explicant tantũ, extendis, tu pari omnes ſono ita illas temperas, ut tam a primâ, quàm ab ultimâ, exordiri fas ſit, nec minùs robuſta media, quàm alia quæcunq; audiatur; tu ſurſum, deorſumq; nõ digitorum articulos minutatim inflectis, ſed
A integram manum inſcitè carpentem, ſcalpentemq; incitas, & deducis. Sed quî tandem hoc pacto ordinis tu ullâ ſolicitudine ſimul tangaris?

207 Transforma nunc Orationem in humanum corpus. Exordij caput epilogi pedibus ſubijcis; argumentorũ neruos e corpore euellis, acuminumq; cincinnos ſubſtituis, tibias affectuũ in humeros partitionis traijcis; brachia confirmationis collo narrationis præfigis; quæſtionis frontem ſub præteritio-
B nis axillam abſcondis; & tunc cum ordine uel minimum unguem conſentias? Sed ecce, uelut orbis quidam tua prodit Oratio. Sche-

matum ſidera in ſenſiculorũ mare demergis; exundantium uenerum aquas ſupra cauſſæ Cælũ effers; Cæleſtes inductionũ orbes infra argutiarum arenam deprimis; quæſtionis ſolum inaniſſimi ſtyli uento inflas, inſanoq; terræmotu labefactas; & ordo ullus apud te ſedem reperiat?

208 Sint autem planè acumina, ſententiæ, atq; argutiæ flores quidã, & lætæ uelut arbuſculæ in Orationis uiridario cõſitæ ab ingenio. Atqui uos ea nunquam intra lineam moderationis continetis; non ullâ iudicij falculâ caſtigatis non in rationum areolas, non in morum teſſellas, non in affectionum toros diſtinguitis; ſed ubiq; ſpargitis, ubiq; diſſeminatis, ubiq; profunditis. At enim horti Oratorij prima, ſi uigilatis, lex eſt, ut tot acuminum flores, tot ſenſiculorum herbulæ, tot uoluptatis capreoli, tot oblectationis conciliatriculæ tolerentur, quot ordo, cauſſæ, & perſuaſionis finis patitur, ac iubet, ut nimirũ amplificationum interiectæ ſemitæ, biuia, triuiaq; ab omni affectationis gramine pura, ab omni luxuriantis ingenij ſurculo libera, & nuda ſint. Vos autẽ iurati hoſtes moderationis, acuminũ fœniculo nõ ſolũ areolas totas, A ſed toros etiã ſulcos, liras totas, totas ſemitas, biuia, & triuia uniuerſa conſternitis: nunquã falcem adhibetis, nihil unquã reciditis; ſed de huiuſmodi pigmentorũ, & floſculorũ horto pratũ, & ſiluã facitis. Vbi igitur ordinis uobis ulla religio? ſcilicet. at ſi ordo omnis a uobis corruptus, ubi decus? ubi uenuſtas? ubi oblectatio? Nuſquam.

209 Quare, quum Aduerſariorum declamationes nullo ferè ordine ſplendeant, quid eis poteſt eſſe peruerſius? qui errores labyrinthæi magis inextricabiles? Quod ſi illæ & ingenio uacuæ, & faſtidio refertæ, & ordine deſtitutæ ſunt, quid reliquum eis concinnitatis eſſe queat? quam delectationis ſpeciem adumbrare, aut mentiri poſsint? Ita in auras prorſus, ac fumũ immodicæ ſpectrum uoluptatis, ab iiſdem Aduerſariis compoſitũ, perridiculè euaneſcit.

A

Quæ vtilia, atq; honeſta ſunt, afferunt oblectamentum.

A 210 DE ingenio, quo egent Aduerſarij; de faſtidio, ꝙ creant; de ordine, quo carent; quę tria oblectationi ſerendę maximè incommodant, ad id locorum iam ſatis. At quid pręterea eſt, quod demulcere Auditorem poſſit? Venio demum ad longè uberiorem oblectationis fontem, utilitatem nempe, atq; honeſtatem. Sic enim latentis naturæ manibus omnes informati ſumus, ut quæcunq; honeſta, iuxtaq; commoda, nobis ſunt, ingenti nos iucunditate omnino cumulent. Scio pleraq; eſſe utilia, atq; honeſta, quæ nullâ tamen, aut perexiguâ afficiunt uoluptate. Medicatâ quippe potione grauiter laboranti, ad ualetudinem recuperandam, quid ſalubrius, uel honeſtius? Sed quàm ſæpe nihil inſuauius, atq; amarius? Contra uerò multa, quæ maximè delectant, nullum habent cum

ho-

honeſtate, vtilitateq; commercium. Nam pecudum voluptatibus ad homines ſummo cum probro traductis quid fœdius, aut nocentius excogitari poteſt? Res compertiſſima. Pergo. At quæcumq; honeſtate verè decorantur, quo magis cum vtilitate, moleſtiæ, & laboris experte ſociantur, eo pleniore mellis alueo præcordia diſtendunt. Lætæ, grauesq; B
ſpicæ ipſâ maturitate meſſoriam falcem iam C
inuitantes, quàm amœno ſpectaculo coloni D
oculis lenocinantur? extractum e ſtagno ver- E
riculum prægrandibus onuſtum piſcibus, F
quantâ lætitiâ effert piſcatorem? Multa volucrum præda, multa quadrupedum, vel lecta e
caſſibus, vel arcu, aut decipulis coacta, quàm G
affluente hilaritate laſsũ recreat venatorem? Opima munera liberali a Rege in populum
congiarij nomine ſparſa, quàm leni ſuauita- H
tis illicio animos omnium deuinciunt? Veris rediuiua fœcunditas e telluris gremio explicatis, redimita floribus, fructuum vbertatem haud ex vano portendentibus, quàm incredibili gaudio perfundit mortales? Suſpice Cælum, & tacito curſu meantia ſidera, tum Solis, Lunæq; conuerſiones, ad occultos, mirosq; afflatus ſubiectis incolis diſpertiendos cotidie inſtauratas contemplare; & deſubito ſuaui delibutus voluptate exultabis. Hęc ipſa lux, quâ nihil eſt amabilius, licèt tam frequenter cernatur, quã nouâ tamen delectatione, vbi, expugnatâ vel cæcâ nocte, vel denſâ, obſcuraq; nube, victrix improuisò emicat, oculos reficit? At vndę omnes iſtæ voluptates
ma-

manant? quo ex fonte hauriuntur? ex honeſtâ ſcilicet vtilitate, viciſſimq; ex vtili honeſtate. Quàm enim honeſta, & ſine moleſtiâ poſt obitos labores vtilis agricolæ meſſis in horreũ illata; piſcatori capti ex amne piſces;
I venatori abducta de luco quadrupedũ præda; munera egeno tributa populo; lux cunctis affuſa mortalibus? Quantũ igitur honeſtatis, vel vtilitatis quacunq; de re detraxeris, tantundem quoq; honeſtæ oblectationis ne-
K ceſſariò ſubduxeris. Cõminiſcere enim dapes omnis generis aliquâ in tabellâ belliſſimè depictas, aut regium conuiuium, epulumue coloribus quàm graphicè expreſſum. Num
L picta huiuſmodi eſculenta extremâ fame languentem refocillabunt? Minimè. nam ficta, & delineata obſonia quanquam cubiculum honeſtè exornant, oculoſq; oblectant, explendæ tamen fami nihil planè conducunt; ac proinde neq; eſurientem ventrem vllâ poſſunt cibi dulcedine mitigare. Si ſpectet agricola vineam innumeris luxuriantem pampinis, vndiq; folia dumtaxat, atq; capreolos fundentem; at racemis, atq; vuis penitùs orbatã; quam, obſecro, ex talis aſpectu vitis animo percipiet voluptatem? Imò ingentem potiùs dolorem, quòd ſuos labores omnes, tot ac
M tantos, ſteriles in coliculos abijſſe animaduertit. Exploratum igitur eſt, ſi de honeſtâ delectatione ſermo ſit (quum inhoneſta neq; ad Oratorem, neq; ad Concionatorem, vt diſertè caui, pertinere queat) quo quidq; minùs honeſtum eſt, aut vtile, tanto minùs etiam honeſtæ voluptatis proſeminare.

Aduerſarij non delectant, quia neq; honeſta, neq; vtilia dicendo proferunt.

211 VErùm antequã, Auditores, de turpi vtilitatis, atq; honeſtatis corruptelâ Aduerſarijs meis perſamiliari quicquam dicam, cogor a vobis importunæ fortaſſe moleſtiæ veniam deprecari. Nam dum eadem vulnera ſæpiùs vel inuitus retracto, iure etiam atq; etiam vereor, ne mea vobis oratio ſtomachum pariter moueat. At viri prudentiſſimi, debetis mihi hoc qualecunq; piaculũ facilè condonare. Quum enim Aduerſarij vno in crimine non vno crimne contenti, plura ſimul conglobent, haud poſſum ego omnia vno conflictu mactare, ſed pugnã veluti neceſſariò diuidens, multiplicis adeo monſtri, tanquam hydræ nunc vnum caput A teterrimum demeto, nunc aliud atq; aliud B pedetentim conficio. Expoſui ſanè iam pridem, quum Oratorios mores ab iſtorum Orationibus exulare docui, quàm eſſent ijdem inepti illorum architecti: nunc, vt vincam, nihil honeſtatis, vel vtilitatis ijſdem ineſſe, ac proinde neque vllam etiam oblectationis ſpeciem hinc fluere; non poſſum hîc eiuſdem piaculi hoc aliud veluti caput Declamatoribus tam eneruatis non exprobrare. Et de honeſtate quidem fucatarum Orationum quid attinet multis diſſerere? quem fugit, quàm ſint officio tam graui Oratoris ipſæ diſcordes? Cui obſcurum eſt, quàm turpiter neq; per-

perſonæ, neq; cauſſæ, neq; loco, neq; tempori conuenîant?

212 De vtilitate verò funditus euersâ quid addam, aut potiùs querar? Quid enim frugis bonæ isti in Auditores conferant, qui grauiorum rerum neglectis argumentis, iam in hilares, mollesq; veris deſcriptiones pueriliter excurrunt; modò auro nitentem auroræ currum Poeticè depingunt; ſæpe Imperatorũ centurias intempeſtiuè recenſent; identidem infinitum eruditionis penum imprudenter exhauriunt? Nempe plurimum Auditorum intereſt inanis tuæ oſtentatio memoriæ. de ſuis vtiq; actũ fortunis omnibus ſinguli, niſi tuam iſtam ambitionem ſub purpureâ acu-
A minum, ut ſic appellem, umbellâ ſuperbè incedentem conſpexerint, exiſtimabunt. In magnum hominum cedet emolumentũ sũma illa tua in perpoliendis uerbis, nulla in excolendis animis ſolicitudo. Profligabitur, credo, Reipublicæ pax, ſi impexum ſenſiculorũ,
B argutiarumq; populum prætermiſeris. Quòd totus ſis in antithetis conquirendis, urbis forſan reditus augebuntur? quòd ſales piperatos tam inſulsè inculces, patriæ fines ampliabuntur? quòd per metaphoras, atq; allegorias laruato ueluti ſermone ignotus, ferè
C peregrineris, annonæ caritatem tenuioris
D cenſus homines non experientur? quòd iocis,
E lepôribus, ſcommatiſq; crebro iuueneris, tot ſcelerum monſtra a grauiſſimis animorum uulneribus, ab irâ, ab odio, ab inuidentiâ, ab ebrietate, a rapinis, a latrocinijs, a ſacrilegijs,

legijs, a ſuperbiâ, a laſciuiâ, a crudelitate, ab
niuſtitiâ conualeſcent? & iſtane in Auditorũ
commodum redundabunt? hæc multis homi-
nes beneficijs demerebuntur? Se ipſum pal-
pare blandiſſimè, ſui cauſsâ nominis omnia,
aliorum nihil, niſi præcipuè ſuam in rem
cedat, moliri, alienas plagas, ut uel uno
acumine fauorabilem leuiſſimæ auræ ſuſurrũ
aucteris, negligere; eò in dicendo ſemper ten-
dere, ut tui maximè ingenij (etſi tardiſſimi)
uenditandi monopolium turpiſſimum inſti- F
tuas; tã ca[illegible] ſingula componere, ut omnia
diuina, atq; [illegible]ana propriæ exiſtimationis
quæſtui flagitiosè poſthabeas; utilitatis ullã
ſpeciem apud eruditos, atq; prudentes; quin
etiam apud uulgares, infimosq; Auditores
habebunt? Illine ſua multum referre opina-
buntur, quòd te hominem in Ieſu Chriſti
ſcholâ haud ſatis exercitatũ ex ipſo ceruſſato G
dicendi genere facilè animaduertunt? quòd
cui perditum mancipium, aulicis plenum
offucijs, caritatis obryzo uacuum, tibi pluri- H
mum indulgentem, in alios ſeuerum, gloriolę
uento tumidum, hominum forenſibus deditũ
colloquijs, ſacræ commentationis rudem,
humanæ literaturæ ſupra modum fidentem,
ſpiritus cæleſtis patrimonio abdicatum, a I
pietate exheredatũ ex aſſe, palàm agnoſcunt?
quòd te uerſipellis fuco ſimulationis miniã- K
tũ, perpetuâ animi, atq oris; linguę, operũmq; L
diſſidia alentem; perſonam pro lubentiâ catèM
induentem, atq; exuentem, haud incertis
ueſtigijs deprehendunt? Et quam tandem
uti-

utilitatem tua hæc Orationũ,Concionumq́; adulterandarum norma corruptiſſima apportabit? quam, cedò, quam? unde ortam? quo ex fonte deriuatam? quibus hominibus, quibus? ubi? quo nomine? quando? quâ occaſione? Quęſo te,per tuam humanitatem aut fabulari deſine, aut fabulas minùs fabuloſas narrato. Sed quid ego utilitatem commemoro? Hæccine ludificatio nugatoria quicquam pariet utilitatis?utilitatem,dicitis, utilitatem? o utilitatem! imò uerò quid non ruinæ, & uaſtitatis per has ipſas acuminum præſtigias, cæterumq; ornatus luxum,forum & templa, populos, atq; urbes inuadit? Diſcedunt igitur ab honeſtate,atq;ab utilitate Aduerſariorũ Orationes, atq; Conciones, atq; adeo unde honeſtam gignant oblectationem, inuenire non poſſunt.

213 Fruſtra igitur artifices iſti, prærogatiuam uoluptatis afflandæ ſibi aſſerunt; fruſtra prenſant, fruſtra iactant. Quippe quum ingenio ne mediocri quidem, ut oſtendi, præſtent, quum tædium creent intolerabile; quum omnem perturbent ordinem;quum honeſtæ utilitatis nihil ferant; exponant, quæſo, quam ueram poſſint, quam puram, excoctamq́; iucunditatem afferre? Eſto enim illæ ſuperfluorum illecebræ ornamentorum aures vtcunq; titillent: at intimos ſenſus non permeant.voluptate qualicunq; detineant: at commentitiæ tantùm oblectationis laruâ decipiunt,neq; vnquam liquidæ ſuauitatis guttam vllâ ipſa in præcordia queunt demittere.

Gran-

Grandinoſa procella magno ventorum ſtrepitu de Cælo exonerata terram quidem alluuione ſepelit; at ſolum ipſum aridum, Solisq; peruſtum radijs non mollit, non ſubigit, nō penetrat; plantarum ſterilitatem non fœcundat, ſed teneros perdit ſurculos, lætas flagellat ſegetes, ſata, atq; arbores vaſtat. Foris tantùm per decliuia decurrit, at ſuccum, atq; alimentum radicibus nullum defert. Haud ſecus acuminum tam denſus imber, tamq; ſpiſſa argutiarum, ac reliquorum ornamentorum grando, cordatorum Auditorum aures percellit quidem, ſed non peruadit; delectatione non capit, ſed cædit; non lenit, ſed lacerat; non implet, ſed onerat. Vel certè, etſi fortè imperitorum adoleſcentium leuitati arridet, hominumq; non doctiſſimorũ plauſu excipitur, nullo tamen modo in animum deſcendit, Auditoremq; non afficit, nec demulcet, ac propterea neq; veram oblectationem, ſed adumbratam; non legitimam, ſed adulterinam; non honeſtam, ſed meretriciam concinnat.

214 Quare, ſi quando in huius Actionis decurſſu hactenus aliquam delectationis ſpeciem Aduerſarijs meis, quam tanto conſectātur ſtudio, viſus ſum ſine controuerſiâ indulgere, hanc dumtaxat inquinatiſſimæ imaginem, fucumq; conceſſi. Illis nimirum neſcio quos rumuſculos, inſanæq; plauſus plebeculæ non putaui ego inuidendos; tum quia ea oblectatio, vt pote immodica, oblectatio vera non eſt, ſed oblectationis ſolùm vmbra; tum

ut.

vt interim haberent aliquid, quo ſuas vitioſæ eloquentiæ, quam criminabar, ærumnas conſolarentur; tum demum ut omnem honeſtę uoluptatis excitandę laudem, omnemq; gloriæ, atq; plauſus prouentum non inanem, ſed meritis debitum, ualdeq; frugiferum acriori deinde ſenſu, morsuq; doloris ab iiſdem, quod iam præſtiti, per uim etiam repeterem, ac reuellerem.

215 Hæc ſunt, Auditores ornatiſſimi, ſplendétis ueritatis ab iſtis immodicæ delectationis patronis, ſimulq; reis exprimēdæ torméta, quæ ad eandem illam delectationē (beluam enimuerò quauis tæterrimā beluā immaniorem, ac damnoſiorem) omnino exterminandam ineluctabilia exiſtimaui. Ratū igitur, fixumq; ſit, delectationis Oratoriæ, uel Concionatoriæ nullum apud Declamatores iſtos extare ueſtigium; ipſamq; illam delectationem, quā tantopere gloriantur, extuberantē, atq; exoticam, oblectationis nomen tueri nō poſſe: tandemq; diſcant Aduerſarij mei, delectandi palmam, quam ſuam penitùs eſſe conceptis uerbis iurabant, ſibiq; medullitus addixerant, de manibus ſibi nullo negotio demum fuiſſe extortam, atq; ablatam.

Oblectandi palma Tullianorū Oratorū, atque Concionatorum propria.

216 SEd hæc delectandi palma ab improbo plagiariorum uindicata ſeruitio, quibus, niſi Tullianis, hoc eſt, ueris

quum

quum Oratoribus, tum Concionatoribus adſcribi poteſt? Quis enim ex uniuerſis eloquentiæ profeſſoribus magis, quàm iſti, ingenio præcellit? quis faſtidiū omne mirâ rerum omnium, atq; uerborum temperatione longiùs arcet? quis ordinis decus omne, & uenuſtatem pulchriùs componit? quis ſummam utilitatē pari cū honeſtate conſtantiùs, aut uberiùs conſociat? At de ingenio egregiorum tam Oratorum, quàm Concionatorū præclariſſimo, uoluptatis illice quàm blandiſſimo, non eſt hîc, cur uerbum ullum inſuper attexam, Auditores. Satis iam, ſatis longa illa, quam abſolui, diſſertatio paulò ante explanata, quàm ſint Ciceroniana ingenia perſpicacia, quàm acria, quàm magna, atq; ſublimia, pateſecit. Modum verò, moderationemque nemo iam eſt, qui noſtris dicendi artificibus modeſtiam vbique tam ſanctè præ ſe ferentibus, religioſiùs obſeruet. Quis enim his prudentiùs omnē remouet ſatietatem? quis, ne Oratio decori leges migret, cauet attētiùs? quis, ne luminū crebritas luminibus ipſis illuminatæ dictionis officiat, ſollertiùs conſiderat? quis voluptati certos, ne ſe ſe nimium efferat, frænos opportuniùs inijcit? quis redundantiū floſculorum luxum ſeueriùs caſtigat? quis acuminum piper rariùs adſpergit? quis ſenſiculorum cruſtula parciùs apponit? quis, qui ſit Auditorum captus, quæ vis ingenij, quæ affectio animi, quæ vulnera, morbique, quæ cauſſæ natura, quanta grauitas, quan-

ta neceſſitas, maturiùs expendit?

217 Delectationem verò iucundiſſimam, quam ordinis pulcherrimi gratiâ noſtri item Oratores vbique ſerunt, quænam Oratio tam diſerta, & copioſa eloqui poſſit? Quàm multâ enim, leniſſimâque voluptate pelliciunt, quum ſuas Conciones iam in exercitũ quaſi inſtructiſſimũ diſtribuunt: iam inſtar palatij magnificentiſſimi exædificant; iam velut horologium temperatiſſimum deſcribunt; iam vt ſphæram grauibus libratam momentis circumagunt; iam vt Cælum ſtellis, motibusq; diſtinctum in orbem rapiunt; iam vt Mundum vniuerſitatis tantâ rerum varietate nunquam ſibi diſſentientẽ repræſentant; iam denique vt hominem, perexiguum videlicet, & contractiorem Mundum effingunt? Quàm magnâ item amœnitate oculos, animumque paſcunt, quum flores ſenſiculorum omnium in hortum quendam cogunt? quum venerum arbuſculas in viridarium quoddam transferunt? quum in moderationis areolas vniuerſa ornamenta partiuntur? quum argumenta in quincuncem, A decuſſémque diſponunt? quum ratiocinationum quinque veluti brachia in ramos confirmationis extendunt? quum enthymemata, mores, atque affectus in amplificationum viridantes quodammodo figuras, animataque ſimulacra conformant? quum hæc ipſa amplificationum ſimulacra tot elegantiæ frondibus ornant, totque argutiarum capreolis criſpant, quot ad eorundem ſimulacrorum

uultus

multus exprimendos requiruntur; at ſi qua folia, aut coliculi luxu quodam ea figurarum lineamenta corrumpant, vel confundant, ſtatim amputant? quum nullum acuminum florem extra ordinis fines laſciuientẽ ferunt? quum liberas vbique perſuaſioni ſemitas, nullâ herbulâ importunæ ſententiolæ impeditas relinquunt? quum iocorum papaueribus argumentorum ſulcos, orationiſque campum ſilueſcere, turbari, aut eliminari nunquam patiuntur? quum iſtarum venerum nec plures flores, nec plures ſurculos, quàm ordinis lex, finiſque præſcribat, tolerant? quum poſtremò omnem ſuperuacaneæ expolitionis ſtolonem forfice iudicij, pijſſimâ quadam, & ſapientiſſimâ inclementiâ recîdunt?

218 Quod ſi oblectationem, quæ honeſtis ex commodis, vtilique honeſtate elicitur, iam oratione enucleare placeat; quoniam Tulliani Oratores & acri ingenio, & rerum verborumque moderatione, & ordinis eximio nitore magnam, vt vidimus, afferunt uoluptatem; longè maximam haud dubiè, quum & longè maximam præterea utilitatem honeſtate ſemper ſplendentem dicendo ubique diſſeminent, ſuos in Auditores, ut mox docebo, hinc deriuabunt. Nam ea omnia, quæ tum de perſuadendi difficultate, tum de noſtrarum Orationum inſtrumentis ad eam ſalebroſam prouinciam in poteſtatem redigendam aptè fabricandis, prolixè ſatis iam in medium adduximus; arduam illic, operoſamque utriuſque muneris functionem oſtē-

debant;

ingenioſior videtur, quàm quum Auditorum gratiâ, lucroque ingenioſus minimè videri cupit) etiamſi cum aliquo propriæ vtilitatis diſpendio procurandus ſit, nihilo ſecius ſũmâ ab illis contentione indagari animaduertunt. Dedunt quippe ſe planè Concionatori, dedunt ſe prorſus Auditores, quum eum ſui quæſtus ſtudio nihil dicere, omnia cæterorum cauſſæ tribuere; de elegantiâ verò ſermonis, dummodo populi ærumnis ſolatium ferat, non laborare; omnes ſuas literas, ſtylũ, pectus, linguam, ac latera nõ vaniſsſui plauſibus, ſed communi animarum ſaluti fœnerare intuentur. Victos ſe penitùs officijs vociferantur vniuerſi, quum eum ab impotenti cupiditatum tyrannide liberum, veritatem ſyncerè expromere audiunt; quũ hanc nullo metu ab illo ſupprimi, imò ſemper vehementiùs vrgeri, ad publicam vtilitatem ſemper animoſiùs repeti, eam nullâ ſui commodi vmbrâ tenebricoſam, ſed candidam ſemper in medio prudentiſſimè collocari, omnes agnoſcunt. O quot nominibus, quantisq; tam frugifero viro ſe obæratos teſtantur, quum illũ eò tantùm ire, ducique, vt cunctis proſit, nullum contemnat, omnium leuet miſerias, neminem negligat, non infimos, non abiectos, non ſordidatos; ſalutaria innumeris monita ſuggerat, vitia ab omnibus curet depellere; ſingulos virtuti ſtudeat adiungere, omnes beatè vitam tranſigere, omnes ab æternis retrahere ſupplicijs, omnes deniq; Cæli regno nunquã interituro ditare C D

vi ſummâ conetur. His itaque,& conſimilibus commodis quid, rogo, honeſtius optari, vel tam multiplici honeſtate quid vtilius fingi poteſt? Et poterit Auditori quicquam gratius, aut iucundius accidere,quàm,quum tam vtilia, atq; honeſta ſibi a Concionatore proponi, ſuaderiq; manifeſtò deprehendit?

Oratores in quauis Oratione honeſtam procreant vtilitatem,quia ſemper vel ad virtutem impellunt,vel retrahunt a vitio.

219 VErùm quo meliùs ingentem hanc delectationẽ, quæ ex honeſtate, atq; vtilitate Tullianarũ Orationũ Auditori allinitur, intelligatis,ſic, viri prudentiſſimi, interpretor, ſic decerno; neminem vnquam copioſiùs, aut ſuauiùs oblectari, quàm,quum ſe ad vitij alicuius depulſionem, aut virtutis conſecutionem inuitari, rapiq; ſentit potiùs, quã cernit. Quid enim aliud, quæſo, Orator eſt, quàm animorũ quacunq; perturbatione, vel aliâ ægritudine tabeſcentium admirabilis quidã moderator,ac præſentiſſimus medicus? Nam quum Auditores, varijs plerunq; cupiditatibus, atq; affectionibus æſtuantes,rationisq; fræno ſoluti,a virtute delirant, atq; ad vitiũ incitantur; e contrario Orator pro ſuo honeſtiſſimo,quo fungitur,munere illos a vi-
A tio ad virtutem remulco trahere,ac poſtlimi-
B nio reuocare planè conatur. Quãquam enim

Rhe-

Rhetoricæ artis extremum finem Auditorum perſuaſionem cũ omnibus dicendi magiſtris ſæpius iam pronuntiaui; tamen perinde omnino eſt, vitij ablegationem, virtutisq́;comparationem ſpectare,atq; Auditorum perſuaſionem intueri. Quid namq; Orator,niſi ab honeſtate velit diſcedere, perſuadere poteſt, niſi virtutem, aut virtuti ſaltem nihil aduerſum; & diſſuadere, niſi vitium, aut vitio affine, vel proximum? Quum enim probus Orator honeſtos mores, ſi talis cenſeri vult, neceſſe habeat oſtendere; ab ipſo,quod ſuſtinet, officio, honeſtatis circumſcriptus finibus, atq; incluſus, non poteſt nempe Auditorem, niſi ad vitij execrationem, ſtudiumq; virtutis,inducere. Iudiciali generi æquitas, atq; iniquitas tanquam finis propoſita eſt. Rectè. Et poterit aliquis ad iuſtitiam inflammare, vel ab iniuſtitiâ retrahere, quin virtutis amorem, vitij autem odium eâdem operâ ſimul inſerat? Deliberatiuum etiam, quum vtilitatem, & damnum præ oculis habeat, Orator, quod vtilius,honeſtiusq́; eſt, ſuadere ſemper, vel inuitus cogitur. Eſt quippe ea virtutis prærogatiua ſingularis, vt vmbras quaſcunque,fucumq́;ſuâ tandem luce perrumpat, ac demum agnoſcatur, approbeturque, ideoq́; ſi quid minùs commodum, minuſue honeſtum aliquis perſuadere tentet, ſtatim vel tanquam iniquus, ac turpis, qui turpia obtrudat; vel tanquam imprudens, qui rei incommoda,damniq́;appendices non cernat; vel tanquam maleuolus,qui de induſtriâ

Auditores in præceps conſilium agere moliatur, irridebitur. De demonſtratiuo porrò quid dicam, cuius finis quum ſit honeſtas, & turpitudo; quid poteſt eſſe virtuti, aut vitio magis inſitum, atq; intimum? quò niſi ad expulſionem vitij, virtutiſque exercitationem omnia collineabit? Sanè quum apud Iudicē, vel Diſceptatorem, vel Auſcultatorem in cauſsâ iudiciali, deliberatiuâ, vel demonſtratiuâ peroramus, huc omnes exerimus vires, vt rationum, morum, affectuumq; veluti machinamentis, ac trochleis eos aliam in ſententiam transferamus. Sed quis Orator, quis Concionator, niſi planè impudens, ab honeſtâ ſententiâ auellere, atq; ad turpem, fœdamq; traijcere nitatur? Nullus videlicet eſt, qui rectè, atq; honeſtè dicat, quin prauas opiniones dudum iam hauſtas, animoq; comprehenſas homines doceat exuere, recentesq; denuo longè honeſtiùs, vt ita dicam, induere.

220 Expecto hîc, neſcio quē, qui de Academico argumento a forenſibus, ſacriſque Templorum cauſſis penitùs remoto, ad demonſtratiuum tamen genus pertinente, ſed de virtute, aut vitio nihil omnino ſolicito turbas excitet. Quaſi verò, inquiet, quædam
A theſes, aut hypotheſes meræ cognitionis non ſint: quaſi verò demonſtrare nequeamus, lilium florum eſſe omnium regem, roſam verò reginam, elephantes quadrupedum ſollertiſſimos, malum Punicum, pomorum omnium tenere principatum; quæ tamen omnes, ſimileſq;

mileſq; ſeu theſes, ſeu hypotheſes ab humanis moribus alieniſſimæ; quum nihilominùs in comitijs Academicis commodiſſimè, & iucundiſſimè pertractentur, de virtute, aut vitio nihil omnino commemorant, de Auditoris animo ſanando nullum faciunt verbum, ſed puram putam huiuſmodi quæſtionum cognitionem adſpergere contendunt; de actione autem nihil prorſus delibant.

1221 O acutam profectò, atque tempeſtiuã intercceſſionem, Academico ingenio omnino dignam! aſtutam enimuerò ſubdolamq; exceptionem! Scilicet. Nihil hac tergiuerſatione inanius. Quæro enim, num Aduerſarij mei huiuſmodi propoſita Academica, quæ expoliunt, Orationes eſſe appellanda, (ſi quidem Concionum nomine ne ipſi quidem donari poſſe arbitrantur) eoſque, qui talem adornant Spartam, Oratores dicendos eſſe volunt? Patiamur tantiſper eos iſtis nominibus gloriari. At mihi etiam vel reluctantes concedant, neceſſe eſt, eiuſmodi qualeſcunque tandem Orationes, atque Oratores noſtris, hoc eſt, Tullianis, ciuilibus, moratis, factiſque, eſſe omni parte inferiores, tum miſerâ diſiunctione, latiſſimoque interuallo diſſimiles. Nam vt noſtræ Orationes, atque Oratores cauſſas graues, ſeriaſque, magni momenti, magnæ vtilitatis, magnarum expeditionũ, illuſtres, præclaras, ſplendidas complectuntur; ita Academicis iſtis lucubrationibus, & Declamatoribus nihil ſæpenumero leuius, ac inutilius eſſe poteſt. Sint enim A B

planè conferta iſta ſenſiculorum agmina; puerorum non omnino infructuoſæ exercitationes (quanquam longè magis præſtaret, vt ego quidem ſentio, Adoleſcentes maturè grauibus, ſerijsque cauſſis aſſueſcere, ne, dum perpetuò verſantur in vmbrâ, aut potiùs in iocis, ad Solem deinde, verumque certamen producti, verè dicere tardiùs diſcant, aut, quod magis metuo, tandē nequeant) verùm,
C ſint tamen inquã, iſtę Academicæ phalerę ad rude dedolandum ingenium qualeſcunque palæſtræ; ſint ad formulas Latinè loquendi, atque ad phraſes colligendas, corradendasque blanda quædam inuitamenta. At iſtius farinæ ſcriptiones, atque Scriptores, ſi Ciceronianis cum Oratoribus componantur, an nō pro leuidenſis, pro apinis, pro infantilibus crepundijs, pluuijsque bullis neceſſariò habeantur? Deinde, eſto. Orationes id genus Academicæ Tullianas dignitate vtcunque exæquent. At mihi non de Academicis huiuſmodi Orationibus, ſed de Tullianis dumtaxat, quà profanis, quà ſacris, quibus nempe aliquid actuoſum ſemper, quod perſuadeant, propoſitum eſt, vt mox planiùs oſtendam, totâ hac in Actione ſermonem eſſe iam ſæpius monui, iterumque iam moneo: ac proinde, licèt Academicæ Orationes ſolâ cognitione rerum contentæ eſſe queant, nihil iſtæ Tullianis, de quibus tantùm loquor, quæ cum actione ſemper coniunctæ ſunt, incommodare poſſunt.

DIGRESSIO

De actionis quæſtione in quauis Oratione, Concioneque neceſſariò adbibenda.

SEd operæ pretium eſt, Auditores, a tramite, quem inſiſtebam, paulùm diuertere, ac de actuoſæ quæſtionis cunctis in Orationibus, atque Concionibus minùs notâ, exploratâque neceſſitate copioſiùs philoſophari. quæ tamen omnia cum eo, quod verſabam manibus, argumento bellè conſentire poſtea intelligetis. A B

222 Piget ſanè me Orationum, atq; Oratorum nomen huic nouæ Rhetorices formæ, hoc eſt, Academicæ, imò non formæ, ſed monſtro; neque ſtoloni, ſed tuberi vel tantillum indulſiſſe. Non ſunt enim, Auditores, non ſunt (clarè iam, animoſeque denuntio) tales exornationes ab vſu, atque actione toto Cœlo diſtractæ, ſolique cognitioni famulantes, Orationum nomine, aut illarum artifices Oratorum appellatione vllo modo donandi, honeſtandique. Quis namque, quis, ſi vltimam a primis ſeculis antiquitatem repetamus, ſi omnis memoriæ reuoluamus annales, iſtiuſmodi Academicæ eloquentiæ foetus tãquam Orationes vnquam agnouit, aut recepit? quando Demoſthenes, quando M. Tullius, quando Iſocrates, is ipſe, qui non in foro, ſed in ludo tantummodo; non in curiâ, ſed in ſcholâ; non in Senatu, ſed in receſſu

Academico perorauit; quando vllus omnino Rhetor, aut Orator ex longiſſima illâ, ac penè innumerabili Oratorum ſerie, quos a primis eloquentiæ incunabulis toto libro de Claris Oratoribus idem M. Cicero recenſet, quis, inquam, Oratorum paulò ſuperioris ætatis, quis, aut quando aliquam, quã veram Orationē putaret, vel nominaret ſcripſit, aut dixit, niſi ad actionis controuerſiam explicandam, dirimendamque rectâ libratam? quando meræ cognitionis propoſita Rhetorico dilatata apparatu in Orationum claſſem retulit, eorumque architectos Oratorum nomine inſigniuit? Nunquam planè, nunquã, & meritò, ſapienterque. Nam ſi ad Orationem coagmentandam ſatis eſt, in Auditoris intelligentiâ ornatè dicendo cognitionem cuiuſmodi gignere; equidem illi, qui Geometriæ præcepta, qui Aſtrologiæ problemata, qui Philoſophiæ quæſtiones, qui omnium diſciplinarum extra actionis fines iacentium, atque in ſolâ rei inueſtigatione hærentium theſes & pronuntiata Oratorio ſtylo enodarent, atque expolirent, ſi meorum iudicium Aduerſariorum attendimus, Oratores eſſent appellandi, illæque lucubrationes Orationes vocandæ. Erunt igitur etiam iſtorum ſuffragiis Conimbricenſis Philoſophiæ Auctores,
C alijque hiſce gemini, quum rerum omnium quæſtiones de Inſtrumentis Dialecticis, de quocunque Corpore Phyſico, de eiuſdē ſexcentis adiunctis, de Cælo, de Elementis, de Animâ ſcitè, eleganterque diſſerunt, Oratores;

res; neque iam ampliùs Philoſophi tantùm, verùm etiam magiſtri ſimul, artificesque dicendi. o dormitantium ludibria! o ſterten- D tiſi ronchos! Quis nãq; hęc tã portentoſa, niſi E amens meditetur? Sed cur, quæſo, cur iſ, qui propoſita ſolam rerum cognitionem rimantia, etſi ſplendido Rhetoricæ artis charactere F perquàm venuſtè pertractent, nihilominùs Oratores dici non poſſunt? Nimirum quòd omnis ars Oratoria, tanquam pars Ciuili ſubiecta facultati, huius fini, qui eſt perfectæ Ciuitatis, atque Reipublicæ conſtitutio, moderatio, & cõſeruatio, ancillari, Auditoresq; ad hunc eundem finem vſu, exercitationeque virtutis conſequendum permouere debet: ac proinde qui extra hunc actuoſæ virtutis orbẽ peregrinantur, Oratoris nomen vſurpare iure non poſſunt.

223 Sed quid ego de Rhetoricæ extraneo, vltimoque fine, ciuili videlicet felicitate, diſputo? Ipſa perſuaſio, noſtri Oratoris proprius finis, in quo, niſi in vſu, actioneque conſiſtit? Neque enim in ſolâ rerum afferendâ cognitione, tanquam fine, vt definiunt iſti, quò tamen reliquæ omnes diſciplinæ, quæ in merâ veritatis inquiſitione totæ ſunt, rectà tendunt, occupari poteſt. Oratoriæ quippe arti, cuius munera ſunt docere, delectare, & mouere; quum primum munus docendi, ceu inſtrumẽtum vltra porrigat, atque ad ipſam perſuaſionem, tanquam ad finem exprimendam deſtinet; quî idem eſſe queat docere, ac perſuadere? Igitur perſuaſio, quæ

vt finis ſpectatur ab Oratore, aliquid omnino habet, quod nõ habet doctrina, ſeu cognitio Auditori inſerta, quę inſtrumenti inſtar dũtaxat eidem perſuaſioni extorquẽdę inſeruit. At quid hoc aliud eſt, aut eſſe poteſt, quàm actio, ad quam amplectendam Orator Auditoris voluntatem omni ope, vt ſapientiſſimi quique viri decernunt, inflammare, ne dũ eius intelligentiam cognitione, doctrinaque illuſtrare, contendit? Hinc ſollertiſſimus Rhetorum Ariſtoteles mores, atque affectus, velut generalia quædam, atque communia perſuadendi inſtrumenta cuiuis cauſſarum generi, vt dudum antea memoraui, adſcripſit; ea propter ſine dubio, quòd nullâ perſuaſio Oratoria fingi, niſi cũ vſu ſociata, multoque minùs reperiri poſſit. Quanquam enim rationes, atque argumenta in ſolâ rei cognitione eruendâ morentur; mores tamen, atque affectus cum actuoſâ controuerſiâ ita ſunt copulati, vt ſi hanc tollas, & illos quoque ab omni prorſus cauſſâ neceſſariò excludas. Quos namque mores probitatis, vel beneuolentiæ Declamator, vt doceat Solem magnitudine terræ antecellere, aut ſtellas contrarijs cieri motibus, aut Cometas ſupra Lunam accendi, neceſſe habeat effingere? Quos affectus amoris, odij, ſpei, iræ, timoris, audaciæ, manſuetudinis, vt eaſdem illas theſes probet, miſcere queat? nullos prorſus. Non igitur ſolam cognitionem Orator, qui perſuaſionis fini ſibi propoſito ſemper velificatur, quærit, ſed actionem prætereà, atque exercitationem.

Initio

Initio Perorationis aliqua ſemper actionis propoſitio in omni cauſſa deſigenda eſt.

224 NEque actionem tantùm vtcunque noſter Orator indagat, atque ſectatur; ſed eam quoque perſpicuâ comprehenſam propoſitione, in Peroratione ſaltem cuiuſcunque Orationis, atque Concionis ſtatuit, atque inculcat. Prudentiſſimè omnino, atque aptiſſimè. Deme enim ab exornationibus Perorationem actuoſam: vbi erit illa perſuaſio, Demonſtratiuo generi vnà cum reliquis communis planè finis, fruſtraque, ac temerè Iudiciali tantùm, atque Deliberatiuo addicta, ſi tota Oratio in ſolâ laudum demõſtratione, quę merâ affert cognitionẽ, deſudat; niſi in Epilogo perſuadeat? vbi, aut quâ in parte ipſa perſuaſio, finis Oratoris, ſedem obtinebit? Affectus verò, perſuaſionis inſtrumẽta, quauis in cauſsâ uniuersè neceſſaria, ubi, rogo, triũphant, ubi regnant, niſi in Peroratione? In Orationis curſu ſparguntur quidẽ leuiore brachio: at narrationi potiùs conducunt, quàm certam vllam propoſitionem, qualẽ in exitu ſortiuntur, exaggerant. Quod ſi Perorationem, tanquam eſſentiæ partem ad Orationẽ neges pertinere; nõ repugnabo ſanè pertinaciùs; at integræ Orationis pars quædã illa ſine dubio erit, eandem Orationem abſoluens, atq; perficiens; nec minùs, quàm exordium, figuræ, mores, aut affectus (ſine

quibus tamen, ſi Ariſtotelem audimus, qualiſcunque conformari poteſt, Oratio) eidem annumerãda. Fac uerò rursũ abeſſe Perorationem; quo fine tunc, ac non potiùs ruinâ claudetur, aut potiùs præcidetur Oratio? Imò non tam claudetur, quàm claudicabit, hominisq; monſtrum pede claudum, manibus
A truncum, oculis cęcum aſſimulabit. Certè non tam definet, quàm pręceps cadet, non
B tam conſummabitur, quàm decurtabitur. Scilicet Auditor ſuo nutu, ſuoq; Marte ex ipsâ laudatione virtutis imitationem, vitijq; execrationem, ſine aliâ Oratoris cohortatione exprimet, aut colliget.

225 Sed eſto. Colligat. at quanto languidius? quanto obſcurius, lentius, atq; remiſſius, quàm ſi Perorationis machinâ commoueretur. Deniq; ſi palmarium Oratorum exempla libet conſulere: Demoſthenis funebrem illam, claramq; de Militibus pro defenſione patrię interfectis Laudationem; Ciceronis pro lege Manilia, & pro Sextio expoſitiones, eiuſdem in Verrem Actiones, Gregorij Nazianzeni, uiri & uitę ſanctimoniâ, & oris eloquentiâ florentiſſimi Panegyricos in Cęſaris fratris, in Gregorij Patris, in Cypriani Martyris, in Diui Baſilij, in Magni Athanaſij, in fratrum Machabeorum, in Heronis Philoſophi commendationem elaboratos; Ioannis cognomento Chryſoſtomi, in dicendo maximè affluentis de S. Philogonio Antiſtite, de S. Babyla Martyre, de S. Ioannis Baptiſtę infandâ nece, de D. Pauli

uir-

virtutibus luculenta præconia; Ademari Anicienſis Pontificis, aut potiùs Pauli Æmilij, non tam illuſtris noſtris ſeculis Hiſtorici, quàm egregij etiam in dicendo Oratoris, funebrem de occiſis ſacro in bello militibus Concionem, Ioannis Perpiniani noſtro pariter æuo Prædicatoris diſertiſſimi de ſanctæ Eliſabethæ, ac Ludouici Principis admirandis virtutibus, nec non de Deo Trino, & Vno eloquentiſſimas exornationes perlegite, peruoluite, perluſtrate: & ſi quid in his omnibus, quod laudent, aut carpant, eminet: mentior, niſi in Peroratione, quæ de induſtriâ tanquam Orationis coronis ſubijcitur, illico vel ad alicuius virtutis imitationem, ſuadendam, vel ad aliquod impedimentum amoliendum, vel ad cuiuſpiam vitij detractionem, aut denique ad aliquam certè actionem honeſtam eliciendam, ab ijſdem Oratoribus cogitur, ac refertur. Quod ſi aliquãdo in demonſtratiui generis Orationibus, vt idem Gregorius in ſanctam Pentecoſtem, in Ægyptiorum Epiſcoporum appulſum, in alterâ de Paſchate, alterâ de Nouâ Dominicâ, in Gorgoniæ ſororis funere, Perorationem neglexiſſe videtur, tantum abeſt, vt ijs, quæ de actuoſâ Peroratione ſupra paulò ante diſputaui, quicquam officiat, aut fraudi ſit, vt eadem potiùs magis corroboret, atque ſtabiliat. Quid enim? Orationis eſſentiam ſine Peroratione poſſe conſiſtere dixi, abſolutionem verò, perfectionemque non poſſe. Confer iam, ſi placet, Gregorij Laudationes D

ſuis terminatas Epilogis cum ijs, in quibus Epilogum omiſit, illasque tanto excellentiæ interuallo (quod idem de ſimili aliarũ Laudationum varietate ſemel dictum ſit) iſtis anteire, quanto homo integris omnibus membris venuſtè conformatus, homini pedibus, ac manibus amputatis mutilo pulchrior eſt, nullo negotio animaduertes.

Quomodo Propoſitio cognitionis, vel actionis, & qualis locum in Panegyricis habere poſſit.

226 POſſet me aliquis, Patres ampliſſimi, probabiliore in ſpeciem nomine hoc loco interpellare, atque ex me penſiculatè ſciſcitari, quî hoc de actuosâ Peroratione decretum cum ijs, quæ ſub huius Actionis initium de perſuaſione, proprio etiam Panegyrici fine, enucleauimus, cohæreant. An non enim ſupra, ſi meminiſti, inquiet, eam perſuaſionem, quam vt finem in exornationibus quoque attendendam docebas, haud aliam eſſe, quàm ſtabilem de laudati viri maximâ eminentiâ opinionem, Auditorum animis operâ, niſuque Oratoris inditam, non ſemel, nec leuiter, at ſæpius, atq; ex deſtinato tradidiſti? Quis porrò neſcit hanc ipſam ſtabilem opinionem in ſolâ rei cognitione, ſine vllo actionis commercio, ſitam eſſe, atque intelligentiæ aſſenſum, ſine vllo voluntatis affectu, motuque, Oratoris eloquentiæ ſe dedere; quin inuitum etiam

ſine vllo Epilogo eidem cedere, & ſuccumbere? Imò verò quis locus, aut quæ ſedes in nonnullis demonſtratiui generis Orationibus, in quibus præſertim religionis noſtræ myſteria, & dogmata, quæ ſolam, meramq; ſapiunt cognitionem, enodantur, & confirmantur, actuoſæ Perorationi eſſe, aut ſaltem affingi poteſt? Quid? quum præſentem aliquem, viuentemque Principem virum laudas, quum illum ſubiectam ſibi vrbem primò inuiſentem feſtâ gratulatione, rerumque ab ipſo præclarè geſtarum Panegyrico excipis: quem, rogo, in Epilogo concitabis? quem ad actionem vrgebis? quò ſe Peroratio vertet, aut inflectet? quid aggredietur? quid tentabit? Demum ipſe etiam Ariſtoteles, dum mirabundus, quænam ſit in exornationibus Peroratio? interrogat; an non omnem Perorationem a Demonſtratiuo genere penitùs ablegauit? Quo pacto igitur ad laudatiuæ Orationis abſolutionem Epilogus pertinebit, qui cum eâdem non poteſt niſi abſurdè, atque præpoſterè copulari?

227 Verùm nulla eſt, Auditores, neque in ſententiâ, quam tueor, neque in verbis, quæ prompſi, diſcrepantia, nulla diſſenſio; nec quæ ſemel non tantùm dedi, ſed etiam poſui, vllo modo abrogo, vel deleo. Nam ſicut in ipsâ Peroratione, quâ Auditoris animus expugnandus eſt, duas omnino partes, intelligentiam ſcilicet, & voluntatem ſecernere debemus; & illam quidem, tanquam inſtrumentum, vel neceſſariam conditionē præire

opor-

ſimpliciter, ſed ex adiunćto eam poſſumus appellare) hanc non ſolùm minimè ab Oratione arceo, ſed in omni quoque Panegyrico Confirmationi neceſſariè præmittendam iudico. Nam ſi proponas ſummam D. Caroli in precibus conſtantiam te laudaturum: huiuſmodi propoſitio, quanuis de actione præteritâ ſit, proximè tamen nullâ de re, quæ agenda ſit, verbum facit, atque hac de cauſsâ cognitionis quæſtio dici poteſt, maximè ſi cum Epilogi propoſitione, quæ ſuâpte naturâ ſemper actuoſa eſſe debet, comparetur. At ſi ab Oratore illa de Caroli conſtantiâ propoſitio eapropter ediſſeratur, vt deinde idem Orator hac tanquam machinâ in Peroratione ad ſimilem in precibus, diuinoque cultu conſtantiam retinendam Auditores impellat, iam aliquo modo actionem, à quâ videbatur remota, redolere incipit. Epilogi verò propria, & legitima propoſitio, Confirmationis quæſtione, vel propoſito actuoſa eo magis, vt iam innui, eſſe debet, quò illam præ iſtâ quæſtionē cognitionis vtcunque vocari, haud difficilè concedimus. Illa quippe in Caroli oſtendendâ conſtantiâ ſolùm occupata eſt; hæc ad conſtantiam actione parandam accendit; illa ex Oratoris tantùm artificio ad actionem traducitur; hæc nutu etiã ſuo, & pondere in eandem fertur; illa clam dumtaxat, atque occultè ad vſum inclinatur; hæc apertè, verbiſq; perſpicuis illum ipſum profitetur.

228 Quod ſi paulo ſubtiliùs philoſophari

adhuc

adhuc lubeat; propoſitionem Confirmationi præfixam, tanquam inſtrumentum ad alterā illam Epilogi propoſitionem actuoſam, Auditoribus perſuadendam ab Oratore admoueri dixerim. Atq; vt me planiùs intelligatis, commodiſſimâ, ni fallor, imagine, atq; exēplo omnium oculis id ipſum ſubijcio. Soleo ego propoſitionem Confirmationi præuiam
A clauæ perſimilem; propoſitionem verò Epi-
B logo proludentem cuneo affinem nominare.
Vt enim cuneum in nodoſum ſtipitem, quò
C findatur, differaturque, ſublatâ, incuſſaq; clauâ adigimus: ita omnino, vbi Caroli ſummā in precibus conſtantiam initio propoſitam, tanquam grauiſſimam clauam, ſolidâ, exaggerataq; argumentorum Confirmatione fabricaui: pergo deinde, aliamq; propoſitionē in limine Perorationis, tanquam validiſſimū cuneum exacuo; exempli cauſsâ, vt mortales omnes, qui diuinas preces, & cætera pietatis officia, ob nugas, & futilia huius Mundi negotia vel deſidioſè obeunt, vel turpiter deſerunt, tandem reſipiſcant, firmoq; nexu ſempiterni Numinis obſequio ſe ſe mancipent; atq; huiuſmodi cuneum in Auditoris animū ago, figoque: tum fabricatam Confirmationis clauam ad hunc ipſum impactæ propoſitionis cuneum in pectus eiuſdem Auditoris penitùs immittendū multâ vi tollo, totidemque verberibus, quot argumenta robuſta eâ in clauâ continentur, repetitis, illum nunquā incutere deſino, donec Auſcultatoris voluntas, etſi obſtinata, & ſtipite quoq; durior, tādem

dem perſuaſione frangatur, extortoq; per vim aſſenſu, omnino diſſiliat.

229 Hîc verò non me teneo, Auditores, quin opportunè quorundam ex Aduerſarijs, non dicam, Oratorum, ſed rudium Declamatorum malè ſanum conſilium, excordemq; imprudentiam irrideam. Audias enim nonnullos interdum dicendi munere tam flagitiosè abutentes, vt quum in Orationis, Concionisue decurſu, perpetuo quodam tractu leuiſſimis acuminibus, ſententiolis, argutijs, metaphoris, atq; id genus alijs phaleratis nugis non minùs intempeſtiuè, quàm intemperanter indulſerint; præcipitanter deinde, atq; abſonè clamoſam ſubdant Perorationẽ. Quid hoc monſtri eſt, quid portenti? Perinde ſapiunt iſti, ac ſi quis ad aliquem truncum e quercu ſolidiſſimum, immiſſo ferreo cuneo, findendum, clauâ non ex ferro, ſed ex ſaccharo, cerâ, vel gelu, aut vitro conflatâ vteretur. Quis enim magis truncus, ſtipeſue eſſet, iſne, qui findendus, manu verſatur; an, qui eiuſmodi clauâ illum conatur findere? Sine dubio qui molli clauâ duriſſimam quercum findere nititur. Nam tantum abeſt, vt findat ſtipitem, vt ipſa potiùs claua primo ſtatim ictu plura in fruſta diſcedat. Pari quoq; ratione hi dicendi artifices, quum propoſitionis Confirmationem, tanquam clauam quidem, ſed ex acuminum cerâ, ex argutiarum ſaccharo, ex ſenſiculorum glacie, ex metaphorarum vitro leuiſſimam priùs cõfecerint; cuneum deinde quendam aſperrimæ ſententiæ,

A

tiæ,

tiæ, non tantùm ex ferro, ſed etiam ex chalybe, quò Auditorum perrumpant animos, atque in lacrymas ſoluant, initio Perorationis ſummâ laterum contentione, magnoque vocis ſtrepitu ponunt, ac tundunt. At dum argumentis nugatorijs ex imbecillimæ Confirmationis clauâ ad primum impulſum extemplo friabili euocatis, ijsq; ſtrenuè, & cōglobatim contortis, verbera ictusq; conduplicant; quid agunt incauti, niſi vt irrito, ridendoq; labore, non animum ipſum a proprio conſilio diuellant, ſed ſuam ipſi Orationis clauam diſcerpant, fruſtillatimque comminuant?

B

C

230 Redeo iam ad inſtitutum. Hæc igitur prima, princepsq; in Oratione propoſitio, illa eſt, quæ alteri propoſitioni actuoſæ in Epilogo inculcandæ, ad Auditoris intelligentiam potiſſimè nouâ imbuendam cognitione ſubſeruit; ipſa autem actuoſa propoſitio ad eiuſdem Auditoris voluntatem præcipuè percellendam, commouendamq; ſollerter vibratur. Quare hæc Epilogi poſterior propoſitio in omni cauſſarum genere ad aliquam ſemper actionem Auditores neceſſariò inuitat. Illa verò primaria in Penegyricis, ſanè primo obtutu ſolâ cognitione terminari videtur; ſed Oratoris dexteritate ad actionem etiam bellè reuocatur. Ergo quum perſuaſio duplicem partem, intelligentiam ſcilicet, & voluntatem complectatur: nihil mirum, ſi ſtabilem de laudati viri excellentiâ opinionem in Auſcultatorū animos Oratoris

toris inductam artificio, ſub huius Actionis principium Laudationum finem eſſe affirmaui. Nam hæc ipſa noua opinio finis vtique exornationum eſt, & quidem proximus, ſed non poſtremus (de extraneo fine loquor, non de inſito, quem non ipſam perſuaſionem externam, ſed ipſum aptè ad perſuadendum dicere, eſſe arbitror) finis ſimul, atque inſtrumentum, non merus finis; finis totius Oratoriæ facultatis, quæ in Confirmatione texendâ ſpectatur; inſtrumentum autem finis, quē Peroratio aucupatur; pars integri finis, ſed nō finis penitùs abſolutus, atq; perfectus. Ad perfectæ enim perſuaſionis integrum finem externum non tantummodo intelligentię cognitio, ſed voluntatis etiam expugnatio requiritur. Porrò de fine tantùm proximo, eoq; extraneo, manco, atq; imperfecto libuit tunc meminiſſe, quòd huius veritate perſpectâ, tanquam fundamento, ad ea, quæ in Orationis progreſſu oſtendenda ſuſceperam, dumtaxat indigerem. Quippe, quum de fine vltimo, atq; integro, hoc eſt, de perſuaſione alicuius actionis, ad quam genus iudiciale, & deliberatiuum ſuâ naturâ tenderent, inter me, atq; Aduerſarios facilè congrueret: in Panegyrico verò quanquam alioqui omne perſuaſionis nomen, atq; veſtigium ijdem illi repudiarent; argumentis tamen a me reuicti, Auditoris qualemcunq; perſuaſionē Laudatori quoque, ceu finem, conſequendam eſſe tandem aſſenſerint; ad eos refellendos, atq; ad vitioſiſſimum, quo delectantur, eloquen-

tię genus demonſtrandum; etiamſi hæc qualiſcumque perſuaſio, ab omni actione ſepoſita fingeretur; ſatis omnino erat. Et ſanè, quũ Declamatores iſtos argumentis, moribus, atq; affectibus, tribus nempe perſuadendi inſtrumentis, non tam vti, quàm abuti, docui; an non Orationes quoq; eâdem operâ actuoſæ perſuaſioni in Iudic:js ſaltem, atq; in Deliberationibus eliciendæ penitùs ineptas ab ijſdem conformari; ac proinde & inquinatũ dicendi characterem venditari validiſſimè confirmaui? Ad Laudationes verò quod attinet, quum eadem argumenta ornamentorum luxu ab illis ipſis fœdè adeo accipi, eneruariq; probaui, probaui etiam ſolidè eoſdem in hoc cognitionis nudæ de viri laudati prærogatinis in Auditore excitandæ munere, quam tamen ſimplicem cognitionem, exornationum finem prædicabant, ſummopere allucinari. Nolui igitur in diſceptationis huius exordio Oratoris finem in Panegyrico actuoſâ circumſcribere perſuaſione, quòd licèt eum ſolâ cognitione contentum, vt volebant illi, non diffiterer: cauſſam nihilominùs, quantum ad perſuadendi finem, vt ſupra præſtiti, uincerem. Adde, quòd de propoſitione actionis in expolitionũ Epilogis collocandâ, ſeu de perſuaſione actuoſâ, tanquam fine in Laudationibus comparandâ magna mihi cum Aduerſarijs meis controuerſia erat; magna ab eis diſſenſio; quæ initio nonniſi intépeſtiuè fuiſſet profectò decîſa, deinceps uerò longè commodiùs, ac pleniùs eo, quo audiſtis, modo
euo-

modanda, conſultò reſeruabatur.

231 Venio iam ad noſtræ Religionis dogmata, atque myſteria, quæ ſimpliciſſimæ cognitionis finibus malignè iſti, auareque circumſepiunt. Eſto enim ſolâ intelligentiæ cognitione ſuopte nutu illa includantur. atA quàm commodè, leuique brachio ab Oratore, & Concionatore (vt ijdem, quos appellaui, Gregorius Nazianzenus, vir humano penè maior, & Ioannes Perpinianus M. Tullij imitator nulli ſecundus, vt cæteros taceā, ſuo nos exemplo docuerunt) ad actionem flecti & poſſunt, & debent? Nam ineffabili Dei vnius Triniq́ue myſterio enucleato, quā procliue eſt, Auditores ad eundem Deum adorandum, venerandum, prædicandum, amandumq́ue (eademq́; norma ſit, ac lex de alijs huiuſmodi cauſſis) incendere? Si verò Principem virum, ſi Imperatorem Auguſtum, ſi Summum Pontificem viuentem, coramq́ue laudauero: abſolutis præconijs, quàm nullo negotio vel alios adſtantes, ad eius exempla virtutum ſectanda; vel eundem, quem præſentem exorno, ad egregiorum incrementa facinorum maiora deinceps edēda exhortabor? Quàm accommodatè ſuadebo, vt diuitijs, quibus circumfluit, ad liberalitatem; ſapientiâ, quâ antecellit, ad rectā Reipublicæ gubernationem; potentiâ, quâ præſtat, ad hoſtes a patriâ deinde arcendos ſtrenuè utatur? Quid plura? Nunquam profectò, nunquam in ullo Panegyrico Epilogus deeſſe poterit, ſi illud Ariſtotelis monitum, atque

atque præceptum de Laudationum, Deliberationumque materiâ uiciſſim commutandâ attendamus. Si uis enim, inquit Philoſophorum Homerus *a*, inuenire, quod laudes; uide, quid ſuadeas. Si quæris, quod ſuadeas; uide, quid laudes; tum quę ſuaſionis ſunt, ut ſi dicam: *ſecunda fortuna minimè fidendum eſt, ſed ÿs, quæ in noſtrâ manu, atque conſilio ſunt*: ſi hac ratione efferas, atque conuertas: *Is non ſecunda fortuna, ſed propria virtuti ſe credidit*: in laudem cedent: contrà uerò ſi, quę laudationis ſunt, in conſilium, ſuaſionemque transformes, ſuaſioni ancillabuntur. Vno uerbo pręteritum in futurum transfer, uel futurum ad prętcritum retrahe, & laudationum nobiles Confirmationes, atque Epilogos facilè reperies.

232 Neque uerò ullum commouere debet idem Ariſtoteles, *b* ſi quando Perorationem Demonſtratiuo generi ita inuidere in ſpeciē prę ſe fert, ut quum eam Iudicijs, ac Deliberationibus interdum iungi lubens concedat; in Laudationibus tamen nullo modo ferri poſſe decernat. Neque enim hęc Ariſtotelis *c* mens, aut ſententia eo in loco, niſi illum planè deſipere, ut mox docebo, fateri uelint, eſt, aut eſſe poteſt. Sed hoc dumtaxat ibi uult, hoc ſolùm indicat, Orationis laudatiuę eſſentiam ſine Epilogo haud ęgrè cōſtare. At non inficiatur hunc tanquam partem

a *lib. 1. Rhetor. cap. 10. ex Trapezun.*
b *lib. 3. cap. 13. ex Trapez.*
c *Vel ex Sigonio Cap. de Partibus Orationis.*

tem ad illius abſolutionem pertinere. Ac ne quis meum hoc ſomnium, interpretationéq; adulterinam eſſe clamet; ipſum illud eiuſdem Philoſophi caput teſtor, in quo ſtatim ſub initiũ duas cuiuslibet generis partes Orationi neceſſarias, ſine quibus eiuſdem eſſentia retineri nequeat; Propoſitionem ſcilicet, & Confirmationem ſtatuit, & probat. Quâ partium neceſſariarum diuiſione oſtensâ, atque firmatâ, aliorum Rhetorum diuiſionem complures partes, nempe Narrationẽ, Refutationem, Perorationẽ, & Exordium, tanquã omni generi neceſſarias, inuehentiũ more ſuo carpit, perſpicueq; non neceſſarias, neque cum ipsâ Orationis eſſentiâ coaleſcere ex eo ſtatim conuincit, quòd illâ integrâ ſaluaque, iſtas a quacunq; controuerſiâ, atq; ab omni prorſus cauſſarum genere abeſſe poſſe certum eſt; planaq; inductione eaſdem partes ſingulas explorans, Narrationem, & Refutationẽ a Deliberatiuo, ac Demonſtratiuo; Perorationem item ab exornationibus ſeiungi tradit. Dum ergo ait: *Peroratio quanam eſt in exornationibus?* Si totam Ariſtotelis ſententiã expreſſam eſſe cupimus; addendum neceſſariò eſt: *pars eſſentia neceſſaria.* Ac niſi de his eſſentiæ partibus tantũ loquatur Philoſophus, næ ille, qui aliorum diuiſionem irridebat, ridiculè ipſe eandem refutaret. Quum enim cæteri, quos refellebat, Rhetores eas omnes partes cuique Orationi perneceſſarias ponerent; ſi ab iiſdem, vt tu contendis, extorquere vellet Ariſtoteles, partes eſſe, quòd abſint

 ali-

aliquando, non tantùm minimè neceſſarias, ſed ne ad perfectionem quidem Orationis quicquã pertinẽtes; quã neruosè, obſecro, ratiocinaretur, aut redargueret? Scilicet. Darent enim illi, has ſeparari nonnunquam, & nihilo ſecius abſolutæ Orationis in quocunque genere partes eſſe, nõ minùs, quàm manus, pedesque, qui etſi hominiviuo præcidi queant; coniuncti tamen eundem perficiunt. Ex quo luce meridianâ clariùs liquet, Philoſophorum anteſignanum, Perorationem neceſſarijs tantùm eſſentiæ partibus, non autem reliquis detruncâſse.

233 Sed rurſum vociferantur Aduerſarij, hoc Perorationis in cauſsâ demonſtratiuâ, vt vocabunt ipſi, additamẽto, ſarcinâ, aut manticâ, cauſsarum omnia genera perturbari, atq; ad vnum, ſolumq; deliberatiuum, cuius ea cohortatio videtur propria, reuocari. At quid hoc, quæſo, piaculi ſit, ſi res bellè, vſu ipſo approbante, ſuccedit, etſi neſcio quas captioſæ Dialectices tricas expedire non liceat? Meliùs ſanè Laudatio Peroratione actuoſâ, vt experimur, abſoluitur, quàm deſtituitur. Quam mihi igitur religionem inijcis, ſi eam nunquam negligendam doceo? Priùs ſine dubio artem ipſam olim exercebant Oratores, quàm artis præcepta obſeruarentur: nec propterea artis ignotæ vſus, quòd eius artificium nondum eſſet certâ normâ exploratum, minùs arridebat. Sed quæ ſunt tandem iſtæ tricæ? Permiſceantur omnia genera, non repugno. Quaſi verò hæc ſit Rhetoricæ omnis

euer-

uerſio. An ſi qua immitia poma, vel auſtera pyra defruto imbuas, melle oblinas, friatoq; perſpergas ſaccharo; palatum ſani oris miſturam hanc auerſabitur, aut pura mallet poma, quàm eiuſmodi ſcitamentis condita? Non puto. Si igitur laudatio additâ Peroratione quodammodo conditur, magisq; ſapit, cui non maximè placebit? Quid? in omnibus Ciceronis Orationibus an nō omnia permiſcentur genera? Cedò mihi vel vnam vnicâ definitam cauſsâ. Fruſtra quæres: non inuenies. Porrò licèt omnia cauſſarum genera mutuò implicentur, nō tamen cōfunduntur; ſed quà fine proximo, quà materiâ ipsâ facis diſcriminantur. Vt enim Iudiciali multæ irrogatio, atq; impunitas; Deliberatiuo vtilitas, & damnum; ita Demonſtratiuo honeſtas, ac turpitudo, ceu fines propinqui propoſiti ſunt. Ad hos verò fines cōparandos vnūquodq; genus, ut eadem Vrbs diuerſis viarū ſemitis, callibusque aditur; diuerſas quoque materias, primum quidem facta, quæ accuſantur, vel defenduntur; alterum verò rerum expeditiones, aut negotiorum agendorū conſilia, quæ ſuadentur, vel diſſuadentur; tertiū deniq; actiones, quæ laudantur, aut vituperantur, adornat.

234 Si igitur Orator tanto ſtudio non ſolùm in Iudicialibus, & Deliberatiuis controuerſijs, ſed etiam in Demonſtratiuâ cauſsâ honeſtam ſemper vtilitatem dicendo nititur, vt hactenus patefeci, ex deſtinato apportare: quo tandem nomine illas Aduerſariorum lu-

cubrationes Academicas iam nūcupabimus? Ego ſanè, Auditores, qui ab ipſo Ariſtotele * didici; bruta quidem, atq; inanima, præter Deum, hominéque, in quos tantùm vera laus cadit, laudari poſſe, ſed ioco; nunquam eas veras eſſe Orationes, ſed ludicras; non ſerias, ſed ioculares; non ſolidas, ſed euanidas iudicabo. habebo pro nugamentis Poetarum, pro commentitijs declamationibus, pro adulterinis Rhetoricæ fœtibus. neque talium fabros apinarum in Oratores vnquam retulerim. Quis enim, vbi primò in pulpitū adoleſcens, vel quicunq; alius garrulus omnino locutu-
A leius ſubit, confeſtim ſecū non reputat, nihil illi, quod verè perſuadeat, in quo totum cuiuſcunq;. Oratoris munus cernitur, eſſe conſtitutum; ſed auribus eum dumtaxat, atq; curioſitati eſſe gratificaturum? Illa illa luxuriantis ſtyli ſeges, illa acuminū vndique
B depluentium tam ſpiſſa grando, illa tot ornamentorū ſuperfluorum pigmenta circa Academicam hærentia quæſtionem, vel argumentum, Orationes non ſunt; ſed Orationū tantùm inanes imagines, & ſimulacra. Nam ſtatuæ etiam aures, oculi, manus, cęteraq; hominis membra inſunt quidem; ſed tamen ſtatua homo non eſt, ſed hominis tantùm ſignum, vt iam aliàs a me ſemel dictum commemini. Pugio item ex ſaccharo conflatus pugionis inſtar certè habet; & tamen pugio non eſt, ſed pugionis dumtaxat adumbrata figura. Cur autem? quia nimirum ſtatua ho- minis

* lib. 1. Rhet. cap. 9. ex Trapez.

minis animo, & corpore; pugio e ſaccharo factus ferri, chalybiſq; materiâ ſibi propriâ carent. Ita quoq; leues illæ lucubratiunculæ, etiamſi aliquam Orationis formam quoquo modo imitentur, Orationes tamen non ſunt. At quid cauſſæ vetat? quia ſcilicet, quũ Orationis animâ, quæ eſt ſeria, atq; ad actionem directa propoſitio, orbatæ ſint; nullus etiam in illis color, niſi exanguis; nullus ſuccus, niſi exſuccus, nullus alicuius affectionis humor; morum muſculi tantùm picti; argumentorum nerui enerues omnes, vel rigore quodã pueriliſ affectationis ſtupidi conſpiciuntur: quumq; theſes, quæ veræne, an falſæ ſint, tantidem prorſus Auditoris intereſt, ſolùm expoliant, Orationum quidem laruæ ſunt, ſed nullo modo Orationes. Porrò quæ de actionis quæſtione, deque actuoſo Epilogo quâuis in Oratione vſurpando hactenus, ſapientiſſimi Præſules, diſputaui, eadem quoq; omnia Concioni ſacræ ratâ portione eſſe accommodanda planè denuncio.

Veri Oratores maximè delectant ob ſummam, quam afferunt, vtilitatem pari honeſtate coniunctã.

235 SEd vt tandem eò ſe referat, vnde diſceſſit, Oratio, Auditores: quum Orator in omni cauſſarum genere, præſertim verò Concionator, eximius quidam, ac propè diuinus animorum Medicus ſit; qui omnem videlicet vitij morbum eis ſtudet eximere;

virtutis autem integram valetudinem vel primùm afferre, vel certè reſtituere; hac admirabili animorum curatione tantam conciliat Auditoribus voluptatem, vt quæcunq; ab Aduerſarijs excitetur, vel cumuletur, cum hac minimè ſit comparanda. Qantam enim, quæſo, oblectationem diuturno confecti morbo, vbi exeſa ſua corpora præter ſpem ſanitati reddita vident, percipiunt? quàm repentinũ gaudium, qui multos iam annos lectulo affixus, omniũ Medicorum remedijs fruſtra tentatis, continentibusq; exagitatus doloribus, ferè extabuit, ſi nouo a Medico, qui ſe aliunde in vrbem fortè recens intulerit, valetudine iã deſperatã, medicatæ potionis mirã vi, atq; præſtantiã improuisò ſanetur? Quàm exuberante delibutus ſuauitate, de lecto confeſtim deſilit? quàm arctis ſeruatorem ſuum amplexibus pręlętitiã tenet; dulciſſimè alloquitur, blandiſſimè ſuauiatur, multo argento, auroq; locupletat? A Medico digreſſus, paſſim vociferatur, vitam ſibi ab eo morti, ad quam properabat, ſubductam; illi ſe, quòd tumulatus non ſit, acceptum referre; eius induſtriã ſe ex tantã dolorum carnificinã ereptũ. mox apud vicinos domi, atq; in foro, quibuſcunq; amicis, notis, atq; ignotis recuperatæ beneficium ſanitatis, ab ouo ſemper repetens, iucundè memorat, particulatimq; denarrat. Sed vnde, quæſo, tanta de nuo voluptas ægrotum illum inceſſit? unde tantæ ſenſus hilaritatis membra eius tabo iã penè diffluentia peruaſit? Nempe vitæ quan-

uis

uis vietæ, & caducæ munus, quo illo a Medico donatus eſt, adeo gratum, adeo dulce, adeoq; pretioſum exiſtimatur, vt ſemper ante ægri, aut potiùs ab ægritudine liberati oculos verſetur, ſemper eius recurſet animo, ſemper præteritos angores incredibili ſolatio compenſet. Quin vel ſola huius recordatio quaſcunq; ærumnas, atq; moleſtias, ſi quas ille aliunde patiatur, hac adeo excoctâ dulcedine non ſolùm temperat, ſed penitus etiā tollit. E

236 At quanto vberiore oblectatione afflictos, iacenteſq; homines non corporum, ſed animorū Medicus Concionator implet, quū ſcelerum deploratis vlceribus acri, maſculaq; Oratione immortalia præſcribit remedia, depoſitas plagas ſcitè curat, iam letho proximos inopinâ ſalute allatâ mirè redintegrat? Interſunt Concioni omnis generis ægroti. Adſunt ventoſo ſuperbiæ faſtu turgidi. Adſunt libidinis purulentâ ſanie tabidi. Adſunt multa crapulâ pallidi, crudique. Adſunt odij, A atq; iræ flammis exuſti. Adſunt irrequietis B inuidentiæ dilaniati torminibus. Ex hac C autem morboſorum cohorte non vnus, ſed plures in omnibus flagitiorum ſordibus fœdiſſimè uolutati, peſtiferâ animorum contagione cotidie magis gliſcente, a multis iam tot annos Concionatoribus, phaleratis illis, atq; unguentatis, propinata ſibi æternæ pharmaca ſalutis inani ſemper fructu experti, perennis uitæ ſpe omni ferè inciſa, iam ſibi cum morte, Tartaroq; paciſcendum arbitrabantur;

bantur; quum ecce extraordinarium diuini præconem ſpiritus, non uulgato laſciuientem ſtylo; non communi utentem uoce, ſed lacertoſâ, uiuidâq; eloquentiâ perorantem caſu auſcultantes, ſentiunt ſeſe ab eo ſuaui quodã illicio, ſed honeſtiſſimo trahi, paulatim in uitij deteſtationem accendi, uirtutis amore repêtè capi, ducique. Vident illum toto excubantem animo, uulnera ſibi mirâ dexteritate retegere, eorum grauitatem acerrimè exaggerare, ineluctabilemq; Orci lanienam, impiorum facinorum certiſſimam ſtrenã, horrendo clamore minitari. Mirantur ſuas plagas tam molli ab eo pertentari brachio, ſed longè magis potenti, præſentiq; remedio percurari.
D Stupent, ſe actutum mollitâ cordis duritiâ, in lacrymas ſolui, toto commoueri animo, totis artubus contremiſcere. Mox uitæ immortalis ſpe hilarati, ſcelerum ueniam ſingultibus, gemitibusq; deprecantes, leniſſimâ diuinæ miſericordiæ memoriâ colliqueſcunt. Tũ in Concionatoris inſoliti uultu maciem, palloremque, uoluntariæ teſtem carnificinæ, obſeruant; in Orationis lineamentis ſui ipſius legunt contemptum; in geſtu, inflammatam erga Deum, & homines notant Caritatem; ſententias, illius fulgura, preces
E quouis magnete rapidiores, reprehenſiones
F capitatos arietes animaduertunt. Moliri eundem cæleſtia quædam ad animos expugnandos machinamenta; tũ diuinis præſtantem uirtutibus, ad obterendas ſenſus appetitiones, Dæmonũq; inſultus cernunt irruere;

gra-

grauiorem illum ſemper facere impreſſionem; deniq; manibus, fronte, oculis, capite, totoq; corpore in omnium animarum incolumitate procurandâ uehementiſſimè deſudare conſpiciunt.

237 Huiuſmodi Orationis efficaci remedio, vbi ſe illi, paulò ante miſerrimi, perſanatos comperiunt, vbi criminibus repentino dolore expiatis, vitæq; ſuperioris inquinamentis elutis, recentes ſeſe virtutis candidatos euaſiſſe, aliosq; in homines migrâſſe recognoſcunt; ſtatim atq; ſacrum Oratorem, non hominem, ſed veluti Cælo delapſum Angelum adire poſſunt; ex compoſito eius ad pedes ſe lacrymabundos, ſuppliceſque demiſsè prouoluunt; veſtes, crura, plantas intimis ſenſibus, magnaq; veneratione deoſculãtur. Quid hoc monſtri eſt, Auditores? Diu multumque ſuſpirijs, atq; ſingultibus interclusâ voce, tandem quum primùm reſpirare cęperunt, Heroico illi Concionatori re potiùs, quàm verbis, ſignificant, ſeorſim ſinguli, perditorũ ſe hominum manum eius hamo dictionis, prædam hæſiſſe, eoque ſalubriter tractam, ex Mundi tempeſtatibus toties iam naufragam, in ſinum eiuſdem patrocinij, ac magiſterij, tanquam certam in ſpem ſalutis, & portum confugiſſe. Quanta igitur animorum iſtorũ tam beatè reſipiſcentium voluptas? quanta iucunditas ſe ſe tam cæleſti immutatos faſcino intuentium? quanta pectoris lætitia & mentis, & voluntatis a noxiâ vindicatæ beneficiũ extollentium? En, vt paſſim ſibi gratulantes A B

exclamant. Perieramus, niſi ille nos vulneráſſet. Ille nos a turpiſſimo vitæ genere retraxit: ille nobis vitæ huius dedecora abſterſit; ille noſtris filijs, familijsq; proſpexit. o quoties, & quanto animi gaudio, repetunt! Ille noſtras fortunas ſeruauit. ille pacem, domi, forisq; dudum antea exulantem, reduxit; ſed, quod longè amplius eſt, ille ille nos ex præſentiſſimo animæ interitu eripuit, nobisq; æterna Inferorum incendia reſtinxit. Pupugit nos dicendo, ſed pungendo ſanauit: rationes intorquendo ſauciauit, at ſauciando, mortuos vitæ reſtituit. In noſtrarum miſeriarum terram igneo amplificationis fulmine proſtrauit, ſed proſternendo ad gratię Cœlum erexit. Hiuſmodi voces ferè, aut conſimiles traducti illi ad Chriſtum errones, incredibili exultãtes hilaritate, emittunt, tamq; effuſæ, atq; inſolitæ cauſſam voluptatis ubique, in circulis, in plateis, in exedris, in ædibus, in publico, domeſticis, atque extraneis perſonant, replicantque.

C

18 Quare, ſubductis, Auditores, quatuor hiſce delectationis capitibus, quum Tulliani Oratores, atque Concionatores tantâ ſe ingenij excellentiâ nobilitatos, tantâ orationis moderatione ab omni faſtidio tam alienos; tantâ ordinis uarietate adeo uenuſtos; tantâ utilitatis, atq; honeſtatis gratiâ ita commendatos prodant, ac probent; cui dubium eſſe queat, quàm lauta, atq; abſoluta ſit ea oblectatio, quam ijdem dicendo ſerunt? Nempe licèt in aures primùm hæc delectatio irrepat

quidem

quidem perblandè; circa aures tamen non hæret, ſed leniter ſeſe in animum demittit; neque, ut illa Aduerſariorum fucata tantummodo, leuis, & commentitia; ſed uera, grauis, & ſolida, præcordia ipſa ſuauiter permeat, iucundiſſimisq; delinit officijs.

Oratoris, atq; Concionatoris Tulliani magnum ingenium, atq; artificium magna admiratio, plauſusque ex ſumma oblectatione profectus conſequitur.

239 VErùm hæc tanta, tamque copioſa delectatio, quæ noſtris ex Oratoribus, & Concionatoribus in Auditores funditur, etſi moderata ſit, nihilominùs cumulata etiam eſt, & ſumma, atq; ita ſumma, vt præ cumulo ſummâ quoque cum admiratione coniuncta ſit. Illos quippe, qui perſuadendo tam iucundè, ſolideq; delectant, tantus plauſus, tamq; inſolita admiratio excipit, & commendat, ut quanto minùs ipſi ſuum in dicendo ingenium, atq; artificium nobiliſſimum oſtentant, tanto magis a peritis Auditoribus obſeruetur, ac ſuſpiciatur; contra uerò alij, qui, ut rumuſculos colligant, intemperijs agitati, luxu profuſo totam diſſipant perſuaſionem, nō rarò dignâ irriſione ludantur. Neminem enim fugit, aut clam eſt, illum conclamatæ iam ualetudinis ægrotum (ut in eodem pergam exemplo) ab experientiſſimo

curatum Medico, non tantùm affluente uoluptate ob recuperatam ſanitatem recreari, ſed maximâ quoq; egregij in ſanando artificij miratione hærere ſuſpenſum, laudes Medici ſemper celebrare, eius ſollertiā, acumen, nomenq; ſemper extollere, omnium illum Medicorum facilè principem, facilè Galeno, Hippocratiq; ſupparem, imò ſuperiorem etiam pronuntiare, Æſculapium alterum ſine controuerſiâ appellare, ac ſtatuere; e contrario autem reliquorum Medicorum, qui externa tantùm, & ſupra cutem
A dumtaxat ſita medicamenta applicauerunt, elegantis offucias ſermonis, & præſtigias explodere, multam ſui iactantiam ſtomachari; inanes pollicitationes eis exprobrare; putidā doctrinæ oſtentationem in recenſendis memoriter Hippocratis Aphoriſmis, in teſtandis Galeni placitis, in medicæ eruditionis penu uniuersâ exhauriēdâ uituperare; quūq; toto illo technarum, fraudumque apparatu ſe circumuentū uideat, quum ſe incuratū, quin etiam deteriore forſan ualetudine debilitatū; adde non tantùm corporis uiribus eneruatis,
B ſed auri inſuper, argentiq; arculis multò magis exinanitis, dimiſſū intueatur, ac fremat; ab illis Medicis ſuo tantùm marſupio uncos rapaciſſimos fuiſſe iniectos; nullam uerò ſanitati curandæ ueram adhibitam eſſe medicinam, tandem meritò colligere, ſimulq; indignari.

240 At idem prorſus animi contagione miſerè tabeſcentibus uidelicet accidit, Auditores,

tores, qui à perito, fidoq; mentis Medico, ſacro Oratore ad ſani capitis ualetudinem, perennisq; ſeculi uitam, uirtutis perſuaſione diuinitus afflatâ, perducti, non ubere tantummodo voluptate, quotieſcunque diuinâ illius in dicẽdo vi, ac ſpiritu ſe tot ex malis extractos, inſuperq; tot ac tantis ditatos bonis recordantur, pectus habent refertũ; verùm etiã, vbi in memoriam redditæ ſibi ſanitatis redeunt, ex cumulatâ, quam experti ſunt, iucunditate, extemplo ſummos in plauſus, atq; in ſummam de eiuſdem Concionatoris ingenio admirationem rapiuntur. O viri, exclamant, non humanam, ſed cæleſtem ſapientiam! o ingenij perſpicacis ſingularem prærogatiuam! Vt artificium omne catè ille diſſimulans, noſtris vulneribus blãdiſſimæ orationis ceratum! allinebat? argumentorũ ſpicula non oſtentabat, ſed immittebat: ſenſim noſtros explorans ſenſus, primò rationibus firmis nos pertentabat; ſubinde grauioribus percellebat; mox validiores adhuc quà morũ, quà affectuum machinas admouens, toto niſu arietabat, viſcera traijciebat, vitalia cuncta penitus confodiebat. Tunc ſcilicet læti, quum ſalutares nobis tendebat inſidias, ſecuros nos vulnerum putabamus; ad certum nos deſtinari ictum, nunquam in mentem veniſſet ſuſpicari. Orationem eius modeſtam, ſed non humilem; inſignitè ſplendidam, ſed non affectatam; tam vehementem eſſe expugnandorum animorum, vt ita loquamur, catapultam, nunquam cogitatione prouidiſſemus. A

Quàm

Quàm ſagax igitur illud erat ingeniũ, quàm acutum, atq; eminens, quod vt ingenioſiùs vulneraret, vulneratiq; vulnus amarent ſuũ, ſeipſum interim noſtris oculis officioſè ſubducebat? Sed enim quanto magis ſeſe celabat, tanto clariùs (iam tandem agnoſcimus) aperiebat. Nunc demum cernimus, quantæ fuerit ſollertiæ ſententias illas tam eximio diſtribuere ordine; argumenta ſingula tam accuratè ſuis librare momentis; tam facilè diuinorum oracula librorum ediſſerere: tam appoſitè ſanctorum decreta Patrum arceſſere; tantâ dexteritate, tantaq; ſimul voluntatum concitatione, quocunq; vellet, ſingulos aſportare. Hæc, atq; alia id genus complura, oblectatione capti Auditores, quicunque literas non a limine dumtaxat ſalutârunt, ad magnam de exquiſitiſſimo Ciceroniani ſeu Oratoris, ſeu Concionatoris ingenio admirationem ex toroſo, efficaciq; illius ſermone deriuatam luculenter patefaciendam, quippe qui eiuſdem impulſu a Dæmonis probroſo ſeruitio ad diuinum Ieſu Chriſti regnũ tranſlati ſint, ore iucundiſſimo, ſæpiſſimeq; frequentant. Contra verò aliorum non Oratorum, neq; Concionatorum, quibus nominibus indigni ſunt, ſed politulorum Declamatorum adulteratum dicendi genus ſibi fraudi fuiſſe, etiam atq; etiam dolent: fruſtra tot annos ijs audiendis ſe operam dediſſe, imò non tam dediſſe, quàm perdidiſſe, iure conqueruntur; nullam frugem ex tantâ acuminum, ſenſiculorumq; procellâ ſe percepiſſe, meritò ex-

expoſtulant; ac proinde, quàm imbecillum ſit eorundem ingenium, quàm inops, & tenue, quod perſuadere neſcit, neceſſariò ſibi perſuadent. Quem igitur in præſentiâ meorum nō miſereſcat Aduerſariorum, qui quò magis Auditorum oblectationem, ſuiq; gloriam ingenij ad inſaniam vſq; depereunt, totosque C ſeſe hanc in curam impendunt, eò minùs eliciunt? At e regione quis noſtrorum & Oratorum, & Concionatorum felicitatem ſatis admiretur, qui dum toti ſunt in perſuadēdo, quanto minùs aurium, animiq; voluptatem, aut proprij ingenij celebritatem, quò eorundem ſaluti Auditorum conſulant, quærunt, aut ambiunt; tanto magis excitant, & conſequuntur?

Aduerſarij præ deſperatione a Tulliana eloquentiæ forma defecerunt.

241 NVnc ſatis, opinor, totâ hac meâ diſceptatione, Auditores, probatum a me eſt, Aduerſarios meos a Ciceronianâ eloquētiâ, quo dulciùs oblectarēt, quū in delectādo ita abſurdi ſint, atq; præpoſteri, longeq; a Tullianis tā Oratoribus, quàm Cōcionatoribus, oblectādi lepôre vincantur, deſciſcere non potuiſſe. Quū ergo trāsfugæ iſti, ingenij præſtantiam, delectandiq; gratiā, Ciceronem deſerendo, non auxerint, ſed, ſi quā priùs habebant, etiam corruperint; quam ob cauſſam, quæſo, veram, & candidam, a Ciceroniano dicendi charactere, hoc eſt, a re-

giâ

giâ perſuadendi viâ delirârunt? Edicant aliquando, enuntient, aperiant. Tacent, obmuteſcunt. Sed quandiu ego intempeſtiuum iſtud ſilentium tolerabo? Dicam ego, quod res eſt; & quando Aduerſarij germanam cauſſam, cur a Tulliano artificio, ſtyloq; ad deprauatum Orationis genus tranſierint, fateri non audent, vel certè erubeſcunt; ipſe ego ſine fuco, & fallaciâ liberè patefaciam. Quum leues iſti ſenſiculorum inſtitores, ingenij oſtentandi, delectationisq; eblandiendæ percupidi, in perſuadendi prouinciâm difficillimâ, ac præclariſſimam; tum in M. Tullij, & Tullianorum Oratorum, atq; Concionatorum ſummam perſpicaciam, ſũmam eloquentiæ maieſtatem, opes, amplitudinem, regnumq; inſpexiſſent quidem a limine, at nunquam interiùs penetrâſſent; vbi primùm manus operi imitando, exprimendoq; applicârunt, expeditiſſimum illud initio rati, uſu deinde ſtatim, rem eſſe omnium operoſiſſimam, artificium tam admirabile, vix vt magnis etiam, palmaribusq; ingenijs perſpectum ſit; conatum Tullianę eloquentię conſequendæ, vel imitandæ maximè arduũ, ſupra ſuas vires, ſupra facultatem, ſupra captũ ingenij; nec niſi lõgo ſtudio, laboreque, vt iã docui, aliquid ſe huiuſmodi artis tenere, aut parare poſſe, deprehenderunt. Quare has ingenij, oblectandiq; prærogatiuas, Ciceroniano ſtylo effingendo aliquando a ſe obtinendas, deſperantes, in eas, quas hactenus agitaui, eloquentiæ labes degenerârunt.

Com-

Commemoraui enim antea, reperiri in Republicâ perditos homines, qui adulterandæ artem pecuniæ audacissimè exercerent. Nunc ſcitor præterea, cur illi & infami ç turpiſſimæ inevitabili ferè periculo ſe obiectent, & tam enormi ſe obſtringant crimine, & extremi aleam ſupplicij minimè reformident? Expediam verbo reſponſionem. Adulterant ſcilicet eorum pleriq; pecunias, quòd aliâ honeſtâ ratione ſummæ inopiæ, quâ vexantur, ſubleuandæ ſpem omnem abiecerint: Haud ſecus Aduerſarij mei, quum tantâ ingenij egeſtate, atq; imbecillitate, vt oſtendi, conflictentur, vbi ſe ad ingenij famam, oblectandiq; palmam adipiſcendam, Ciceronianæ Eloquentiæ diſcendæ ineptos, animaduerterunt, eius ſibi vendicandæ deſperatione proſtrati, adulterinum hoc dicendi genus inuexerunt.

242. Quid enim vos, leuiſſimi Declamatores, repentè impulit, vt inueteratam perſuadendi normam tam enormiter peruerteretis? Tullianæ eloquentię comparandę deſperatio. Quid vos coegit Latinitati plerunq; valedicere, hinc atq; illinc centones corradere, A nihil niſi perturbatè effundere? Deſperatio. Quid vos iuſſit tam multa ſine ratione, ſine exemplo, ſine forma inſolenter ſomniare, noua ſemper monſtra producere? Deſperatio. Quid vos ad vaſtitatē Ciceronianam in dicendo Regni, quid ad rebellionem aduerſus eiuſdem Principatum ſolicitauit? Deſperatio. Quid vos tanquam cruentos Catilinas M. Tullio ho-

hoſtes infeſtiſſimos oppoſuit? Quid tanquã patriæ eloquentiæ proditores, extraneæq; patronos ad eiuſdem Conſularem ſtylum expellendũ, vt ſcilicet non pauciores ille modò, quin multò plures ſuæ facundiæ Aduerſarios, quàm olim, vitæ inſidiatores Catilinas, & Cethegos, numeraret, inflammauit? Deſperatio. Quid vobis Demoſthenis exempla, quid Ariſtotelis præcepta, quid Quintiliani ſcita ſuaſit contemnere? Deſperatio. Quid vos adeo præcipites dedit, vt totius antiquitatis verendã auctoritatem, quæ mira ſemper conſpiratione Tullianæ eloquentiæ ſceptrũ non modò pacatè tulit, ſed etiam amauit, & coluit, ne flocci quidẽ penderetis? Deſperatio. Quid poſtremò hanc vobis mentem indidit, vt reliquos omnes penitùs deſipuiſſe, quò ſoli vos ſapere videremini, cenſeretis? Deſperatio, deſperatio.

443 Verùm enimuerò, Antiſtites prudentiſſimi, vtcunq; hoſtes complures, audaces, factioſi, turbulenti, in Tullianam eloquentiam, hoc eſt, in eam, quæ perſuadendi curâ, vi, ac palmâ antecellit, conſpirent, omnemq; lapidem ad eam planè euertendam moueant: fruſtra nihilominùs illam inuadunt, fruſtra oppugnant, fruſtra quaſcunq; artes, ac machinationes ad ipſam ſubruendam periclitantur; ſi quidem ea ſemper inuicta, ſemper imperterrita, ſemper inexuperabilis, de cunctis legitimi ſtyli corruptelis, de omnibus ineptè dicendi formis, de cunctis ſcribendi, eloquendiq; flagitijs ampliſſimos, ac iuſtiſſi-

iuſtiſſimos cunctis ſeculis egit triumphos, omnesq; orandi, ac perorandi diſcordias, concitationes, diſceſſiones, ac tumultus magnâ prorſus felicitate perpetuò compreſſit, tandemq; omnino diſiecit. Nimirum inexpugnabilis eſt arx veritatis, Soliſq; radij quaſcunque obiectas nubes deniq; perrumpunt, ac diſſipant. Ipſamet genuina Chriſti Domini religio, quauis luce candidior, quot errorum tenebris a tenebrionibus obuoluta eſt? quàm cæcas in noctes inſcitiæ, ac peruicaciæ ab obcæcatis Hæreticis coniecta? quot in ſectas deliramentorum a deliris capitibus ſecta? quàm multas in factiones ab improbis hominibus diſcerpta? quot a monſtris arrogantiæ, ſuperbiæ, atq; perfidiæ laceſſita, obſeſſa, arietata? Quis tamen Catholicorũ non cernit, atq; in ſinu quoq; idcirco non gaudet, eandem Catholicam religionem nihiloſecius immotam ſtare, inconcuſſam A perdurare, inconniuentem perennare? quis neſcit erumpentes identidem hęreſes vetuſtatem non ferre, pedetentim dilabi, citò ſeneſcere, demum exſcindi penitùs, atq; aboleri? quis non animaduertit cunctas errorũ propagines ab Eccleſiæ Chriſtianæ perduellibus ſatas paulatim areſcere, atq; ad poſtremum extingui; ſolam autem Catholicam veritatē, ac Fidem perpetuò ſplendeſcere? ſolā perpetuò virere? ſolam iniurijs temporum non eſſe obnoxiam? ſolam viuendo vincere quotcunque ſecula? ſolam de ſubactis, eliſiſq; cunctis hæreſibus, atq; erroribus triumphare? Haud
diſſimili

diſſimili ferè etiam exemplo germana, & ſolida eloquentia, perſuadendi magiſtra, fori, ac Templorum dominatrix, voluntatum illex, flexamina populorum, quot quantosq́; ſui hoſtes acerbiſſimos experta eſt? quàm ſæpe ab ijs ex cläcularijs inſidijs euerberata? quàm frequenter aperto etiam Marte perculſa? quoties ſententiolarum leuiſſimarũ floſculis vndiq; ſilueſcentibus obſita? quoties tenebricoſarũ cuniculis allegoriarũ defoſſa? quoties ſpiſsâ audaciũ metaphorarũ grãdine
B obruta? quoties inaniũ acuminũ ſubulis traiecta? quoties diuerſis ſeculis multiplice ſtyli genere ſoboleſcente, mireq; in vulgus ſtatim accepto, nunc inflato, nunc ſicco, iam antiquario, iam peregrino, aliquando poetico, interdum exotico, nonnunquam inſolenti, ſubinde euanido, ſemper verò a rectâ perſuadendi orbitâ errabundo iactata, exagitata, & diuexata eſt? At omnes iſtæ dicendi prauitates, ac diſtortiones, etſi ſubinde exortæ ſunt, vigentq; nonnunquam, & aliquandiu in honore ſunt, quàm breui nihilominùs obſoleſcunt? quàm deſubito ſiderantur? quàm repentinò intereunt? quàm inopinatè in faſtidium vertuntur, contemnuntur, exploduntur? Exaduerſum autem Ciceroniana facundia, hoc eſt, copioſè loquens illa ſapientia, illa dicendi ſumma vis, illa expugnandorum animorum admirabilis machina, vitalis ſemper eſt, æuum fortiter patitur, nunquam caneſcit, nunquam inueteraſcit, perpetuò regnat, continenter floret, ſemper vberes fructus vbiq; gentium edit, ac metit.

ACTIONIS PARS QVARTA

DE CORRVPTELA SACRORVM CONCIONATORVM APPENDIX.

244 TRia ſunt, Patres Sapientiſſimi, quæ longâ hac meâ diſputatione perſpicuè, ſolideque, niſi me fallit opinio, hactenus demonſtraui. Oſtẽdi enim, Aduerſarios meos eloquentiæ genere vti quàm corruptiſſimo. Oſtendi anſam Tulliano ab artificio diſcedendi, quò ſibi ingenij palmam aſſererent, quum hac ipsâ diſceſſione tanto ſe hebetiores ingenio prodant, fruſtra arripuiſſe. Oſtendi neq; maioris concinnandæ oblectationis gratiam, quò nuntium eidem Tulliano artificio iure remiſiſſe viderentur, quum iſtâ ipsâ remiſſione omnem Oratoriæ, & Concionatoriæ delectationis cõcinnitatem, gratiamq; adeò affligant, prætendere potuiſſe. Iam, quis tam multa de formâ charactereq; dicendi tam Oratoribus, quàm Concionatoribus communi a Logodædalis Declamatoribus fœdè vitiato diſſeruerim; vt congruentem huic Actioni coronidem tandem imponam, opera-

pretium reor, pauca quoq; de Concionatoribus ſpeciatim attexere, pauloque accuratiùs, ac fuſiùs expendere.

Variæ Concionandi prauitates recenſentur, ac improbantur.

245 SI pernicioſa eloquentiæ lues, prudentiſſimi Antiſtites, ſe fori, ciuiliumque ambulationum laxitate, atq; ambitu contineret: ſi extra Curiam, atque Senatum nō graſſaretur, ſi profanas tantùm Orationes, & cauſſas inficeret perderetque; quanquam dolendum, profectò eſset; ego tamen doloris vocem omnem adhuc premerem, non expoſtularem, penituſq; obmuteſcerem. At, quum tam noxioſa labes ipſa etiam ſacroſancta Templa non ſemel peruadat audacter; quum plena ſanctitatis penetralia interdum commaculet inſolenter; quum Apoſtolici ſpiritus ora, ſuggeſta, & roſtra ſubinde infatuet, atque adulteret impudenter; quis ampliùs patientiæ, quis ſilentio locus eſſe poſſit? quis tantam indignitatem ſine indignatione tacitus diutius ferat? quis non in lacrymas, ſi non in verba, niſi planè ſenſum omnem excuderit, gemebundus erumpat?

246 Verſant quidem ſacri Concionatores, tanquam æterni Numinis, ſummique Imperatoris Legati, res omnium grauiſſimas, deq; animi virtutibus amplectendis, de ſcelerum ſordibus abſtergendis, de vitæ honeſtate inſtituendâ, de Cælitibus venerandis, de irato Deo

Deo propitiando; de cæleſti Beatorum ſede
obtinendâ, de atrociſſimis Inferorum crucia-
tibus euitandis, deq; alijs id genus ſexcentis
maximis argumentis frequenter agunt, ac
philoſophantur: verùm iſtorũ ex ordine non-
nulli eâdem ambitione gloriolæ, eâdemque
leuitate, quâ molles, ac fracti Oratores, Chri-
ſtianorum aures cœtuum compoſito præſti-
giarum genere belliſſimè, dicam, an flagitio-
ſiſſimè ludificantur. Deberent enim validorũ
machinas argumẽtorum moliri, morum pel-
lax adhibere artificium, affectuum vibrare A
fulmina; ex diuino diplomate teſtimonia B
producere, Chriſti Regis noſtri leges, iuſſa,
decreta inculcare; verendorum Patrum ſcita, C
placitaq; recenſere, non hilariones tantùm
hinc, atq; illinc diſſitos in eis ſenſiculos pu-
tidè, vt ita loquar, ſciſſire, atq; infarcire ſto- D
lidiùs. Deberent Theologorum ſanctiones,
legis æternæ, ſcriptæ, veteris, nouæ, naturæ
ipſius, ipſius cõſcientiæ iura intorquere; omne
genus teſtium arceſſere, omnem vim neruorũ
intendere; omne animi robur expromere;
ſummam in dicendo præferre prudentiam,
ſummæ probitatis ſpeciem expingere, ſum-
mæ formam ſanctimoniæ repræſentare.
Deberent officioſam erga Auditores beneuo-
lentiam ſignificare, implacabile peccati odiũ
explicare, exuberantem erga Deum toties
delictis irritatum amorem demonſtrare, inti-
mam erga calamitoſos commiſerationem,
incenſam perditorum hominum conclamatæ
penè ſaluti conſulendi cupiditatem, purum

pu-

putumq; diuinæ vnius gloriæ amplificandæ ſtudium, ſui verò pro illâ eâdem cumulandâ proximiq;commodis procurandis contemptũ patefacere. Deberent ſitim quandam vehementiſſimam omnium animarum, maximè flagitioſarum ad Chriſtum Dominum, Regemq; ſuum adiungendarum medullas ſibi penitùs vrentẽ oſtendere. Deberent denique, deberent ſe ad omnes exſorbendas moleſtias, ad omnes ſubeundos labores pro omnium facinoroſorum, imò & pro vnius ouis errabundæ ſanitate recuperandâ, paratiſſimos offerre, vltro præſtare, vltro polliceri, vltro etiam ingerere.

247 Quid enim? Cernite Auditores, Chriſtani orbis luctuoſum ſpectaculum. Cernite vulnera, cernite cædes, & ſanguinem. Videte Dæmonum carnificinam, Tartari lanienam

A deſpicite. Hic tot annos pellici obæratus
B marceſcit: ille tot iam luſtra ſuo hoſti exitiũ machinatur: alium auri, argentiq; libido
C excæcat: alius impuratâ linguâ tremendum
D Numen, ac Diuos inceſtat: ſpiſſa illinc nubes
E peierantium exilit, hinc multa prædonum manus educitur: ibi inuidorum longũ agmen hęret: multi paſſim in luxuriæ cœno volutantur, ſanctos coniugij toros turpiter contaminant, affinitatis vincula nequiſſimè polluunt. Multi nulla pudoris clauſtra, nulla
F honeſtatis agnoſcunt repagula, domi, foriſq;
G teterrimæ œſtro libidinis perciti, ſine vllâ verecundiâ, ſine vllo metu, ſine vllâ Dei reuerentiâ, ſine vllo hominũ reſpectu furioſè

de-

debacchantur. Multi poſtremò graui criminum veterno ſepulti ſtertunt, vitiorũ pædore I
obſiti, Æterni Iudicis Dei, Cælitum omniũ, Infernorũ cruciatuum, mortis, conſcientiæ, ſuiq; prorſus obliti, miſerè contabeſcunt. Hos ad ſanam vt reuoces mentem, vt e peccatorum extrahas ſordibus, vt a piceatâ, ferru- K
minataque, vt ſic dicam, flagitiorum conſue- L
tudine diuellas, quid non machinationum, quid non operarum experiendum eſt? Si tuam in ſententiam huiuſmodi Auditores perducere, ſi ab eis perſuaſionem extorquere cupis; cauſſæ primùm firmamenta, ceu principes in exercitu, ſtatuenda ſunt; deinde M
mores, quaſi haſtati, ſuccenturiandi; mox N
grandiores affectus, veluti cataphracti triarij, O
a tergo, in extremâ præſertim acie, hoc eſt, in Perorationis exitu cõcitandi. Vbi autẽ propoſitam quæſtionem confirmare cœpiſti, illã fortiter vrge; illam quaſi exaggeratarum ſiſtucâ rationũ trude, illam rurſus geminatis P
aliorum enthymematum ictibus promoue. Paulatim progreſſus, oppugnationem redintegra, Auditoris pectus, mentem, præcordia denſâ commotionum procellâ ac turbine tunde, verbera, exagita, proſterne. Nunc minas, nunc preces alterna. Iam leniendo demulce, nunc increpando concute, nunc in ſpem erige, nunc in audaciam attolle, iam ad miſericordiam inflecte, mox ad iracundiã laceſſe. Quid plura? Si nefarios homines e Tartari faucibus aues educere, omnis tibi mouendus eſt lapis, omnia artis perquirenda

adiumenta, omnis naturę conatus medullitus exerendus.

248 At ab iſtâ rationum, & morum, affectuumq; impreſſione faciendâ haud pauci
A eloquentiæ non Oratores, ſed errones, ac
B plani, non Concionatores, ſed colluſores,
quàm longè digrediuntur? Quid enim? quid? An non, Patres ampliſſimi, ad hæc omnia opera, tanta, tamq; ardua perficienda, ſatis ſe profeciſſe iſti arbitrantur, ſi multi-
C plici variaq; antithetorum ſerie micent
D feſtiuè? ſi annominationũ affinibus crepent ſonis? ſi minutis interrogatiunculis, quaſi punctis acutè ſibilent? ſi Concionem immodicis pertexant floribus? ſi acumina, ſenſiculoſq; congeminent? ſi deniq; per hæc inania
E puerorum crepitacula ſtylum, ac linguam fundant illecebroſiùs? O ingenij peruerſitatem! o iudicij improbitatem! Et iſtos ego ſacros Concionatores potero nominare? potero Dei ter maximi Legatos agnoſcere, vel ſuſpicari? Quid dicam porrò de eorum non Concionatorum, ſed Hiſtrionum exordiendi putidâ ratione? quid de tam conferto eruditionis penu initio dicendi ſtatim exinanito?
F quid de ampullantibus verborum periodis? quid de tam longâ, tamq; ambitioſâ, antequàm clarè quâ de re dicturi ſint, aperiant, circuitione? Quid loquar de quæſtionibus ad proximorum ſalutem prorſus inutilibus in medium adductis? quid de vanis, & curioſis? quid de inſolitis atq; inauditis, quo ingenioſiores habeãtur, ſed ad permouendos animos

prorſus ineptis?quid expoſtulem de translatis propoſitionibus, a ſenſu hominum remotis, atq; a communi vſu abhorrentibus, quæ ad titillandas aures dumtaxat valent, ad mores verò conformandos nihil penitùs faciunt? quid querar de oſtentatione peregrinæ, reconditæq; doctrinæ? quid de ſpiſsâ, inculcatâq; ſententiarū farragine? quid de nimio oblectandi ſtudio, atq; intemperantiâ? quid de tenebricosâ dictionis obſcuritate operosè quæſitâ, quò eloquentia ſublimis, admirabilisq; vulgo cenſeatur? quid verò doleam de totâ ſæpe Concione nullum prorſus ad fructum animarū collineatâ? quid de alienâ omnino ab Auditorum captu? quid de vmbratili, & declamatoriâ? quid accuſem præterea de fæculentis ethnicorum hominum ſcitamentis importunè ingeſtis, de aſtutis veteratorum fabellis, de congeſtis Poetarum carminibus? quid de frigidâ, aut nulla penitùs Peroratione? quid de abſonâ vocis inflexione? quid de pronuntiationis, actionisq; mimicâ planè licentiâ? quid ad hoc fleam de fictâ ſanctimoniæ perſonâ a Concionatore ſuſceptâ?quid de eiuſdem vaniſſimâ ſui iactātiâ? quid de affectatâ propriæ Religionis laudatione? quid de inconditis, quid de intempeſtiuis, quid de inconſultis clamoribus? Denique quibus ego iam lacrymis proſequar ſacroſancti Euangelij oracula ſus deque habita? diuinorum Prophetarum vaticinia neglecta? æternas Cæleſtis voluminis tabulas perperam interpretatas? præpoſterè

explanatas? ridiculè plurimis ineptijs per ſummam vim,ac nefas aptatas? audaciſſimè plerisq; alijs etiã modis temeratas,diſtortas, atq; adulteratas?

Inſana paradoxa venditata in Concionibus vituperantur.

249 VErùm etſi hæ cunctæ Concionatorij muneris corruptelæ graues omnino ſunt, grauiterq; iure ſunt deplorandæ; quanto tamen acerbiùs, ſapientiſſimi Præſules, aliorum quorundam,non tam Cõcionatorum, quàm rabularũ temeritas a me hoc loco perſtringenda,dirâq; imprecatione ſimul defigenda meritò eſt, qui exotica paradoxa,Hæretico etiam veneno ſubinde imbuta,ad famam magnorum virorum anxiè aucupandã,Auditoribus propinãt,obtrudũtque; fusè dilatant, atq; amplificant; tandemque poſtea ad Catholicam,& veram ſententiam, adiectâ perbreui diſtinctione,ieiunâq; explicatione, reuocare conantur? Quantâ enim, Deus immortalis! quantâ cum Auditorum pernicie effrænis iſta licentia,capitaliſq; lues graſſatur? quantâ cum Reipub. Chriſtianæ fraude? quanto cum omnium animarum detrimento? Nempe præſentaneum erroris,Hæreſisq; virus, prædulci blandæ orationis, & curioſitatis melle illitum,auribus multitudinis potandum inſtillatur, illicòq; ad cor ipſum penetrat, & bonam fidem, ſimplicitatemq; complurium antea perimit, quàm neceſſarium

ceſſarium legitimi ſenſus antidotum admoueatur: quod ſanè antidotum ſæpenumero adeo imbecille etiã inualidũq; eſt, vt hauſto malefico ſucco, & toxico expectorando, vulnerique, quod iam ab eo illatum eſt, ſanando minimè aptum, imparq; omnino ſit. Quibus artibus planè inſidioſiſſimis, ſerendæq; Hæreſi maximè idoneis tam imprudenter, ac nequiter exercitis, quàm molli brachio myſteriorum Catholicorum fides ſenſim eleuatur, atque atteritur? quàm facilè Chriſtiana dogmata in dubitationem adducuntur, nec, diſpulsâ caligine, bono in lumine collocantur? quàm ſubitò conſcientiæ Auditorum perturbantur, nec, affuſâ rectæ intelligentiæ luce, componuntur, aut tranquillantur? quã de plano Apoſtolica diuini verbi fundendi ratio, ac norma deſpicitur, lataq; via affingendis, & confirmandis erroribus ſternitur? At quid huiuſmodi corruptelis ſceleſtius? quid peruerſius? quid execrabilius?

250 Verùm ad iſtorum præſtigiatorum improbam peruerſitatem, intolerabilemque impudentiam ſeuerè, vt par eſt, coercendam, non meus ſtylus, non mea vox, non mea latera ſufficiunt, Auditores, ſed carcere, ſed ergaſtulis, ſed vinclis, & compedibus tribunalis ſacrorum Fidei Catholicæ Quæſitorum opus prorſum eſt. Cum his enim capitibus fruſtra rationibus pugnatur, fruſtra ſunt omnes diſputationes, fruſtra rationes, fruſtra cuncta argumenta. Veſtra proinde auctoritas grauiſſima, Præſules ampliſ-

ſimi, Inquiſitoreſq; prouidentiſſimi, neceſſariò interponenda eſt, a vobis fræni ineluctabiles tæterrimæ huic contagioni ſerpenti omnino inijciendi, a vobis in ſontes, reoſque, pœnis ingentibus irrogatis, acriter animaduertendum, a vobis, ſancitis pertriſtis diſciplinæ exẽplis, diuini muneris corruptores perditiſſimi a flagitio penitùs deterrẽdi. Quid enim? nonne Eccleſia mater noſtra ſacrarum Literarum vulgari idiomate lectionem ſuis filijs ſeriò interdicit? & meritò, ne ſcilicet idiotæ, atq; imperiti inde allucinandi, errandiq; anſam arripiant. Nonne huiuſmodi interdictionem, incaſſum exaduerſo obloquentibus, ac frementibus cunctis Hæreticis, Catholici omnes Doctores iure optimo tuentur? Quanto magis igitur vobis ſtrenuè curandũ eſt, ne imprudentes, præcipiteſque iſti Concionatores, Concionatores autem? imò Circulatores potiùs, atq; Hiſtriones inſanas doctrinas ſacrorum Codicum deprauatione, diuiniq; verbi adulterijs nundinantes, Chriſtianos populos illaqueent, infatuent, inficiant, erroribus implicẽt, hæreſibus impleant? quãto grauiùs in hos vobis cõſulendum eſt? quãto vehementiùs, & duriùs vindicandum?

Concionatores facetijs, & iocis ſacra profanantes ſuggeſta, exagitantur.

251 SEd alia inſuper peſtis, quanquam Hæreticę quidem ſycophantiæ expers, valde nihilominùs etiam noxia, ſacra

quoq;

quoq; pulpita fœdè ſupra modum depopulatur. Nam quoties in his pariter Cæleſtium oraculorum ſacrarijs, vbi Auditores ad Chriſtianos mores, atq; ad omnem ſanctitatis apicem ſunt informandi, non deſunt tamen vno plures, qui deſerto grauiſſimo Concionatoris officio, ludicrâ feſtiuitate, leuiſſimisq; facetijs laſciuientes, aretalogos, & fabulatores agunt? qui Cōcionem illiberalibus dicterijs farciunt, mimicis ſalibus condiunt, A
ſcurrilibus iocis exhilarant? qui comœdorū proſcenia, hiſtrionumq; acroamata in ſublimes ſacroſancti Euangelij exedras transferunt? quoties in his ſempiternæ veritatis ſāctuarijs cernuntur etiā, qui Gnathones, & paraſitos æmulantur? qui procacibus ſānionibus nihil ferè concedunt? qui ſcurras ad vnguem referūt? qui mimos, & pantomimos cumulatè præſtant? quoties iſtic pariter audiuntur, qui dictis, ſcōmatiſq; iuuenātur, & verò etiā bacchantur? qui, vbi lugubri oratione Auditores ad propria deflenda crimina ſunt impellēdi, eoſdem multo lepôre ad riſum inuitant, riſū vel tetricis, ac ſuperciliosis excutiunt, riſu tota ſubſellia, & Templa complent? B C D E F

252 Prô dedecus indignum! prô nefas infandum! Et quibus ego id crimen verbis in præſens, Antiſtites ſapientiſſimi, ſatis lugeā? quibus ſententijs ſatis deteſter? quibus telis monſtrum adeo infame, tætrumq; conficiam? Agite munus ipſum peruulgandi Euangelij primùm omniū appello. Quum Christi Domini doctrinam, a quo denuntiatum conſtat

væ ijs, qui nunc rident, Concionatores tradere debeant, quâ fronte inuerecundi iſti promi condi vrbanitatis audeant incitare Auditores ad riſũ?nũ argumentũ,quod tractãt,poſtulat, vt cũ riſu miſceatur?an locus,qui Templũ eſt, hoc exigit? num finis ab ijs quærendus, id patitur? an ipſorum Magiſter, qui ſæpius fleuit, ridere nunquam viſus eſt, ita eos inſtituit, aut ad concitandum riſum erudiuit? o riſum multo gemitu, magnaq; comploratione omnium, quibus Dei honor, animarũq; ſalus cordi eſt, excipiendum,expiandumque! o facetias tam alieno loco, tamque petulanter, atq; importunè prolatas omnino infacetas, inſulſasque, tum plurimis etiam ſuſpirijs, lacrymisq; planè digniſſimas! quàm auſterè enim, ſtricteque inſignia illa ſapientiæ luminaria, veteres, ſanctiq;Patres,cunctas facetias, & iocos non ſolùm a ſacris Cõcionibus,ſed etiam a priuatis colloquijs ſubmouerũt, circumcidendosq; ſanxerunt?quàm vniuersè non tantùm viros ſacros, ſed etiam profanos,quibuſcunque ridiculis ſeriò prohibuerunt? An vos fugit, quàm diſertè S. Ambroſius teſtetur, *licèt interdum honeſta ioca, ac ſuauia ſint, tamen ab Eccleſia abhorrere regulâ, cauendumq; in fabulis, ne inflectant grauitatem ſeueriores propoſiti?* a. An nõ obſeruâſtis,quàm ſapienter ex formidabili illâ Chriſti Domini comminatione: *Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis*: idem ſanctus Doctor mox plorabundus colligat,*nos ridendi materiam requirere, vt hîc ridentes, illic fleamus*: adeoque

a *Lib. 1. de offic. cap. 23.*

non

non ſolùm profuſos, ſed omnes etiã iocos declinãdos arbitratur? an nõ diſpicitis, quã præciſè iubeat S. Baſilius: b *vitandas omnes omnino in ſermone facetias, ſcurrilemq́; dicacitatẽ? Si quidẽ fieri ſolet plerũque, vt qui ſe ſe in rebus iſtiuſmodi occupant, ij rectam rationem deſerant; quippe quum ex eo illud fiat, vt animus ad ridicula diffundatur, & in tacitâ ſecũ cogitatione grauitatis, ſeueritatisq́; neruos omnes elidat?* quàm rotundè B. Petrus Damiani Marino patrueli ſuo præcipiat, c *vt ſcurrilia quæque, vrbanitates, ſales facetias, leporesq́; verborum a labijs ſuis, tanquam Gentilitatis quoddam præputium circumcidat?* quàm clarè S. Ioannes Chryſoſtomus pronuntiet d facetias *illis dumtaxat licere, qui in ſcenâ ludunt*: ſubdatq́; *Vbi turpitudo, ibi & vrbana facetia. Vbi riſus intempeſtiuus, ibi & vrbana facetia.* & paulò poſt: *Paraſitorum eſt res iſta, mimorum, ſaltatorum, fornicantium mulierum, procul a mente liberâ, procul ab ingenuo, procul etiam a ſeruis. Si quiſquam eſt ignobilis, ſi quiſquam eſt turpis, & obſcœnus, iſte ſit & vrbanè facetus.* Denique: *vrbano autem nihil impudentius* At quid, obſecro, tam multiplici ſanctiſſimorum Patrũ cenſurâ de huiuſmodi piaculo actâ, & peractâ grauius? quid acerbius? An igitur magiſtri priſcæ diſciplinæ, ac modeſtiæ, tam prudentes, ac fortes, qui ſales, facetias, leporesq́; verborum a domeſticis etiam, familiaribusq́; ſermonibus

 exu-

b *Cap.* 13. *Conſtit.*
c *lib.* 6. *Epiſt.* 26.
d *hom.* 17. *in cap.* 5. *ad Epheſios.*

exulare prorſus voluerunt, hæc morum dehoneſtamenta in ipſam Euangelij prædicandi ſacroſanctam prouinciam, in ipſas diuinarũ Concionũ ſedes inferri, intrudiq; patientur? patientur verò? imò certè ſummopere ſtomachantur, indignantur, execrantur.

253 Sed ne cui ſit ambigendi locus, quàm enucleatè, ſapientiſſimi Iudices, S. Hieronymus ad Nepotianum ſcribit: * *Docente te in Eccleſiâ, nõ clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. lacrymæ Auditorum laudes tuæ ſint?* quàm egregiè mox arguit? *Omnes delicias & lepores, & riſu dignas vrbanitates, &c. ineptias amatorũ in Comœdijs erubeſcimus, in ſeculi hominibus deteſtamur: quanto magis in Monachis, & in Clericis, quorum & Sacerdotium propoſito, & propoſitũ ornatur Sacerdotio?* quàm perſpicuè alibi *b* idẽ eâdem de re decernit? *Quemcunq; videris in Eccleſiâ declamatorem, & cum quodã lenocinio, ac venuſtate verborũ excitare plauſus, ac riſus excutere: ſcito ſignum eſſe inſipientiæ tã eius, qui loquitur, quàm eorũ, qui audiunt.* At nũ quicquam placidius de ſermone cuiuslibet Sacerdotis melleus cæteroqui S. Bernardus cõſtituit? ſcilicet placidius. quis acriore ſtylo nugas omnes, ne dũ facetias, aut iocos, a viris Deo ſacratis vſurpatas, quàm ipſe, inſectatur? quot, quantiſq; aculeis ſuam orationem in tæterrimam huiuſmodi abuſionem, labemq; vibrat, ac torquet? *c inter ſeculares,* inquit,

nugæ,

* *In Epiſt.* 2.
b *In Eccleſiaſten. cap.* 7. *verſ.* 17.
c *lib.* 2. *de Conſiderat.*

nugæ, nugæ ſunt; in ore Sacerdotis blaſphemiæ, &c. *Conſecraſti os tuum Euangelio: talibus iam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt.* Labia Sacerdotis, *ait*, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore eius: *non nugas profectò, vel fabulas. Verbum ſcurrile, quod faceti, vrbaniue nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum. Fœdè ad cachinnos moueris, fœdiùs moues.*

254 Quàm magnâ pariter iuſtâque oris, & calami libertate hanc eandem iocorũ licentiã criminatur S. Gregorius, Græciæ lumen, & Nazianziq; Sol? quàm dilucidè, quàm caperatâ fronte? * *Non ſumus*, inquit, *pleriſq; ſimiles, qui veritatis doctrinam cauponum ritu adulterant, vinumq; aqua admiſcent, hoc eſt, doctrinam cor exhilarantem cum vili & vulgari, humiq; reptante, & euanidâ, fruſtraq; & temerè fluente* (qualis ſine dubio illa quoque, quæ facetias ſerit, & hinc riſum metit) (*vt ipſi ex hac cauponatione nonnihil emolumenti capiant*) *aliaq; alio modo cũ ijs, a quibus adeuntur, verba faciunt, omnibusq; aſſentantur, ventriloqui ſanè homines, & vaniloqui, voluptatibus ſuis obſequentes, easq; verbis e terrâ pronuntiatis, atq; in terrã accumbentibus* (cuiuſmodi præcipuè ſunt iocoſa, & ſcurrilia) *vt ſic maximè populi exiſtimatione floreant, aucupantes.*

255 Nunc, iocularium huiuſmodi Concionatorum, qui munus Apoſtolicum prædicandi Euangelij concinnatis facetijs, mimicâq; leuitate fœdare nihil verentur, quæ ſit mens,

* *Orat. 21.*

quod conſiliũ, quæ frons, quę animi inductio, ſcitor ego, ampliſſimi Præſules. Nõ audiunt hi grauiſſimum ſenatuſconſultum iam recitatum contra ſua id genus flagitia a veteribus, ſanctiſque Patribus factum? non intelligunt ſuos iſtos ſales, & iocos ab Eccleſię regulâ abhorrere, lugendi materiam præbere, neruos omnes grauitatis, & ſeueritatis elidere? non animaduertunt, tanquam *Gentilitatis præputia*, B. Damiano iudice, eſſe amputandos, licere dumtaxat ijs, qui in ſcenâ ludunt, proprios eſſe paraſitorum, mimorum, ſaltatorum, ſcortantiumq; mulierum? non vident ex ignobili, turpi, obſcœno, impudentiq; ore fluere? non ſentiunt profanis quoque hominibus vitio verti, ſignumq; eſſe inſipientiæ tam eius, qui loquitur, quàm eorum, qui audiunt? non percipiunt inter *blaſphemias* numerari, ſacrilegijſque accenſeri, ab aure quoque, ne dum ab ore relegandos, fœdè ad chachinnos mouere, fœdiusque, qui mouet, moueri; ſe verò *vaniloquos*, ac *ventriloquos*, voluptatumq; perdita mancipia perhiberi? His porrò tam indecoris notis, atque ſtigmatibus iocoſi iſti, mimiciq; Concionatores a tã verendo ſanctorum Patrum Senatu inuſti, deformati, turpificati, ac damnati, nũ tandem inſaniam agnoſcunt ſuam? num impudentiam intuentur? num ſceleris indignitatem cernunt? num tam enormium corruptelarum pudore tandem aliquando ſuffunduntur?

256 At fallor ego, Antiſtites ſapientiſſimi, fallor

fallor planiſſimè, qui nugatores iſtos, ſanctorum Patrum ſuffragijs, atque auctoritate ab amentiâ conor depellere. Quum enim & ſanctos Patres, & diuinas quoq; Scripturas iocis, dicterijs, & facetijs contaminare, ludibrioq; habere ſoleant, ſcilicet & quaſcunq; ſententias, iudicia, vel reprehenſiones inde eiaculata nihili facient, nulloq; loco numerabunt. Quibus igitur telis, atque haſtis, non fruſtrato ictu, ſunt confodiendi? Quoniã Logodædali iſti ſacros Auctores in Concionibus flagitiosè turpant, ac pro ſacris ethnicos peruersè ſubſtituunt, ingeruntque, agite Auditores, ethnicorum quoque hominum documentis præualidè modò pulſentur, vt ijs ſaltem perſtricti, ſuam demum nequitiam introſpiciant, diſcantq; ſemel erubeſcere. An Epicteti *a* Philoſophi placitum exquiritis? Cenſet is riſum mouere, rem eſſe vulgarem, detrahere perſonæ venerationem, eamq; deſpicatui exponere. Catonis *b* ſenioris opinionem poſtulatis? ſtatuit is eos, qui ridiculis ſtudent, in ſerijs videri deridendos. Ariſtotelis *c* oraculum deſideratis? decernit is ſcurrilitatem ingenuo viro minimè, ne dũ Oratori, congruere, eosque, qui facetijs alios oblectare curant, pro ſcurris putandos. Vultis præterea Demetrij Phalerei *d* ſcitũ? Præſto eſt. cuncta, quę ſcurrilitatem redolent, aptiora mimis

a *In Enchiridio cap. 49.*
b *Apud Plutarchum in Apohthegmatis.*
c *lib. 3. Rhet. cap. 20.*
d *Partic. 85. apud Panigarolam.*

Digitized by Google

mimis affirmat. Vultis M. Tullij Ciceronis a ſententiam? ad manum eſt. quouis ſcurrili loco, aut mimico ſeuerè interdicit Oratori. Vultis deniq; Fabij Quintiliani b effatum? in promptu eſt. ſcurrilem dicacitatem, & ſcenicam perſonę Oratoris alieniſſimā aſſeuerat. Itane verò, æquiſſimi Iudices, Ethnici etiam Rhetores ciuilem quoq; Oratorem omni ſcurrilitate omnino prohibent; vrbani autem iſti declamatores eā ne a ſacris quidem Cōcionibus abſtinebunt? profani Philoſophi Chriſtianæ diſciplinę penitùs etiam ignari, facetias, & iocos honeſto viro conuenire negant; & iſti Cæleſtem Chriſti Domini legationem in ſacro ſuggeſtu obeuntes, huiuſmodi illicia hilaritatis, riſusq; irritamenta in ipsâ quoq; diuini Euangelij prædicatione adhibere, ac frequentare nil penſi omnino habebunt?

257 At enim, inquiunt, his condimentis, & ſalibus homines deliniti, ac proleƈtati, Conciones libentiùs audiunt, certatim ad eas cōfluunt, auditoria, & Templa tota paſſim referciunt. Non abnuo, vltroq; fateor. Sed quid tum poſtea? Multo libentiùs quoq; viri, fœminæque profanas Comœdias, Hiſtriones, Circulatores, & Mimos audiunt, ſpeƈtantque, quin etiam ſtrenâ non illiberali donant, agminatimq; ad eos conuolant. An igitur continuò & Concionatori integrum eſt, iſtorū artibus Auditores perlicere, atq; ineſcare? Minimè gentium; ſiquidem finis ipſi propoſitus

a lib. 2. de Orat. b lib. 6. cap. 4.

poſitus eſt, non ſolùm vt cupidè, ſtudioſeq́; audiatur, ſed etiam vt cum bonâ Auditorum fruge, ac fructu diuinam ſementem faciat. At quis neſcit, quanto propenſiore voluntate homines operam nauant, aureſq́; præbent facetijs, ac iocis, tanto magis a rebus diuinis auocari, harumq́; in faſtidium adduci? quis ignorat Concionatorem ipſum ſalsè dictis, vrbanitatiq́; indulgentem illico euileſcere, leuem, vanum, futilemq́; reputari, infimum, & deſpicatiſſimum reddi? cui non compertũ, animum, qui facetijs oblectatur, turpiter, vt monet *a* S. Chryſoſtomus, effeminari, inſtabilemq́; euadere? magnam item *diſſolutionem*, vt idem ſcribit, *inhabitare mentem faceti; pietatem* autem *illius fugatam, timorem exterminatum?* quis non intelligit, *plerumq́; fieri ſolere*, *b* S. Baſilio teſte iam laudato, *vt qui ſeſe in facetijs occupant, ij rectam rationem deſerant?* quis nõ agnoſcit, iocis *omnes grauitatis, ſeueritatisq́; neruos*, vt iam ex eodem *c* Baſilio memoraui, funditus *elidi?* quis non videt, *rem iſtam*, vt ex *d* Chryſoſtomo iam recitaui, *paraſitorum eſſe, mimorum, & ſaltatorum?* quis hinc non colligit, quum adeo deſpectus, contemptusq́; vulgo fiat, qui facetijs, iocisq́; vtitur, quacunq́; facultate, ac vi perſuadendæ veritatis, abſtrahendiq́; Auditores a vitijs neceſſariò orbari? quis non animaduertit, hanc ipſam facetiarũ nundinationem, *ſignũ eſſe*, vt iam ex Hieronymo audiſtis, *inſipientiæ tam eius, qui loquitur, quàm eorum, qui audiunt?* cui

a *Loc. cit.* b *Loc. cit.* c *Loc. cit.* d *Loc. cit.*

cui non perſpectum eſt, iſtas vrbanitatis delicias ad omnes pietatis igniculos reſtinguendos, rerumq; diuinarum ſenſum de humanis pectoribus radicitus euellendum eſſe planè potentiſſimas? quis deniq; non cernit, etiamſi Concionator facetias, & iocos ſine vllo Auditorum detrimento libare poſſet, quum tamen ex illis inſignis iniuria, grauiſq; contumelia & diuino verbo, & Apoſtolico muneri irrogetur, nefas adhuc omnino ei eſſe, ijs ſacro in ſuggeſtu conniuere?

258 Quare, quum lepôres huiuſmodi, A ſermoniſq; blanda ſalſamenta, & ſalgama ſacris Concionibus & contra ſanctorum Patrum ſanctiones, & contra ciuilium etiam Rhetorũ præcepta, & contra quoq; ethnicorũ Philoſophorũ cõſulta miſceantur, & quidem nullo operæpretio, ſed magno cum Auditorũ damno, meritiſſimò S. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus pronuntiat, nugatores iſtos, ac fabulatores *grauiſſimum ſibijpſis detrimentũ, imò exitiũ afferre, innoxiũq; animarum cruorem, de manibus ipſorũ aliquando requirendum, effundere.* *

259 At quid ego pluribus cum facetis iſtis hominibus diſputo? quid argumentis, & teſtimonijs magnitudinem, enormitatemq; ſacrilegi facinoris eos fruſtra docere conor, quos iam dudum minimè pudet, eſſe nauiter impudentes? Veſtram potiùs opem, Præſules ampliſſimi, fidemq; imploro, vt vnicum remedium, quod ſuperat, veſtrâq; in manu totum

tum

* *Loc. cit.*

tum eſt,gliſcenti in dies magis,latiusq́;graſſanti malo quàm primùm ſtrenuè admoueatis; vt ſcilicet perniciabiles iſtas Concionum corruptelas, *tanquam ſcandala, & fidelium offendicula*,quemadmodum iubet Concilium Tridentinum, *a* ſeriò comprimatis,tamque ineptos, damnoſosq́; Concionatores debitas luere pœnas cogatis;in primis verò ad Cæleſte, prædicandi Euangelij officium prorſus relinquendum,ſicut Concilium *b* Senonenſe decernit, quàm ocyſſimè compellatis.

Concionis prior pars vana, fructusque poſteriori tantùm relictus, grauiter reprehenditur.

260 HOc ego iam prælio ſanè cruento A cum iſtis ludionibus inito, proſpereque,vt reor,confecto tandem defunctus, prætermittere nullo modo poſſum in preſens, Antiſtites ſapientiſsimi, quin aliam inſuper pugnam cum nonnullis Aduerſariorum amicè pugnem, qui etſi calamum quidem, & linguam in Concione a facetijs, iocisq́; cõtentè, ac ſedulò reprimunt, nihilominùs poſteriorem dumtaxat illius partem ſollerti,ſolicitæque perſuadendi curæ, nec non moralibus animi affectibus commouendis,frugiferæque dictioni, ac perorationi ſubſtituendæ impendunt; priorem verò, acuminum intemperantiæ,immodicis,arceſſitisque deſcriptio-

a *Seſſ. 25. decreto de Purgatorio.*
b *Cap. 35.*

ptionibus, ornamentorum luxui, ingenij oſ-
tentationi, inanibus bullis, atque crepundijs
expoliendis, dilatandis, amplificandis, in
maius celebrandis totam liberaliter indulgẽt;
eâ nimirum gratiâ, quemadmodũ prætexunt,
vt ipſos Auditores huiuſmodi indulgentiâ,
ſermoniſq; blanditijs iam captos tempeſtiuè
deinde incitatiore dicendi charactere aggre-
diantur, validioribuſq; armis percellant, ac
feriant. Quâ bibertitâ concionandi ratione,
incredibile dictu eſt, quàm valde iſti ſibi pla-
ceant, atq; in ſinu gaudeant. Putant videli-
B cet, ſe Argonaui, ſecundiſq; ventis Colchos
iam nauigâſſe, aureoq; vellere, vt eſt in fa-
bulis, feliciter eſſe potitos, hoc eſt, perſuaſiſ-
ſimum habent, ſe mirâ prudentiâ vtile dulci
ita miſcere, vt ſimul Auditorum curioſitati
gratificentur, & ipſorum quoq; vtilitati ſer-
uiant, conſulantque; atq; adeo ſuo etiam mu-
neri ſimul cum eximij ingenij laureolâ feli-
citer adeptâ, egregiè vnâ ſatisfaciant; parũq;
planè abeſt, quin idcirco etiam, tanquam de
tenebricoſo quadrandi circuli myſterio cunc-
tis Mathematicorum quoq; ſcientiſſimis hac-
tenus incomperto, a ſe denique prodigialiter
eruto, atq; enucleato magnificè glorientur.

261 Verùm quantopere ij quoq; verſicolo-
res Concionatores, vtcunq; ſibi etiam multũ
blandiantur, magniq; viri vulgò habeantur,
ſuâ opinione fallantur, longeq; ſuo ab officio
pariter diſcedant, nullo ego negotio iam re-
uinco, Patres ampliſſimi. Sed, vt collato pro-
piùs dimicem pede, citiuſq; ad diſceptatio-
nis

nis metam decurram, lubet iam, vnum ex iſtis huc ad ſingulare certamen euocare. Prodeat illico in medium, quicunq; viribus, ingenio, eloquentię pręſidio, cauſſę firmamentis confidit; quicum ego actutum ita diſputo. A In confeſſo in primis eſt, ſi ea, quæ in priore Concionis parte ediſſeruntur, ijs, quæ in poſteriore vtiliter ſunt explicanda, accommodata ſunt, conducuntq; aut opitulantur, illa iure reprehendi non poſſe, nec qui eâ ratione primam condunt partem, idcirco vituperari; ac proinde nullam mihi cum ijs hîc eſſe cõtrouerſiam.

262 Sin autem eiuſmodi ea ſint, vt alteri parti nequaquam ſuffragentur, neque inſeruiant, in vitio ſunt tam illa, quæ inaniter profunduntur, quã ipſi, qui ea fruſtra profundunt. Quid enim moſtroſum magis, atq; abſurdius, quàm ſacram Concionem, Apoſtolicam machinationem a Chriſto Domino ad flagitioſarum arces voluntatum expugnandas inſtructam, Concionatoriq; Legato ſuo creditam, non totam, integramque ad animarũ commodum referri, ſed alterâ tantùm parte eſſe ſalutarem, alterâ verò prorſus inutilem? quid infelicius, quàm ramus dimidiâ ſui parte aridus, dimidiâq; ſolùm viridis? quid turpius, quàm matrona ſupernè pube tenus nuda, infraq; dumtaxat tecta, per vrbẽ incedens? quid ineptius, quàm moriones diſcoloribus tegumentis partim coccineis, partim flauis, vel candidis, ad riſum principibus viris excitandum, induti? quid deformius, quàm

Cen-

Centauri a Poëtis ex hominis dimidio, dimidioq; animalis coagmentati, ex toto planè beluæ, ac portenta? At quis paulo conſideratior non animaduertat, tuam Concionem, dum vnam eius partem incaſſum omnino prodigis, nihil aliud reipsâ eſſe, quàm bifurcũ ramũ, hinc præ acuminũ grandine, cultusq; A munditijs retorridum, ſterilemque, illinc ciendi affectus contentione humeſcentem, ac viridantem? quis non indignetur, ſacram Orationem, honeſtiſſimam omnino matronam, dum eam ab initio ad alteram vſq; partem argutijs ſenſiculorum, Academicis leporibus, curioſitatis illecebris pudore nullo proſtitutis, fœdè admodum abs te nudari, omniumq; oculis, velut meretriculam, exponi; poſtremâ autem laciniâ tantummodo, ſeriæ dictionis amictu verecundè velari, atq; ad honeſtatem rite componi? quis non effusè rideat, quum te ſacro in ſuggeſtu priùs leuiſſimum Declamatorem agere, deinde grauem Concionatoris perſonã induere, inſtarq; morionis, aut ſannionis dimidiatim candidatum, dimidiatimq; pullatum, delicatarum B nugarum liguſtris inalbeſcere, ſimulq; inexpectatæ ſeueritatis vaccinijs liuere derepente, C perſpicit? quis ſecũ nõ reputet, quum priorem partem per floridarum deſcriptionum, blan-D darumq; venerum amoena prata, aſturconis more, ſpatiantem, cum poſteriore in hominis reſipiſcentis formam deſinente, conglutinare niteris, a te non tam Concionem, quàm Centaurum, ex equinâ, humanâq; ſpecię con-

conflatum,ex toto monſtrũ biforme,immane, atq; inſanum, quale nulla gignit,neq; vnquã genuit, aut vidit Africa, procreari ?

263 Sed leuene flagitium tu putas, maiorẽ Cõcionis partẽ fruſtra cõterere, Auditoresque magno fructu,quẽ ex eâ, quando vtiliter pertractatur, hauriunt, fraudare ? Id enimuerò quoniã iſtorũ vulgo,vt par eſt,nõ ſatis liquet (date mihi, quæſo vos, Patres grauiſſimi, modò hanc veniam, vt imagine, atque, exẽplo paulò ſanè humiliore, ac ferè ridiculo, veſtriſque auribus minimè digno, at pernicioſæ iſtorum corruptelæ internoſcendæ, ridendæq; per quàm appoſito, ac penè neceſſario, tempeſtiuè in præſens vti per ſingularem veſtram humanitatem mihi integrũ ſit) quoniam, inquam, hanc, de qua modò conqueror,peruerſitatis grauitatem dimidiati iſti Concionatores necdum intelligunt; tu ſanè, qui eâdem oberras chordâ, omni ientaculo, prandio, merendâque abſtinere; ac veſpere tantùm cœnare, neq; integram cœnam, ſed cœnulã dumtaxat, & quidem terreſtrem, ſine illo obſonio, vt ſolemnibus ferijs eſurialibus fieri conſueuit, libare cogendus omnino eſſes; tum enimuerò latrantis, reclamantiſq; ventris tumultibus, cruciatibus, & ſupplicijs, tuo malo diſceres, ac fatereris, vitam corporis, tam pauxillo cibo ægrè admodum ſuſtentari poſſe, imò ne diu quidem poſſe, ſed breui, neceſſarioq; abrumpendã. At ſimul etiam agnoſceres tandem, quantum nefas a te contrahatur, quum Auditori nullas dapes in priore A

parte, tanquam in primo miſſu, quæ caſti-
gandis moribus vſui ſint, præbes, ſed cunc-
tas ex fumo ſolùm, & aurâ vanitatis coag-
mentatas ingeris, quibus animus ipſe nō pa-
ſcitur, ſed acriore fame idonei, ac robuſti cibi
torquetur; tamq; exiguâ ſalutis eſcâ ſecundæ
tantū menſæ appoſitâ, vita animæ ipſius refo-
B cillatur. Quū autē, ablegatis primæ partis le-
uidenſis, apiniſque, incipis in alterâ ſeriò lo-
qui, venaſque, & arterias ægrotantium ex-
plorare, apta remedia præſcribere, edulia ac-
cōmodata febrientibus prębere, tū quicunq;
C diuini pabuli inediâ penè confectus eſt, de
malignâ tuâ caritate, immaniq; ambitione
ſic meritò tecum expoſtulat. Cur huiuſmodi
candido vitæ pane me in priore etiam parte
nō refeciſti? cur frondibus dumtaxat, & gryl-
lis in eâ me aluiſti? cur tam modicum lauti
cibi mihi in fine conuiuij ſolùm diſpertis, nō
ad explendam, ſed ad laceſſendam famem?
cur, vt tuo genio indulgeres, opiparoque elo-
quentiæ epulo tuam ſaginares ſuperbiā, ani-
mo me linqui, & concidere paſſus es, vixque
in poſteriore parte nonnulla opimæ dapis
fruſtâ mihi porrigis, quando ſtomachus præ
immodicis tuorum acuminum, leporumque
bellarijs faſtidij plenus, atq; indignabundus,
viribus ſeſe ad ea digerenda defici planè ſen-
tit?

264 At parum eſt priorem partem fruſtra
abs te impendi; quid quòd poſteriorem quoq;
nullo ferè operæpretio itidem perdis? Nam
vbi tu primam infructuoſam prorſus ex tuo

ingenio

ingenio declamitâſti, quid, obſecro, tandem emolumenti, quid commodi ex alterâ poſſis exprimere?nihil omnino. Vt enim peruicacẽ ſceleſti hominis animũ frangas, ſubigaſque, quàm multâ impreſſione opus eſt? quàm exaggeratis rationibus? quàm perſpicuis documentis? hæc verò vt probè explanentur, affiganturq; Auditori, vt vehementer augeantur, extollantur, amplificentur, quantum temporis interuallum requirunt? quantum ſpatij? quantũ moræ? At maiore Concionis parte iã abſolutâ, in alterâ quàm parua temporis vſura tibi reliqua eſt? quàm exigua intercapedo? quàm magnę anguſtię? quo pacto igitur tã breui temporis veſtigio multiplices amplificationes, quæ ad veritatem Auditori perſuadendã ſunt neceſſariæ, laxumq; ſpatiũ omnino exigunt, fabricabis? quomodo dilatabis argumenta? quomodo, quæ ſunt inuoluta, euolues? quomodo, quæ aſpera exiſtimantur, emollies? quæ obſcura, illuſtrabis? quæ implicata, explicabis? quæ aduerſa, reijcies? Deinde, etiamſi ſpatium temporis ad dicendum abunde tibi adhuc ſuppeteret, quũ tamen Auditores ipſi tuo illo tam aſſiduo, ſpiſſoq; acuminum, acroamatumq; Academicorum imbre, quem priore parte effudiſti, iã fatigati, ac delaſſati, ingenti aurium ſatietate teneantur, nauſeabundiq; te concionantem auſcultent, ac finem Concionis valde impatienter expectent; an ita inconſultus, omnibuſq; conſilijs præceps, & deuius es, vt non cernas, ex ſuperuacuo te, quò tales Auditores A B

ſto-

ſtomachabundos tuā in ſententiam trahas, laboraturum ? fruſtra fore tuos omnes conatus?cunctam operā,oleumq́;tibi omnino periturum? nū adeo hebes, vt neſcias,quoties Auditor ſatietate defeſſus dicenti operam nō dat,neq; animum attendit,nec quæ loqueris, combibit; licèt cunctas eloquentiæ opes, ac neruos adhibeas, tamen perinde planè eſſe, ac ſi mortuo coquas cœnam,aut ſurdo fabulā narres, vel ſaxis verba facias ?

265 Sed age, fac etiam Auditores nullâ ſatietate affectos, nullo tædio victos, ſed alacres, vigentesq́; animis, & corporibus aures,ac mētes ad tua dicta admouere;qualis, rogo, demum erit tota iſta tua Concionis poſterior pars ? quâ firmitate ? quo robore? quo rationū pondere ? Nonne vniuerſi Rhetores ſacri, & profani etiam ſanciunt, argumenta,mores,atq; affectus e cauſſæ viſceribus eſſe eruendos? Exploratiſſimum eſt. Tu verò tótâ primâ Concionis parte, quid agis? quid moliris? de conformandis moribus nihil ſolicitus, Academicis dumtaxat quæſtionibus, curioſis interrogatiunculis, otioſis diſceptationibus, inanibus fulgetris ingenij enodandis, emedullandis, euiſcerandis anxiè ſtudes, ac totus vacas ; Cæleſtis verò diplomatis, ſanctorumq́; Patrū ſententias vix primoribus labris attingis, valdeq́; etiā rarenter; contra autem deſcriptiones & intempeſtiuè arceſſis, & nimis expandis, & longo ſyrmate ſine modo circumducis, rerumq́; exilium identidem non verò amplificationes, quàm neceſſaria ope-

roſe coagmentas. At quid, oro, rationum, quid morum, aut affectionum ex his, & ſimilibus tuæ Concionis non firmamentis, ſed nugamentis tu vnquam elicias? muſcas quidē ex huiuſmodi muſcarijs, & apinas ex pictis iſtis ineptijs, atq; intemperijs educes affatim, rationes autem, mores, vel affectus minimè. Nam perſuaſionis hæc inſtrumenta, quæ in alterâ parte ad motus miſcendos, arietandāq; voluntatem ſunt expromenda, præaltis, ſolidisq; amplificationum fundamentis in primâ parte iactis omnino indigent, quæ vbi deſunt, quis non intelligit, & illa quoq; neceſſariò vacillare, lapſabunda euadere, ac ruinæ proxima, tandem ad ima præcipitari? quis non videt ſimillima ea eſſe agreſtibus caſis, ac mapalibus, quæ extemporali operâ ſine ſolo ędificata, vel leuiſſimo auræ flatu difflantur? quis non experitur turbellas illas, quæ ſine præuiâ apparatione in poſteriore parte agitantur, eſſe tenues quaſdam animi commotiunculas tantummodo, quæ, inſtar Martij Solis vapores elicientis quidem, ſed non cōcoquentis, aut diſſipantis, mox ſine vllo planè fructu tepeſcunt, langueſcunt, euaneſcūt? Nimirum, quum diu multumq; habenas puerilibus fabulis, ac iocularibus in primâ parte laxâſti, vtcunq; deinde in alterâ vocifereris, vtcunq; te agites, vtcunq; Numen, & ſuperos inclames, nūquam ſceleſtum vllum, præſertim ex ijs, qui malitiæ ipſi iam dudū coaluerunt, ad frugem corriges. Si enim priorē inutilem condidiſti, fruſtra ex poſteriore vl- B

 lum

lum fructum tibi polliceris.

265. Sed quid ego de inanitate tuæ primæ partis conqueror, quum ea alteri non ſolùm minimè proſit; ſed etiam plurimum obſit? Quantum enim ponderis ad perſuadendum habent Oratoris mores, prudentia nimirum, probitas, & beneuolentia? quantum virium? quanta hinc auctoritas dicenti comparatur? quanta exiſtimatio? quanta animorum flectendorum poteſtas? quem veſtrum fugit? quâ liquido hoc ipſum dudum antea iam docui? At, dum tua Concio ſtatim initio, ornamentorum luxu, velut meretricula, intemperan-
A ter exculta, Academicis floribus cincinnata, Poeticis argutijs criſpata, Ethnicis doctrinis ceruſſata, peregrinis acuminibus calamiſtrata, putidæ oſtentationis, atque affectationis purpuriſſo oblita, ab Auditoribus conſpicitur, totoq; ferè prioris partis ſpatio cunctorum auribus lenocinatur, non animaduertis, homo inconſulte, his tot, ac tam fœdis eloquentiæ ſacræ adulterijs grauiſſimo Concionatoris nomine, atq; officio te actutum exui, abdicarique; ex aduerſo autem ſcholaſticum declamatorem, quid declamatorem? imò ſaltatorem, circulatorem, Hiſtrionem, ac mo-
B rionem te ab omnibus, quibus cor ſapit, iure optimo cenſeri? non vides tam probroſis notis te inuſtum, extemplo omni penitùs auctoritate apud cunctos orbari? non intelligis, ita contemptum deſpectumq; ſi perſuadendi prouinciam in alterâ parte auſpiceris, omnem operam te eſſe luſurum?

266 Quid quòd totus iſte tuæ eloquentiæ apparatus, etiamſi auctoritas integra adhuc tibi conſtaret, nihilominùs cuncta perſuadendi præſidia ſufflaminat, præpedit, euertit? A
Quid enim? nemini dubium eſt, quin multo calore, & ſiccitate, vt lignum viride, multoq; humore imbutum accendas, priùs ex præparato ſenſim tibi arefaciendum ſit; inſigniteque delirares, ſi contra multâ niue, geluque illud conſterneres, vt palàm eſt. At quid, obſecro, Auditores ipſi, qui tuæ interſunt Cõcioni, ſunt, niſi quędam materia diuini amoris igne plerumque expers, affræniumq; viriditate appetitionum, nec nō terrenorum madore cupiditatū valde vda, atq; vliginoſa? Tu verò politule Orator, vt huiuſmodi Auditores ita vdos, vliginoſosq; Cęleſtis amoris facibus in poſteriore Concionis parte inflammes, quid meditaris? quid conſilij capis? multâ niue, glacieq; frigidiſſimorum verborum, & ſententiarum, multo rore, & pruinâ niualium acuminum, gelidorumq; ornamentorū antea in priore parte eoſdem Auditores penitùs obruis. O imprudentiam! o peruerſitatē! o imperitiam! Et quæ, rogo, præparatio ad ignem eliciendum magis prępoſtera eſſe queat? Hæc certè ignem nunquam faciet, ſed factum extinguet, ac, ne porrò concipiatur, prohibebit. Nam vbi priùs luſiſti, ceciniſti, nugatus es: clamita deinde, vt lubet, quiritator, vt lubet, ede ſuſpiria, vt lubet, perſtrepe quocunq; modo, luge, vlula, vociferator, vt lubet; nihil tamen proficies; neque ingentis

(margin letters: B, C, D)

tis illius molis niueæ, quâ totam primã partẽ, cunctoſq; Auditores operuiſti, vel minimam particulam, ne dum cor induratum, vnquam liquabis, aut mollies. Miſeri illi, vide, præ frigore pietatis penè obrigeſcunt, animamq; agunt; vt autem incaleſcant paulatim, ac reuiuiſcant, flagrantiſſimo æſtu, ſummoq; feruore indigent; tu verò niue geluq; vndique eos circundas, ac tumulas. Et poteſne magis abſurdè rerum naturam inuertere? Illic niue frigidior tua conglaciauit Oratio, hîc quo pacto de repente igneſcat? Illic hilaritati dediſti operam; hîc quâ ratione lacrymas exprimas? illic ioculariter egiſti, hîc quomodo Catonem induas? Non cernis inter tam diſſentanea, ac diſparata implacabilem ſimultatem, æternam, ac manifeſtam pugnam?

267. Quod ſi neque dum reſipiſcis, dic, quæſo te, ſi Mimum, aut Comoedum, abiectâ laruâ, a ſcenâ, ac theatro diſcedentem, ſumptâ improuisò Concionatoris perſonâ, ſacrum ſuggeſtum ſcandere, magnâque contentione Chriſti Domini cruciamenta, quò homines ad expianda ſcelera impellat, quibus paulò ante multum riſum excuſſit, ingeminare, ac perſonare tuiſmet oculis conſpiceres; quid tibi de verſipelli hoc ludione videretur? haberesne illi fidem? ſcilicet. Lacrymas effunderes? nihil minùs. Dederes te illi? Fabulæ. Quid ni verò? Nempe quòd natura ipſa vnũquemq; doceat, contraria effecta a contrarijs cauſſis proficiſci; atque adeo, quum ille hiſtrio in proſcenio multam riſus ſementem ie-

cerit, nõ poſſe eum illico poſtea ſacro in ſuggeſto lacrymas, ſed riſum dumtaxat metere. Haud ſecus pariter, & multo magis, quum tu, in priore Concionis parte Academici ſtyli, euanideq; eloquentiæ algidâ pruinâ cunctos Auditores circumfudiſti, integrum tibi deinde non eſt, continuò poſt eoſdem candentibus prunis perurere ſed ſicut Comoedus a ſcenâ, & riſu ſacrum in ſuggeſtum pergens, non lacrymas, ſed riſum excitat; ita multò magis tu in eodem ſuggeſtu, eodemq; ferè tẽporis articulo a leuitate, ab argutijs, a nugis, ab inanitate primę partis ad alterius grauitatem, atque vtilitatem trãſiens, omnes non ad lacrymas, ſed ad riſum inuitas; ridendumque te etiam atque etiam cunctis ſapientibus, quòd tam pueriliter deſipias, lautè immolas, ac propinas.

268 Fruſtra igitur, vbi priorem Concionis partem temerè conſumpſiſti, de fructu ex poſteriore colligendo, tibi, & cæteris verba das, fruſtra blandiris, fruſtra te ſpe vllâ ſuſtentas. Adde, quod nonnulli ex Auditoribus, abſolutâ primâ parte, ſeu affectato tuo dicẽdi genere fatigati, ſeu aliâ ratione abducti, alterâ parte nõ expectatâ, illico faceſſunt e Templo; atq; ita ſolam vanitatem ex hac tuâ concionandi formâ ebibunt, nulloq; prorſus ſalutis compendio, ſed potiùs nõ leui interdum etiã impendio diſcedunt.

269 Deniq; libenter ego ex tam eruditto, diſertoq; Oratore, ac myſtagogo abditæ ſapientiæ arcana, quæ hactenus ignoraui, iam A

ergo? num, vt hoc tibi aſſentiamus, a normâ concionandi veterum Patrum diſcedendum? num cæteros omnes ſapientiſſimos viros, qui diuini verbi cęleſti planè ſpiritu longè aliter, nunc etiā perſonant, allucinari; tibi verò dūtaxat, qui ſacro in ſuggeſtu nugas operosè agis, palmam diuinæ ſementis faciendæ deberi, ſomniandum? an omnes naturæ leges nobis ſunt antiquandæ, cæcatâq; intelligentiâ, velut obnupto capite, cenſendum, nullū amplius in rebus ordinē ſupereſſe, ſed cuncta prodigijs eſſe referta? num putandum, ſine vllis fundamentis, vel tibicinibus ingens ędificium in aëre pendulum ſtare? nū cogitandū, arbores ſine radicibus frondeſcere, florere, ac fructus ferre? num autumandum, immanes globos ferreos e bellicis tormentis ſine nitrato puluere eiaculari? num fingendum, volucres ſine alis volare; piſces ſine pinnulis, caudæq; motu natare; homines, & quadrupedes animantes ſine pedibus inambulare, & currere, aliaq; id genus portenta ſexcenta adeo inaudita, atq; præpoſtera, cotidie ferè pullulare? Hæc ſanè omnia, & plurima alia nihilo ſaniora, aut venuſtiora, ſi tua iſta concionandi forma improbanda nō eſt, neceſſariò voranda ſunt, & digerenda; ſi quidem mirificam ædem vtilitati animarum dicatam ſine fundamentis in primâ Concionis parte iactis, in alterâ penſilem extare, fructum ex Auditoribus ſine probationum radicibus in illâ fixis, in iſtâ copioſum decerpi; commotionum pręgrandes globos e tubo diuini verbi ad peruicaces uo-

A

B

C

lũntates proſternendas ſine nitrato amplificationum puluere in eâ conflato, incenſoq; in hac repentè exonerari arbitraris; ſolutumq; tibi, ac pronum reris, ſine ratiocinationum alis in priore parte expanſis, confeſtim ad cauſſæ victoriam in poſteriore conuolare; ſine enthymematum pinnis in illâ vibratis, ad portum expugnandorum animorum in iſtâ tranſnatare; ſine pedibus argumentorum affectuumq; in illâ poſitis, aut motis ad palmã perſuaſionis in iſtâ continuò decurrere! o commenta! o deliria!

271 Nimirum, vt monſtrum hoc tuum adeo informe, inuiſumq; reddas vtcunq; vendibile, & plauſibile, cupis ſummopere, & verò etiam neceſſe planè habes, exoticâ hac Philoſophiâ vniuerſum Orbem imbuere, vt certò credat, ad ignem e ligno excudendũ bellè cõducere, vt quis ipſum lignum multâ prius aquâ lautè proluat: niſi enim hoc firmè credat, de tuâ iſtâ bipertitâ concionandi ratione actum penitùs eſt, vt iam oſtendi. At quia huiuſmodi credulitas mera inſania eſt, tuamq; iſtã Philoſophiam adeo cerebroſam, ac ſemiſomnem vel ipſæmet vetulæ focum inſidentes, quæ ignem non aquâ, ſed aridis ſarmentis accendi, abundè nôrunt, iure optimo rident, exploduntque, velis, nolis, fatendum tibi omnino eſt, te contra omnem Philoſophiam, contra omnem naturã, contra vniuerſa Rhetorum effata, contra cuncta ſapientũ oracula incaſſum pugnare, tuamq; ferendi Euangelij normam euanidam, diſtortamq; eſſe prorſus vitio-

vitioſam; ac proinde tanquam animarum ſaluti valde etiam noxiam, de medio quoq; penitùs eſſe tollendam.

272 At ego maiorem in modum, Antiſtites prudentiſſimi, doleo, atq; angor, peruerſam hanc, damnoſamq; concionandi rationem, non ſolùm ab illis, quorum mores minùs probati ſunt, ſed a nonnullis quoq; ex ijs, qui Religioſam vitam viuere, & diſciplinæ ſeuerioris amantes eſſe vulgò putantur (quanquã reapſe tales minimè ſunt) per ſtatos Dæmonis dolos iam dudum fuiſſe arreptam. O Tartaream ludificationem, cruentis planè lacrymis dignã! O ærumnoſam, infelicemq; tot, ac tam nobilium ingeniorum, & virorũ, qui in huiuſmodi decipulum, labyrinthumq; A inciderunt, ac porrò incidunt, conditionem! Scilicet nulla eſt in Terris virtus extra periculum, neq; tam ſolida, cui Auernales ſpi- B ritus ſubinde nõ illudant. Quis enim Dauide ſanctior? quis Sampſone fortior? quis Salomone ſapientior? & tamen hæc quoque virtutum luminaria tam illuſtria tætris illecebrarum tenebris aliquando circumfuſa ſunt, vitijsq; fœdata. Ipſemet humani generis ſator, ac parens Adamus, etſi omni lapide pretioſo ſanctimonię exornatus, nihilominùs ne in Paradiſo quidem a Dæmonis aſſultu, ac fraude tutus fuit, ſed incunctanter ferè, C miſereq; ſuccubuit. Quanto ergo procliuiùs, etiã qui ſe Concionatores, & virtutis cultores, profitentur, ſed fortitudine, ſapientiã, & ſanctitate Samſoni, Salomoni, Dauidi,

Adamoq; longè impares ſunt, ab Infernis legionibus ad diuinæ ſementis miniſteriũ temerandũ impellentur? o vtinã complures hoc veluti magico excantati carmine, ac faſcinati, non adeo tenerentur, vt conſilia omnia de corruptelâ emendandâ, preces omnes, officia, atque admonitiones tũ ab amicis, tũ a moderatoribus interpoſita negligant omnia, omnia etiã repudient ac ſpernant! Nolunt ſcilicet hi, in fraudẽ blãdè deducti, intelligere, nolunt ſibi ꝑſuadere, ſe vehementer decipi, atq. in vitio eſſe. Et quia nõ deſunt ijs palpatores, qui aſſententur, amore ſui occæcati, cęciſq; a ducibus laudati, pręfractè delirare ſine vllâ remedij ſpe animosè pergunt, ſimulq; pereunt, & Auditores vnà ſecũ perire ſinunt.

273 Cæterùm labes omnis inde deriuatur, quòd iſti ingenio magis, quàm iudicio, præſtant, magiſq; ſui oſtentandi, & gloriæ inanis aucupandæ cupiditate recto a tramite abripiuntur, quàm genuinâ, ac defæcatâ virtute obnitantur: atq; adeo tenuiore, imbecillioreq; ſpiritu præditi ſunt, quàm vt refractariam intelligentiam, impotentemq; ambitionem compeſcere, diuinoq; amori, & caritati proximorum ſubijcere queant, aut potiùs, ſi verum ſine fuco audire non grauantur, ſyncerè velint. Vnde non obſcurè liquet, eorundem virtuti multo plus coloris, qui oculis facilè imponit, quàm ſucci ineſſe. O ſi coram Deo, & Ieſu Chriſto ſeriò aliquando in te ipſum deſcenderes, tuæq; conſcientiæ latebras omnes ſedulò ſcrutareris, quàm de

ſu-

ſubito perſpiceres, exiguitaté tuæ Chriſtianæ humilitatis, ingensq; deſiderium tui nominis celebrandi intus exæſtuans, ipſiſſimam eſſe cauſſam, cur tam inutiles, uanasq; Conciones habeas, nec diuinæ cõſulas gloriæ, plurimasq; animas in æternum ruere, ac interire patiaris. Eia, flecte ſemel ante Crucifixum Redemptorem tuos poplites, eumq; interroga, an ipſi tua iſta concionandi ratio placeat? an ipſe, vel Apoſtoli eam adhibuerint? num per eam grauiſſimæ tui muneris obligationi ſatisfacias? an efficacia, & præſentanea remedia Auditoribus tuis ægrotantibus, ac pleriſq; ſcelerum conſcientiâ tæterrimè extabeſcentibus præbeas? Hoc ſi tu periclitatus fueris, quauis ſponſione tecum certare auſim, te repentè in diuino conſpectu Reum conuictum, confuſumque flagitij turpitudinem, ac perniciem tandem agniturum, deincepsq; impensè, ac ſedulò vitaturum.

Circulatorum naturalis Oratio valde potens cum inani elegantis Concionatoris comparata.

274 QVid poſtremò, Patres ampliſſimi, de innumeris alijs ſacræ eloquẽtiæ erroribus, ſuperſtitionibus, & piaculis ſupinis, inſubidis, intolerandisq; deplorem? A o calamitoſam Chriſtianæ Reipub. vaſtationem! ó Chriſti Ieſu ſanguinem impudentiſſimè temeratum! O animarum curandarum ſpes irritas, atq; abſciſſas! Itane verò? lepi-

da iſta capita, quæ tot modis Conciones affligunt, tot tantorumq; hominum depoſitam pene ſalutem blandulo dumtaxat Orationis tinnitu reparabunt? Quid? vt inueteratum ſcelerum mancipium ſoluas, vt mollias, vt frangas, quod, rogo, ferrum; quæ, oro, machinamenta ſufficient? Rotas in orbem in-
A flammati ſermonis acinacem, ancipitemq; cæ-
B dentis ſtyli machæram? minimum eſt. Exoneras maiora tormenta? exiguum eſt. Affectuum terribiliora edis tonitrua? Parum eſt. Terra ipſa, vt momento dehiſcat, conceptis verbis a te adigitur? Adhuc parum eſt. Ipſi Manes e Tartaro euocantur? Non eſt ſatis. Dæmonum horrenda cientur monſtra? Nec dum dat manus. Peccati fœditas dirâ imprecatione defigitur? Gehennæ timor incutitur? amor honeſtatis excitatur? turpitudini inuidia conflatur? Cælum deducitur? Beatorum agmina inclamantur? Supernæ, Infernæq; regiones ſurſum, ac deorſum miſcentur? moles Orbis vniuerſæ ſuis emouetur ſedibus? omnia ultro, citroq; agitantur, ac reuoluuntur? Nihilominùs ſceleſtus ille adhuc immobilis, impauidusque cunctas has molitiones pertinaciſſimè irridet. Et tam ulceroſos homines, tam purulentos, tam marcidos (quot autem, & quàm multos, Deus immortalis!) phalerati iſti Cócionatores ſuâ Oratione politulâ, feſtiuâ, laciniosâ, argutulâ, acuminibus fartâ, cirris infuſtâ curari poſſe, & perſanari exiſtimabunt? o ueſaniam hominum! o ſtuporem! Vrbis præualidæ mœnia

nia diu oppugnans miles, ſi denſos e chartã globos ad ea demolienda exploderet, quæro, maiorene aerem bombo, an ſtolidi opinione cōſilij animos omniſi perculleret? At ecce tot Auditores in flagitiorum obſtinatione, patrocinioq; quibuſcunq; muris firmiores. Si igitur tua Concio leuibus dumtaxat argutiarum, leporumq; bullis intumeſcat, eâq; prædūros, ferreoſque illos capitones nitaris proſternere, nonne tanquam emotæ mentis circulator, omnium cachinnis excipiendus es?

275 Fallor, grauiſſimi Præſules. Quin imò uidete, quid auſim pronuntiare. Mentior, niſi Circulatores ipſi de triuio multis ſacris, profaniſq; huiuſmodi Oratoribus longè neruoſiùs perſuadent. Vim, robur, atque potentiã eloquentiæ ab ſolâ ipsâ naturâ, nullo artis præſidio ſuppeditatam cogitatione, quæſo, luſtrate. Quum riſum ludij illi circumfuſæ plebeculæ uolunt excutere, decorum per quã religioſè obſeruant. Tum enimuerò quia ad mouendum riſum nihil hiſce nugamētis aptius eſſe poteſt, acumina, ſcommata, dicta, ſales pleno ore, & concrepantibus buccis effundunt; his ſalſamentis Orationem condiunt, hos aſſibilant ſonticulos, his iocis laſciuiunt. At quum nimis iſtis facetijs, aliquid seriò cupiunt perſuadere, quum crumenas pecuniã meditantur emungere; tum profectò ſermonis mutant genus, tum aliam induunt perſonã, tum uires omnes in id unum cogunt, in hoc uno curã omnem, atq; ſolicitudinem figunt. Videte, quæſo, ut explicato leniter ſtylo ſta-

tim

tim vtantur. Attendite, quàm appoſitè exordiantur. De morbis ab hominum corporibus depellendis nimium quantum ſe anxios eſſe demonſtrant, Auditorum valetudinem ſibi vitâ ipsâ eſſe cariorem, ſi non peierant, certè
C iurant; pharmaci, & cataplaſmatis quoddam genus pretioſiſſimum ad omnes morbos penitùs curandos ſe attuliſſe, id ſibi Crœſi ga-
D zis omnino conſtitiſſe; ſe tamen perexiguo admodum pretio illud velle potiùs in Ciues optimos, ſibiq; cariſſimos gratis profundere, quàm vendere, modeſtè, liberaliterq; ſignificant. Hæc vbi quàm placidè expoſuerunt, artificiosè confirmationem adiungunt. Her-
E barum omnium nomina, omnia amuleta,
F omnes antidotos, omnia cerata, omnes ſuf-
G fitus, omnia malagmata, ex quibus illud medicamentum confectum eſt, religioſiſſimè enumerant, ſingulorum vim, pondus, pretiũ, locum, vbi naſcantur, quî explorentur, adulterentur, corrumpantur, aſſeruentur, diligẽter enucleant. Miros deinde affectus eliciunt, mores quàm accommodatè exprimunt, mox plurima, & prodigioſa teſtantur experimenta. In his regnant, his dilatant argumentũ, his lacinias orationis latè diducunt. Genus omne teſtium longo agmine recitant. Se vniuerſę Italiæ vrbes peragrâſſe iactant, vbique mira quædam portenta, ne dicant, miracula, a ſe magno omnium ſtupore patrata. Hos, illosq; Principes, quos proprio appellant nomine honorificentiſſimè; a quibus ſe lautè acceptos, humaniter tractatos, munificè do-

natos, ægerrimè dimiſſos, propoſitis ampliſſimis ſtipendijs ad eorundem inuitatos obſequium, ſolo tali remedio valetudini iam funditus euerſæ, a ſe reſtitutos gloriantur. Quot Duces, atq; Dynaſtas; nobilium virorum, & feminarũ quantã vim, quos videlicet omnes a certiſſimi interitus faucibus, tanquam rediuiui Æſculapij, atq; Chirones eripuerint, H expeditè nominant?

276 Quid plura? Ipſimet etiam mira quędã, curioſaq; prodigia omniũ ſubijciunt oculis. Quoties enim, Auditores, circumforaneus aliquis ludio a cunctis ſpectatur in foro, qui viperam lacertis, quos extemplo nudat, admouet, venenatoq; illius morſui vltro ſe carpendũ præbet? Nec mora. mordetur, liueſcit, A nigreſcit, intumeſcit, mox e pyxidiculâ medicato oleo, vel pharmaco deprompto vulnus B linit, faſciâ obuoluit, quieſcit aliquantiſper; & ecce dicto citiùs euoluit, explicat, extrahit, cũ omniũ admiratione curatum, integrumq; omnium oculis exponit. Hîc verò ſpectatores cuncti, experimenti tam monſtroſi faſcino excantati, fidem habere præſtigiatori, iamq; de eo pharmaco coemendo ſecum deliberare, iam manus in ſacculum marſupio aperiendo demittere. Motũ hunc notat cõfeſtim Circulator aſtutus, atq; illico longã immanium, & carioſorum dentium compluribus euulſorum ſeriem æreo contextam filo, tanquam balteũ, C aut torquem de collo, altero exerto brachio, ſuſpendit; cũ luculenta quædam de perâ profert diplomata, quibus quã difficiles morborũ

cura-

curationes ipſe tentauerit, feliciterq; perfecerit; quot ſibi, & quanti, quàm inſignes ob illas honores decreti ſint, atq; habiti, validiſſimè perſuadet. Argentea demum, aureaq; numiſmata de aureis torquibus pendula, in dignitatis ſuæ monumentum ſibi largita oſtendit. His populus mirè aſſentiri, credere, capi, penè ſe dedere. Tũ verò catus nugator non ſe deſerit, maiore adhuc opere, acriore adhuc contentione affectus intorquet. Nunc Auditores, nunc muta ſaxa, nunc Cęlum ipsũ alloquitur. Modò Cælites omnes aduocat, rogat, obteſtatur. Deinde vociferando incenditur, rubore quodam igneſcit, ſudore diffluit, atq; langueſcit. Ad poſtremum adeo ſtrenuè, feruideq; perorat; ita nuturali quadã eloquentiâ tantùm lenocinante ſpectatores infatuat, vt vel ſapientibus etiam imponat, ac pleroſq; eorũ graues, atq; prudentes ad, neſcio quæ, terræ eiectamenta, ad, neſcio quos, paſtillos præſenti pecuniâ mercandos adigat, calcemq; iiſdem pro theriacâ, pro balſamo picem, pro thure reſinam nõ minùs improbè, quàm dexterè diuendat.

D E F G

Ludicri, & quæſtuoſi Circulatores multo valentiùs, quàm corrupti Concionatores perſuadent.

277 TAntũ ſcilicet habet ſpiritus, & verò longè etiã plus viriũ eloquentia, naturæ ſolùm impetu fuſa, rudis quoque, ſed non vitiata; quàm expolita ſubtiliùs, ſed popu-

populari auræ captandæ turpiter mancipata. Iam mihi huius facultatis, huius cõtentionis, & roboris exemplum vnum, quod in Circulatore vidimus, aut ſaltem veſtigiũ aliquod in vnguentatis Cõcionatoribus, ſi licet, reperite, Auditores. Fruſtra indagabitis, fruſtra quæretis. Nam vt in exordio iſti ludunt, ſic narrando ludunt; in confirmatione ludunt, in epilogo itidẽ ludunt. o probra! o dedecora! An quicquam execrabilius dici poteſt? Itane verò? vaniloquus Circulator naturali illo A ſermocinationis ductu plus pecuniarum in viliſſimarum rerũ ſumptum exprimet, quàm fucati Concionatores, ſuâ illâ ceruſſatâ acuminum, ornamentorumq; affectatione in pauperum eleemoſynas, ſtipemq; Chriſtianis B ab Auditoribus, fruſtra etiam per inæſtimabilem Ieſu Chriſti ſanguinem exoratis corrogare poſſint? C Ille modici lucelli gratiâ, adeo vilis, adeo abiecti impotenter raptus D tantopere exardeſcet; iſti, vt animas omnibus pretioſiores ærarijs, Cælo, Terraq; ſuperiores ab æterno Patre tam carè, vel proprij Filij emptâs, & redemptas interitu lucrentur, nihil commouebuntur? nihil afficientur? & licèt omnino pereant, nullâ tangentur ſollicitudine? o tempora! o monſtra! Ita planè in vſu poſitũ eſt, Auditores. Quæris lucri, quamuis tenuis, & contemnendi incitata cupiditas omni iſempiterni, quæſtus ioculari procuratione potentior.

278 Dicam aliquid amplius, & dirius. Gratum ego, ni fallor, nuntiũ contaminatis

qui-

quibuſdam hominibus ſũ allaturus. Plerique enim ſacra obeuntes Templa, ſceleribus co-
A operti, vbi Sacerdotem Sacris operatum, ab arâ vident recedere; antequàm Concionator ſuggeſtum aſcendat, rectà, atq; præproperè aufugiunt e Templo. Heus vos, gradũ ſiſtite
B lucifugi tenebriones. Quid ita Concionem negligitis? Nolumus, inquiunt, quenquam
C noſtras interpellantem, atq; interturbantem voluptates audire: noſtris intercedentem
D votis non ferimus. Et hæccine Concionatoris deſerendi cauſſa? Iuſtiſſima, aiunt. Atqui ego iam metu iſto vos libero. Redite in Templum, ſocios à fugâ retrahite. Securos vos omnes eſſe iubeo. Omnis pauoris faceſſat ſuſpicio. Concionatorem timetis? Concionatorem iſtum? iſtum, iſtum, inquam, cin-
E cinnatum, criſpulum, limatulum, ex gratiâ totum, & ſuauitate coagmentatum? Alios
(?) fortè iure expaueſcatis, hunc timere nemo poteſt, niſi qui hilaritatem timet, & riſum. Nihil enim ipſo blandius, nihil delicatius. Nolite ab eo expectare, aut metuere obiurgationis tonitrua. Nihil horum audietis. Auſteritatem tam illo odit, quàm gloriolæ amat illecebras. Licebit ſub eius Concionem frontem exporrigere, cum aſſeſſoribus fabulari, vrbanè omnes vltro, citroq; commeantes ſalutare. Homo eſt miræ indulgentiæ, non erit moleſtus. Licebit huc, atq; illuc circumſpectare; licebit negotiorum nexus implicare, ac retexere, licebit tanquam in foro de rebus ludicris, nouis, curioſis miſcere ſermones.
Lice-

Licebit amicam, vel amaſiam fixo oculorum obtutu ferè continenter faſcinare, mutuoq; F ab illâ faſcinari. Ne trepidetis: Concionator eſt indefeſſæ patientiæ. Nullos excitabit clamores, nihil dicet; pergite, diſsimulabit. Licebit vultu ad licentiam, ore ad riſum, oculis ad laſciuiam compoſitis, geſtire petulantiùs. Licebit manu, pileo, nutibus amoris igniculos, tanquã miſſiles quaſdam Adonidis G epiſtolas, iaculari. Licebit Cupidinis quandã ſcholam, atq; palæſtram, tantum auſim vobis de iſtius comitate Concionatoris polliceri, in Templum traducere, atq; inibi exercere. Satis eſt, ſi identidem iucundo aſpectu lepidè argutantem hominem intueamini. H

279 Addo etiam, videte viri facilitatem, Iuditham viduam, Eſtheremq; Reginam tã delicatè, tantoq; minio ab eo deſcriptum iri, nec non pulchritudinẽ ac venuſtatem vtriuſque ita expingendam fore, vt, niſi inſano correpti amoris æſtu iam arderetis, nullo negotio faces ab illo vobis ſubijciendæ continuò ſint; quanto magis, quum iam ante flagretis, veſtros amores, ac flammas nutriet, fouebit, augebit? Ipſa illa Iudithę, Eſtherisq; tam formoſæ deſcriptio, ſi ſapitis, ſi animum aduertitis, paucis mutatis, imò ita integra, nihil uariata, veſtram vobis, quã tantopere deperitis, amaſiam repræſentabit. De vitijs verò veſtris, de animi vulneribus (credite affirmanti: hominem noui) nihil muſſabit: A in acuminibus, atq; argutijs, in leporibus, & gratijs coaceruandis totus eſt occupatus. Nõ

vacat

vacat illi quicquam de veſtris morbis, aut ſalute cogitare. Quanto minùs vos perterrebit? Poteritis tutò in eodem uitæ uoluptariæ luto uolutari; non prohibebit. Si ſtridulum neſcio quid uocis fortè uolet attollere, uix pulicem, uel muſcam feriet. Vos, ſpondeo, non perturbabit. Adeſte impauidi. Dũmodo auditorium nobilibus viris, matroniſq; frequens, fartum, ſpiſſumq; ſit; ſiue illi deinde Concionem audiant, ſiue garriant; rideant, vel obloquantur; tuſſiant, vel turbas cieant, nihil curat, omnes ſuæ eloquentiæ ingentes plauſus interpretatur. Dummodo, quum B ſelecta quædam acumina nundinatur, audientiã ſaltem prę̨feratis, ac ſubinde leniter ſubrideatis, reliquæ poſtea licentiæ omnem vobis indulgebit poteſtatem, omnia piacula condonabit. Etiamſi autẽ Auditorũ tantam turbam in Orcum, ſalute profligatâ, ruiturã videat, dummodo gloriolæ, nominiſq; auctus C rumuſculo diſcedat, fructum opimum ſuâ ex Concione, quem maximè quærebat, ſe retuliſſe gaudebit in ſinu, atq; alijs, ac ſi quis Hercules Orbẽ terrarũ, exturbatis monſtris, perdomuiſſet, cum magnâ ſui prædicatione narrabit. Tempora tempora, quæ hominum portenta aluiſtis? Vtinã uerò huiuſmodi farinæ Concionatores nonnulli cũ ſummâ Reipublicæ Chriſtianæ pernicie non audirentur aliquando, qui tribus perſuadendi inſtrumentis, rationibus nempe, moribus, atq; affectibus flagitioſè abutentes, inſano ornamentorum luxu, effræniq; dicendi intemperantiâ,

rantiâ,

rantiâ, Deo, proximiſq; neglectis, propriæ ambitioni, Auditorum libidini, Dęmonumq; votis ſceleſtè præuaricantur. D

Concionū, Concionatorumq; deprauatio vnde ducat originem.

280 QVæ ſit aliquorum labes Concionatorum tam graui munere indignorum, quæ corruptela, ſatis ad id locorū vidimus, Auditores. Nunc, quo ex fonte huiuſmodi contagio, tantumq; malum fluat, inueſtigemus. Nolo hîc ego eas cauſſas, quas remotas, atq; extrinſecus poſitas vocare poſſumus, ambitionem puta, ingenij ſtuporem, ignauiam, imperitiam, cæteraſq; id genus rimari; ſed eas tantùm, quæ intrinſecus hanc peſtem creare, aut certè de proximo quàm molliſſimè afflare ſolent. Et quantū quidem ad Italicas Conciones attinet, blandum his ab Academicis cœtibus fraudis illicium, magnumq; ab Hetruſcâ poeſi contagionis periculum imminet. Quippe quum in præcipuis ferè Italiæ Ciuitatibus diſertorum conuentus virorum de manſuetioribus plerumque, ac ſuauioribus literis haberi conſueſcant, curioſa, atq; ambitioſa ingenia, quæ ad huiuſmodi ludos, vt ita dicam, Olympiacos, non de curſu, aut ſaltu, ſed de intelligentię laude, ac prerogatiuâ certatura, confluunt, quibuſcunq; lucubrationū, ſcriptionumq; generibus indulgent, ac totos frænos licentiæ, quicquid libuerit, vel inciderit,

inueniendi, venditandique, ad decus, gloriãq; ſibi pariendam, relaxant. Orationes quoque, & Panegyricos texunt, ſed tanto ornamentorum luxu vnguentatos, vt de arculâ totos, A atq; narthecio prompſiſſe videantur. Maximè verò omniũ in iiſdem hiſce cœtibus Hetruſca regnat poeſis, quę quum acuminibus gaudeat, argutijs ſcateat, floſculis niteat, plauſumque, audita libenter, ab otioſis Auditoribus non operosè eliciat, mirum eſt, quantâ voluptatis illecebrâ cunctos detineat. Quibus ego ſanè Academicis tum hominibus, tum exercitationibus nihil penitùs exiſtimationis hîc detractum volo, ſed ſuum decus integrum omnino ſuperare & medullitus opto, & planiſſimè denuntio. Ex his porrò amœniorum literarum cultoribus, qui inter Academicos ſuum profitentur nomen, nonnulli interdũ, rebus mortalibus valere iuſſis, in Religioſa clauſtra ſe ſe abdunt, & quem ſemel Academicum ſtylum, atq; poeticum primitus imbiberunt, ſacris poſtea addicti Concionibus, minimè exuunt; ſed tanto retinent pertinaciùs, quanto laſciuientium Adoleſcentum, leuiumq; matronarum palato gratiorem, iucundioremq; accidere ſibi perſuadent. Quid quòd Religioſi etiam viri Academicis iſtis conuentibus non rarò interſunt: quin aliqui quoq; in Academicorum ordinem cooptari, ſuperiore de loco ſuas & ipſi Academicas habent diſſertationes? Ita fit, vt, dum Academicũ dicendi characterem, Italicæq; poeſeos delicias tanto hîc cernunt in pretio; dum illum,

illum, atque illas tam copioſi proxenetas B applauſus animaduertunt; dum Academicos ſcriptores frequenter legunt, dum Hetruſcos Poëtas ſæpenumero verſant, tractantque, ſtylus pariter Academicus, atq; poeticus iiſdem ferme non ſentientibus paulatim allinatur, domumq; relatus, ſacra quoq; in Templa, & pulpita inepte, ac ſtulte comportetur, deque Academicis Oratoribus, ioculariбus, ac malis peiores euadant, atque exitiabiliores Concionatores.

281 Vnde enim, vnde, qui Poetarum nugamenta in ſacris roſtris denſe conſarcinant; A vnde qui contortulis lugubri in argumento B ſenſiculis intempeſtiuè iocantur; vnde qui ſubtilioribus acuminibus importunè arguta ntur; vnde qui leporibus ſalibusq; vitulantur petulanter; vnde qui arida Philoſophiæ C ſenticeta, peregrinarum arcana diſciplinarum, D remotarū myſteria artiū, acutiora Theologiæ ſpineta inaniter explicant; vnde E qui omnia hinc, atq; illinc ad demulcendas tantùm aures appoſita, ad abſtrahendos verò facinoroſos a vitijs prorſus inutilia, diligentiùs, atq; improbiùs corradunt; vnde, inquā, huiuſmodi phalerati Concionatores, tot ac tam dira monſtra ſacras in ædes inuexerunt? quo ex ouo adeo virulento tæterrimos iſtos F baſiliſcos excluſerunt? Nimirum ex corruptâ Oratorum proſapiâ, ex florido Academicorū ſenatu, ex ludicro Italicorū Poetarum choro. Nam imberbis propemodùm Orator, qui omnes eloquentiæ vires ad vanam popularis

auræ

auræ gloriolam his in Academijs precariò mendicandam hactenus ſemper contendit, in ſacrum deinde Concionatorem tranſcriptus, illico ſcilicet ſupra Chryſoſtomos, ſupra Nazianzenos, ſupra Baſilios, Auguſtinos, atq; Hieronymos, Apoſtolico inflammatus ſpiritu, Apoſtolis penè ſuppar, in ſuggeſtu igneum veluti gladium rotabit eloquentiam; ſtyli maieſtate omnia, omnia lacrymis, ſingultibusq; complebit; uocis uehementiâ, incitatiſſimâ affectuũ perturbatione omnia; amplificationum tonitruis omnia, omnia terrore, atq; eiulatu, tanquam Cælo delapſus quidam Angelus permouebit. Nouâ linguâ, nouo geſtu, nouâ arte, quam nunquam ſomniauit; nouâ exercitatione, quam nunquam attigit; nouâ dexteritate, quâ ſemper caruit; dicet, orabit, perſuadebit. Quæ non didicit, docebit; a uitijs, quibus conniuere ſolitus eſt, deterrebit; ad uirtutem, quam ignorat, impellet. Quid amplius? Nouus quidam ueluti Eloquentię Deus in terris exiſtet.

G At quis adeo antiquus, planeq; excors hiſce deliramentis fidem habeat? Certò igitur apud uos ſtatuite, grauiſſimi Patres, mecumq; uerißimè decernite, de malis Oratoribus longè corruptiores fingi, cudiq; Concionatores. Quum enim probandi, perſuadendiq; forma una, atq; eadem utrisq; com-

H munis ſit, quanquam diuerſam tractant materiam, diuerſoq; utuntur modo; profectò qui argumentis in Oratione non ad probandum, uel perſuadendum, ſed ad frigidorũ acuminũ, ſuper-

ſuperfluorumq; ornamentorũ venditationem abuſus eſt, ijſdem quoq; corruptelis etiam in Concione erit obnoxius: atq; adeo eiuſmodi Orationum peruerſitates, tanquam infectæ, venenatæq; eorum vitiorum, quæ deinceps ſacras in Conciones vel ſenſim irrepunt, vel ſtatim irrumpunt, radices maturè cauendæ, ac præcidendæ ſunt. Cæterùm quæ de Academicis in Italiâ cœtibus, Italicisq; Poetis, ſacrarum Concionũ deprauandarum inobſeruatis quidem vulgò, atq; inculpatis, ſed reapſe magnis, ac perblandis illicibus dixi, eadem vos de reliquarum quoq; nationum ſimilibus conuentibus, vernaculisq; Poetis, ſicubi in vſu ſunt, tantumq; gerunt pellaciæ, ac faſcini, dicta exiſtimate. I K

282 Verùm alius labefactandarum Concionum ſcopulus longè generalior, cunctisq; peruulgatus populis eſt, Auditores, vitioſa adoleſcentũ Rhetoricis in ſcholis inſtitutio. Nã vituperaui hactenus, vt ſub huius principiũ Actionis præfatus ſum, fractos dumtaxat Oratores, atq; Concionatores, qui in cauſſis grauibus, ſerioq; agendis acuminum intemperantiâ, aliorumq; ornamentorum exuberantiâ laſciuiunt: at ipſos dicendi magiſtros, ludorumq; ſcholaſticorum moderatores intactos omnino ſemper reliqui. Etſi enim Aduerſarios meos perſæpe Declamatores nominaui, hoc tamen ego eos nomine nõ ea propter, quòd in ſcholis perperam declamarent, ſed quòd extra ludimagiſtrorum ſpatia, atq; pomœria, in foro quoq; in curiâ, ac in tẽplo, in

cauſſis grauibus, & ſerijs ſcholaſticâ declamandi licentiâ abſurdè debaccharentur, meritiſſimò appellaui. Nunc verò ipſa literaria gymnaſia, ipſa Profeſſorũ Rhetorices auditoria ingredi, ac luſtrare placet. Hos intra
A parietes diſcipulos in leuibus, & ſimulatis caſtris ad ingeniũ periclitandũ, acuendumq; nõnunquam exercere nemo iure ſanè improbauerit, neq; ego, quin cum laude fieri poſſit, inficias iuerim. At eiuſmodi nugis Eloquentiæ Auditores ſemper ludificari, hæc in pri-
B mis infeſta, & carioſa radix eſt, quæ quum Oratores, tum Concionatores offuciarum, atq; apinarum plenos neceſſariò efficit, ac
C ſubmittit. Si enim in Rhetorices exedris nullæ perſuadendi leges, nullum artificium, nulla norma diſcipulis proponantur; ſi nullæ Ciceronis, aut alterius, qui exemplo præire, aut prodeſſe queat, Orationes ab Adoleſcentulis ſumantur in manus; ſi nullæ cauſſæ graues ad imaginem verarũ appoſitè ediſſerantur; ſi contra ludicris tantùm, fictisq; argumentis exornandis iſdem perpetuò detineantur; neq; ad veritatis patefactionem, ſed ad ingenij oſtentationem, non ad finem Oratoris, ſed ad præpoſtera Oratoriæ artis adulteria, ad eruditionis famam, ad nominis ſui celebritatem, ad gloriæ aucupium referre doceantur; quam, obſecro, Orationem, aut Concionem huiuſmodi aſſeclæ illecebrarum, vbi in forum, vbi in curiam, vbi in templum conceſſerint, poterunt architectari, cuius nullam vnquam ſpeciem, nulla lineamenta viderunt? Nimi-

283 Nimirum qui puerilibus dictionis crepundijs in eloquentiæ Gymnaſijs primò ineptire cœperunt, eaſdem poſtea ineptias ſacra quoq; in pulpita transferunt, nec minùs peruersè, quàm fœcundè propagant. Ita quippe vſu, naturæq; illuceſcentis radio compertum eſt, vt quibus primùm in teneriore ætate moribus ſumus informati, eoſdem etiã iam grandiores natu comites habeamus. An igitur adoleſcentior Rhetorices Auditor contaminati ſtyli peſte ſemel correptus, qui aliquot iam annos ſeſe hiſce veluti rudimentis exercuit, futurisq; grauioris operæ lucubrationibus quaſi proluſit; vbi deinde ab adumbratis, luſorijsq; Orationibus, in quibus aurium tantummodò titillationibus ſuum ingenium, ſtylũ, ac vocem fœnerauit; ad ferias, A ac decretorias tranſierit; nõ eâdem oberrabit B chordâ, non ijſdem claudicabit cruribus, nũ eâdem ingenij licentiâ Conciones quoq; inquinabit, ac funditus peruertet? Nempe qui nunquã ferrũ aſpexit, qui ligneis ſemper vſus eſt gladijs, qui pictis tamdiu luſit pugiunculis; repentè in aciem prodibit exercitatiſſimus pugil, peritiſſimus miles, ſtrenuiſſimus belli dux; extemplo Scipio aliquis Africanus ſine dubio, Magnus alter Pompeius omnino, nouus prorſus Iulius Cęſar proſiliet. Qui ad riſum ſemper proritauit, illico ſoluet in lacrymas. Qui hactenus micuit tantùm digitis, ſubitò fulmina, credo, vibrabit. O ſomnia! o deliria! Imò verò qui inertes in Rhetoricæ ludo declamationes diſtortas,

delumbes, atq; inconcinnas fabricare ſolitus eſt; nihilo meliores Orationes, atq; Conciones in foro, in ſenatu, atq; in templis conformabit.

284 Quod etſi abunde hactenus a me oſtenſum eſt, lubet tamen, ad tam flagitioſam deprauationem magis magisq; euerberandam, vel Ethnici hominis Petronij Arbitri, quanquam aliàs valde impudentis, at ne tantâ quidẽ ſuâ impudentiâ huiuſmodi corruptelam concoquentis, aut diſſimulantis, ſed palàm traducentis, explodentisq; documento planè inſigni hoc ipſum validiſſimè confirmare. *Num alio genere furiarum,* inquit, „ *declamatores inquietantur, qui clamant:* Hæc „ vulnera pro libertate publicâ excepi, hunc „ oculum pro vobis impendi, date mihi ducem, „ qui me ducat ad liberos meos; nam ſucciſi „ poplites membra non ſuſtinent. *Hæc tolerabilia eſſent, ſi ad eloquentiam ituris viã facerent; nunc & rerum tumore, & ſententiarũ vaniſſimo ſtrepitu hoc tantùm proficiunt, vt quum in forum venerint, putent ſe in alium terrarum Orbem delatos. Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex ijs, quæ in vſu habemus, aut audiunt, aut vident; ſed piratas cum catenis in litore ſtantes, & tyrannos edicta ſcribentes, quibus imperent filijs, vt patrum ſuorũ capita præcîdant: ſed reſponſa in peſtilentiâ data, vt virgines, tres, aut plures immolentur; ſed mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaq; quaſi papauere, & ſeſamo ſparſa. Qui inter hæc nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quàm bene*

bene olere, qui in culinâ habitant. Pace⁁ veſtrâ liceat dixiſſe, primi omniū eloquentiã perdidiſtis. Leuibus enim atq; inanibus ſonis ludibria quadã excitando, effeciſtis, vt corpus orationis eneruaretur, & caderet. Nondum iuuenes declamatoribus continebantur, quum Sophocles, aut Euripides inuenerunt verba, quibus deberent loqui. Nondum vmbraticus doctor ingenia deleuerat, quum Pindarus, decemq; lyrici Homericis verſibus canere timuerunt. Tandemq; concludit: *Nunc pueri in ſcholis ludunt, iuuenes ridentur in foro, & quod vtroq; turpius eſt, quod quisquis perperam diſcit, in ſenectute confiteri non vult.* Hactenus Petronius e cortinâ prorſus veritatis.

285 Iam quid huiuſmodi cenſurâ, & iudicio, Præſules ampliſſimi, ſapientius, aptiusq; de plerisq; Rhetorices auditoribus, paulò deinde poſt ad concionandi munus obeundū migraturis pronuntiari poteſt? Nonne hi, qui in ſcholâ operam eloquentiæ nauare *rerum tumore, & ſententiarū vaniſſimo ſtrepitu*, perperam dudum iam docti ſunt, reapſe *hoc tantùm proficiunt, vt quum*, non ſanè *in forum*, ſed in Templum *venerint, putent ſe in alium Terrarum orbem delatos?* Nonne hi ex infelicibus illis adoleſcentulis prodierunt, quos ſollers morum cenſor iam appellatus, meritò *exiſtimat in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex ijs, quæ in vſu habemus, aut audiunt, aut vident; ſed piratas cum catenis in litore ſtantes, & tyrannos edicta ſcribentes, quibus imperent filijs, vt patrū ſuorum capita præcidant, ſed reſponſa in peſtilentiâ data, vt virgines tres,*

aut plures immolentur: ſed melliuos verborum globulos, & omnia dicta, factaque, quaſi papauere, & ſeſamo ſparſa? Nonne *qui inter hæc*, & ſimilia crepundia, & nugamenta *nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culinâ habitant?* Nonne infortunati *pueri*, qui in *ſcholis ludunt*, *iuuenes* poſtea in Templis Concionatores facti, ridentur, & *quod vtroq; turpius eſt, quod quiſq; perperam diſcit in ſenectute* poſtmodum *confiteri nõ vult?*

Vitioſa Rhetoricorum Diſcipulorum Inſtitutio quàm ſit Reipublicæ detrimentoſa.

286 QVâ ſanè ſcholaſticorum Declamatorũ in Oratores, Oratorũq; in Concionatores deteriore ſemper cooptatione, atq; traiectu quid, rogo, turpius, aut nocentius Chriſtiano in Orbe poteſt exiſtere? Si eloquentiæ decus immodicorum acuminum, atq; ornamentorum morbo ſideratũ,
A intra ſolos Rhetorici Gymnaſij parietes langueſceret, neq; foras manaret, contagionemq; porrò in alios minimè vulgaret; equidem, Auditores, quicquid tandem id piaculi ſit,
B ſus deq. ferrem, neq; graui vnquam crimine condemnarem. At quum ex peruerſis Rhetoricæ artis Declamatoribus Oratores, atq; Concionatores in cauſſis magni gnomenti,
C atq; ex animo perorandis leues, tralatitij, atq; inutiles, imò non leuiter etiam noxij, vt cotidiano experimento teſtatum eſt, euabant;

dant; incredibile dictu eſt, quantum damni, atq;exitij,ex hac ſcholaſticâ legitimè declamandi, atq; ad perſuadendũ appoſitè dicendi præuaricatione in Rempublicã deriuetur. Iulianũ Cæſarem,cui eiuratæ per ſummũ nefas Chriſtianæ religionis perfidia, atq;infamia *Apoſtata* cognomentũ, vt ſemel iã ſupra monui, aſſeruit, tanquam immanem Eccleſiæ Chriſtianæ inſectatorẽ, atq; Tyrannum quũ multis quidem nominibus, tum præſertim, quòd Chriſti cultores liberales docere literas, vel diſcere, edicto vetuerit, Patres ſanctiſſimi Auguſtinus, *a* Chryſoſtomus, *b* Nazianzenus, *c* alijq; complures acerrimè carpunt.

287 Sed cur, quæſo, aut quam ob noxam? Quid fuit in eâ literarum interdictione facinoris adeo tætri, quod tantum crimen, vt tã atroci ceſurâ ſapientiſſimis infulati Ordinis Patribus meritò feriendus videretur? Nẽpe ſceleſtus ille id potiſſimùm moliebatur, vt proſcriptis eiuſmodi literis, atque deletis, gradus ad Philoſopiam, & Theologiam, cæteraq; Fidei ſacroſanctæ munimenta perdiſcenda fieri non poſſet; ac propterea rerum Fidei ignoratione omnium mentes occupante,& ipſa Fides per altiſſimum ſtuporẽ paulatim euerteretur. Quo conſilio vt nihil iniquius, ita nil pernicioſius. Tolle porrò iam ab omnibus Rhetoricæ Claſſibus Tullianas A

T 4 Ora-

a *lib* 18. *ciuit*. 52.

b *Serm. de SS Iuuentio & Max.*

c *Orat.* 1. *in Iulian.*

Orationes, tolle probandi, amplificandiq́ue
artificium, tolle perſuaſionis animorũ eblan-
diendæ, aut extorquendæ curam, vim, robur,
ac neruum: atq; vnà de Templis quoq; vege-
tas, & lacertoſas Conciones pedetentim ſu-
ſtuleris: quibus ſublatis, alijſq; futilibus, ac
nugatorijs ſubſtitutis, vitia omnia, quæ di-
uini ſermonis clauâ leuiſſimâ infirmè, ac io-
culariter icta ſunt, hærebunt immota, in pe-
B ius ruent, obſtinatiùs perennabunt. Quæ ma-
lorum ſeges vti vberrima eſt, ſic iſtâ dicendi
vitioſitate ex Oratorio ludo primitus manã-
te nihil magis flagitioſum. Adde verſipelle
illud Iuliani decretum, non vt quamcunque
inſectationem, aut Tyrannidem, ſed tanquã
omnibus alijs, quæ per ferrum, per cruces, per
ignem, per quæuis crudelitatis inſtrumenta
vnquam exercitæ ſint, longè ſæuiorem, cœ-
C tuiq; Fidelium multo damnoſiorem ab ijſdẽ
ampliſſimis Patribus, vt Purpurati lumen Se-
natus Cæſar Baronius a eruditè obſeruat, ac-
cuſari, iureq́; optimo idcirco etiam exagitari.
Nam reliqui Tyranni, qui Chriſtianos ad
veram religionem ex animo expectorandam
adigebant, monſtroſi ſceleris horrore ſtatim
obiecto, illorum quàm plurimos ab impio fa-
cinore deterrebant, ingentemq; obluctantiũ,
D ac renitentium *Martyrum* meſſem faciebant.
At Iulianus non tam perfrictâ fronte Chriſti
clientes in fraudem inuitandos, vel inducẽ-
dos ſubdolè putauit; ac proinde Fidei profeſ-
ſione ijſdem minimè interdixit: ſed obliquè
tantùm,

a *Tom. 4. Annal. Anno Domini* 362. *n.* 22. & 23.

tantùm, ac per cuniculos ad illius interitũ, extinctis literis, eo diriùs, quo rectiùs, ſibi graſsãdũ exiſtimauit. Haud ſecus Tyrannus quoq; animarũ Dæmon, nõ id ſanè agit, vt Concionatores in diuini Verbi corruptelas, in adulteria, in dedecora rectà impellat. quippe quum id manifeſtò nefariũ flagitiũ extemplo perluceat, ab eo omnes ſub primũ aſpectum auerterentur: ſed clam dumtaxat, captoq; ambitu ſatagit, vt valida, atq; efficax perſuadendi forma a Rhetoricis Gymnaſijs exulet: quo ſemel obtentò, nullo quoq; negotio omne vtiliũ, & ſolidarũ Cõcionũ genus ſacris e Tẽplis propediẽ exceſſurũ, atq; eliminandũ ſibi, neq; inaniter pollicetur. Quę vtique peruerſitas, atq; cõtagio in quantã Reipublicę Chriſtianę perniciem redundet, quantaque nõ tã perſuaſionis, vel Oratoriæ artis, quã virtutũ omniũ, animarumq; carnificina ſit, & iure appellari debeat, veſtrũ nemini iã arbitror incompertũ.

288 Quare ad tanti mali, ac vaſtitatis periculum tempeſtiuè propulſandum, id ego in primis apud omnes, quibus Rhetorices Magiſtrorum creandorum ius, atq; poteſtas eſt, compluribus præſertim Religioſis Ordinibus, qui Iuuentutem erudiendã ſuſceperunt, cuiq; excolendæ etiam Societas noſtra non mediocrem curam impendit, ratum fixumq; oportere eſſe, iudico, Patres ſapientiſſimi, vt ſi quis vnquam eloquentiæ Profeſſor a Tullianã perſuadendi ratione alienus, acuminumq; luxu, vel ornamentorum intemperantiâ corruptus in ſuggeſtum perreptauerit, A

T 5 vbi

vbi notatus, ac deprehenſus fuerit; confeſtim Præſidũ, & Moderatorũ decreto, iuſſuq; a tali docendi munere, ſalubri prorſus, ac neceſſariâ ſeueritate abdicetur. Quod eo factu erit, credo, procliuius, quò iã ſemel id genus exempli ab integro Religioſę alicuius familę Prouinciali conuentu, qui omnes Rhetorices Præceptores immodicâ ſenſiculorum, ornamentorumq; frequentiâ a Ciceronianâ perſuadendi
B normâ delirantes penitùs exauthorauit, atq; a ſcholis remouit, ſtatutum, atq. in vſum irreuocabili calculo paucis ante annis fuiſſe reuocatũ accepi. Tullianã autẽ perſuadendi normã nõ de nihilo ego deſignaui, Auditores, vt ſcilicet innuerem, eum, qui hanc ſibi cordi eſſe, appoſitè dicendo oſtenderit, etiamſi ſtylum ſuum Tullianis verbis, & phraſibus minùs fortè illigari, aut mancipari paſſus fuerit, non propterea optimi Inſtitutoris & nomine, & gloriâ defraudatum iri. Porrò ſi quis Grammatices, vel Humaniorum literarum Doctor in Grammaticos Canones grauiter peccaret; ſi diſcipulis craſſos, abſurdosq; ſolœciſmos pro rectis locutionibus impingeret, ſi errandi ducem ſe præberet, non diſcendi; quis nõ eum quàm primùm ablegandum arbitraretur? Quid ni igitur & Rhetorices Præceptorem, Rhetoricæ expertem facultatis, perſuadendæ quæſtionis ignarum, in eloquentiæ leges præpoſterè delinquentem ex Oratorio cõclaui, quum deprauatæ Orationis, corruptæq; perſuaſionis ſolœciſmi ab iſto proſeminati longè perniciosiores, quàm illi minùs

nûs rectæ locutionis,aut conſtructionis,ſint, exterminandū cenſebimus? Huiuſmodi quippe Præceptor, niſi in tempore errorem dediſcat ſuum, vt concionandi muneri penitùs inhabilis eſt,ita eidem muneri ineptiores diſcipulos inſtituet, & conformabit. Quid? cōtra illud Iuliani edictum a liberalium aditu literarum arcens Chriſtianos,etſi in ſpeciem non ita ſæuum, vniuerſa Eccleſia armata eſt, totque Prēſules, tot Patres, ac tot *Martyres* earundem ſtudia literarum ad Dei Fidem, ac C religionem ab omni labe tuendam, per vigilias, per labores, per equuleos, per fidiculas, per cruces, per omnes denique tormentorū cruciatus mordicus retinenda, fortiſſimè exiſtimârunt. Cur non ergo & omnes Ordines, ad quos Adoleſcentum Rhetoricis præceptis ad futuras Conciones inſtruendorum officium pertinet,atq; in primis Societas noſtra, Antiſtitesq noſtri ſedulam perpetuò nauent operam, omnesq; adhibeant machinas, quò ſolidè probandi, ac perſuadendi artificiū,hoc eſt,Tullianū a Rhetorices Magiſtris nō leuiter,ſed probè perſpectū habeatur,Oratoriæ artis alumnis ſcienter tradatur,contrariæ verò prauitates in cotidianis ſcriptionibus accuratè caueantur, atque emendentur, diſcipuli, quicunq. volent, ad concionandi munus ritè poſtea obeundum, in anteceſſum per quamcunq; induſtriam, per continentes labores, per indefeſſam patientiam informentur,ac præparentur?

289 Huc demū, huc potiſſimū ſanctiſſimū

A noſtri fundatorem Ordinis Ignatiũ ſpectaſſe, ſuaq́; conſilia collineâſſe ego ſanè crediderim; quum Rhetoricę Profeſſores, noſtris in Gymnaſijs inſtituendos eſſe ſanciuit, vt videlicet ab his quàm plurimi ſacros in Cõcionatores maturè educarentur, atq; Dei Eccleſiæ Chriſtianorum omnium Parenti maiorem in modum afflictæ ad tot vitiorum monſtra, B quæ cotidie pullulant, gliſcuntque, compeſcenda, ac debellanda ſuppeditarentur. Neque verò ſanciuit tantũmodo, ſed præclaro etiam exemplo, quum auream illam de obedientiæ virtutæ Epiſtolam tanto artificio, diuinâque ſapientiâ elaborauit, vt ſi Concionalem in eâ vſurpauiſſet ſtylum, abſolutam poſteritati Concionẽ fuerit relicturus (certè quidem perſuadendi vi, atque efficaciâ innumerabiles Conciones longè antecellit) pulcherrimè commonſtrauit. Quare ſicut Maiorum noſtrorum prouidentiâ bene conſtitutas Rhetorices Scholas accepimus, excubandum diligenter nobis animo eſt, vt eaſdem ſemper ita florentes, atq; a memoratis corruptelis integras conſeruemus. Vt verò ita etiã futurum ſperem, haud vanis equidem coniecturis adducor.

290 Recreor enim etiã atq; etiã, Auditores, incredibiliq; conſolatione ſuſtentor, quoties A in atrijs, xyſtisq; noſtrorũ Athenæorũ, nec nõ in aliorũ, qui eandẽ, ac nos, Iuuentutis literis, & pietate imbuendæ prouinciam ſortiti ſunt, porticibus M. Tullij Ciceronis libros, quos ſinguli Gymnaſiorum moderatores ſuis Auditoribus

ditoribus explicant, ſuſpenſis in tabellis deſcriptos; in Rhetorices maximè claſſe Tullianas Orationes, Tulliana dicendi ſcita, atq; præcepta ad imitandum propoſita intueor; quodq; caput eſt, multo quoq; eſſe in honore, diſcipulis enodatè explanari, docendo ſanctè excoli, frequentibusque declamationibus ad perſuaſionem exprimendam accommodatis, vſui haberi animaduerto. Neque minùs oblector, quum illuſtres M. Tullij clientes Perpinianos, Bencios, Campianos, Stephonios, Nigronos, Cauſſinos, Gallucios, Guiniſios, Cellotios, aliosq; non paucos e noſtro cœtu, ab eâ acuminum, ornamentorumque intemperantiâ, quā hac in Actione non ſegniter caſtigaui, ac reprehendi, immunes omnino, & defecatos, tanquam ſtrenuiſſimos Suadæ milites in eloquentiæ ſpeculis vigilanter præſidentes conſpicio. His enim Ciceronianis armamentarijs, his amplificandi præſidijs, his perſuadendi mœnibus, & propugnaculis quo vſque Oratoria facultas aduersùs imbelles Aduerſariorũ impetus, atque incurſiones munita erit, atque obuallata, facilè quoſcunque eorũ conatus, inſultus, cuniculos atque inſidias eludet, ſuſtinebit, retundet, diſijciet, refutabit. Hæc pauca de Declamationibus, deque Rhetoricę Gymnaſijs pro grauium Oratorum, & Concionatorũ, de quibus ſolis mihi res fuit, corollario hactenus; e quibus iam pedem efferens, quod reliquum telæ ſupereſt, tandem pertexo.

ACTIONIS PARS QVINTA.

PRÆSENTIS OPERIS DEFENSIO.

SEd quando tam multa de Aduerſarijs meis hactenus commemoraui, Auditores; cogor iam pauca quoq; de me ipſo ſubijcere, & quos in me gladios mucronesq; ab ijſdem ſtrictos, atq; intentatos proſpicio, tempeſtiuè obiecto patrocinij clypeo auertere, vel retundere.

Eloquentiæ corruptelas ab Aduerſarijs in Orationes, & Conciones inductas, aculeato, ſeueroq; Stylo iure fuiſſe reprehenſas.

291 NOnnulli quippe eorum conquerentur fortaſſe, illiq; in primis ſine dubio, qui ſe tam longâ a me Actione confoſſos, & iugulatos penitùs cernunt, de nimiâ mei ſtyli duritiâ, atq; acerbitate. Cauſſabuntur me nimis fuiſſe pugnacem, nimis atrocem; dolebũt me nimis ſæuijſſe, cruento

ſe

ſe nimis laniatu fuiſſe diſcerptos indignabuntur;mitiusq́;ſecum omnino agi oportuiſſe, clamabunt. Bene habet, Auditores. Reſpiraui equidem, euaſi, ſaluus ſum. Verebar enim, ne quis e Catonum, Fabriciorumq́ ordine auſterus Cenſor dicam mihi ſcriberet, A
aut e Socratis diſciplinâ, vel e Stoicorũ porticu aliquis adducti vir ſupercilij in ius me vocaret, reumq́; peragerer. At quum illo e grege vnguentatorum, neſcio quos, mihi ſubiratos turbas ciere animaduerto, timorem omnem pono; neq; ſanè miror, ſi qui ſermonis luxum tam perditè amant; hunc etiam ipſum luxum paulo aſperiore oratione excipi, coercerique, placatis auribus, ac ſtomacho minimè ferunt. Vellent nimirum non ſolùm ornamentorũ intemperantiâ Orationes, Cõcionesq́; peruertere, ſed peruertendi quoque licentiâ, atq; impunitate gaudere; nobis autem ſuæ illius intemperantię ſtylo vulnerandæ, compeſcendæq́; facultatem prorſus ademptam; vel certè, ſi non omnẽ culpentur repræhenſionem, vt, quemadmodum ipſi, quum alios reprehendunt, fucum dumtaxat, atque ceruſſam de capſulâ promunt; ita viciſſim à B
nobis molli tantùm brachio, ſummâue cute perſtringerentur, neq contra quicquam, niſi mellitum, neſcio quid, ac dulciculum occineretur. C
Sed qui tam multos, & toties fallere ſueti ſunt, iam profectò ſuâ quoq; opinione falluntur. Nam quum ipſi tam durâ fronte, pudoreq; nullo in Orationibus, atq; Concionibus cum tot animarum, Reiq́; publicæ detri-

trimento luxuriari non erubeſcant; liberæ
D etiam obiurgationis ſcalprum, atq; nouacu-
E lam experiantur, neceſſe eſt. In morbo enim
& graui, & periculoſo ſunt, vulgatâ acumi-
num, ornatusq; ſuperflui tabe infecti ſunt, pu-
rulenti, atque vlceroſi ſunt, ideoque, velint,
nolint, ſecandi etiam ſunt, vrendi ſunt. Me-
dicamenti verò modũ, ferrique aciem nõ ægri
mollities præſcribit, ſed morbi grauitas, ſa-
nandiq; conſiliũ exigit, atque in vulnus adi-
git: meminerintque illud Publianum: *cru-
delem medicum ab ægro intemperante fieri*. An
F ego inhumanum Procruſtem, aut trucẽ Cer-
G berum tomento, vel goſſipio aggrediar? Cum
fœtâ tigride, efferatoq; Leone roſâ dumtaxat,
ac papauere munitus, manus conſeram? Ad
H agnatos planè, atque gentiles, ſi ita deſipiam,
meritò deducendus ſim, Auditores. nam a
tantâ monſtrorum immanitate quis nõ ma-
ius pondus armorum, inſtructioremq; appa-
ratum imperari, ſecum illico reputat? At quid
meorum Aduerſariorum Orationibus, atque
Concionibus, vt vici, magis monſtroſum?
Quid ni igitur tot eorum monſtra grauiſſi-
mâ, & plus quàm Herculeâ clauâ iure mac-
tauerim?

292 Sed quid tandem, rogo, hîc a me vitu-
peratum eſt, Auditores? Non certè acuminũ,
venerum, lepôrum, reliquorumq; ornamen-
torum vſus, ſed abuſio tantùm, ſolus luxus,
ſola intemperantia. Quid ergo? Ipſi orna-
mentorum luxum, atq; intemperantiam in
Orationes pergunt intrudere, mordicus tue-

ri,

ri, perpetuò alere, ac fouere; & ſtyli increpantis temperationem a me requirunt? Rectè. Sed nullus increpandi modus temperatior eſſe poteſt, quàm ſine vllo modo tā effrænatā ſenſiculorum, atq; illecebrarum immoderationem dicendo exagitare. Recîdant ipſi ſuperuacanea ornamenta, intemperantiam caſtigent, luxum tollant, moderatamq; ſententiarum, acuminum, gratiarum, cæteriq; ornatus ſupellectilem ſibi retineant: & confeſtim extra omnē meæ Actionis ictum in tuto conſiſtent, neque vlla ampliùs meæ obiurgationis particula ad eos poterit pertinere, quin Aduerſariorum quoque poſito nomine, datis, iunctisq; mecum, qui eandem ornamentorū moderationem nihilo minùs profiteor, dextris, arctiſſimam amicitiæ coibunt ſocietatē. A At dum mea in tela, ac gladios, intemperantiæ patrocinio impudenter ſuſcepto, ſponte incurrunt, quid mei cuſpidē ſtyli imprudenter accuſant? quid de nouaculæ inclementiâ, quam ipſi in vulnus vltro ſolicitant, inſipienter expoſtulant? Si vitium nutrire, ac propagare obſtinatè præfracteq; eis lubet; vapulent, B vt merentur. Sibi imputent, ſi cæduntur. C

293 Porrò ſi Iulianum illum noſtræ religionis ſceleſtiſſimū deſertorem ob interdictas Chriſtianis hominibus liberales diſciplinas, ceu noſtræ Fidei hoſtem infeſtiſſimum, atq; carnificem, eo quòd, illis neglectis, huius quoq; ſubruendæ, amittendæq; periculum maximum crearetur, omni conuiciorum, & contumeliarum genere Patres, cæteroqui

modeſtiſſimi, & pacatiſſimi, vt antea indicaui, ſine vllâ moderationis fraude meritò onerant, ac flagellant: an non iure etiam Rhetorices illi pręceptores omnes, qui perſuadendi artem grauiſſimam, atq; operoſiſſimam nō docent, ſed nugandi, ludendi, illudendiq; meras præſtigias: quum hinc fœda lues, ac tenaciſſimus morbus in Orationes, atq; Conciones cum inexplicabili Chriſtianæ Reipublicæ, pietatis, morum, & religionis damno, contra verò cum inæſtimabili ſcelerū incremento, paulatim ſerpat, ſeſeq; blandè inferat; ratâ portione iniuſtis probris dedocerentur? Quanto igitur amplior, atq; liberior criminandi campus mihi patuit, qui ſcholaſticos ipſos Declamatores ſcholarū incluſos parietibus ſtylo meo, vt ita dicam, prætervectus, vixq; de viâ ſalutatos a tergo relinquens, in grauium tantummodò Orationum, atq; Concionum, vbi verè, ſerioq; habendæ ſunt, profligatores totam diſputationem intorſi?

29. Verùm ante, quàm quicquam ampliùs de ſtyli vituperatione addo, prouoco iam, Præſules ſapientiſſimi, ad veteres illos Patres moderationis anteſignanos, vt, quâ cenſuræ ſeueritate in ipſummet colorum etiam, veſtiumq; luxum animaduertendū putârint, edicant. Recita mihi, quæſo, primò Baſilium magnum. * *Comas, aut veſtes ſuperuacuas* (inquit) *curare vel infelicium eſt, vt ait Diogenes. vel iniuſtorum. Nam quid ex talibus expectandū, niſi vt laſciuus ille ornatus feminas* pra-

* *Hom. 24. de legendis libris Gentilium.*

prætereuntes inuitet, aut alienis matrimonijs inſidietur? Recita preterea Gregoriū Naziāzenū. *Enimuerò*, inquit, *quis primus a Dei figmentū illinere aggreſſus eſt? Pereat quiſquis ille fuit, qui primus coloribus, atq; pigmentis impudentiā adiunxit. Vt enim impudentes vrinatores virorumq; indigni nomine, laruâ primùm frontem tegunt, atq; ita deinde ſequuntur, quæ inhoneſtæ rei conueniunt, ſaltitationes videlicet, ac turpis membrorum ſolutio, ſtultis hominibus gratiſſima: ad eundem modum hæ quoque, poſtquam alienam formam externè induerint, ita demum vt pictā illâ & fucatâ formâ dignum eſt, mouentur.* Recita inſuper Diuum Ambroſium. *b Hinc illa* (ait) *naſcuntur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant: & de adulterio vultus meditentur adulterium caſtitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale iudicium, prodere ſuum?* Recita deniq; Sanctum Cyprianum. *c Quòd ornari te putas* (inquit) *quòd putas comi, impugnatio eſt iſta diuini operis, præuaricatio veritatis. Non metuis, oro, quæ talis es, ne quum reſurrectionis venerit dies, artifex tuus te non cognoſcat? ne dicat, hoc opus meum non eſt: & hæc imago noſtra non eſt? Cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adulterino colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, cultus alienus eſt. Deum videre non poteris,*

quum

a *Orat. in mulieres ambitiosè ſe ornantes.*
b *Lib. 1. de Virg.*
c *De habitu Virginis.*

quum oculi tui tibi non ſint, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. Quæ ſi cui fortè aſperiùs dicta videntur, audiat is, aut legat illa ab eodẽ ſacro Antiſtite haud modico fortaſſe duriùs prolata. * *Ornamentum* (inquit) *ac veſtium inſignia, & lenocinia formarũ nonniſi proſtitutis & impudicis feminis congruunt: & nullarum ferè pretioſior cultus, quàm quarum pudor vilis eſt.* Claudat Patrum grauiſſimorũ aciem doctrinarum omniũ lumen Auguſtinus. * *Quanta amentia eſt* (inquit) *effigiem mutare natura, picturam quærere? tolerabiliora propemodum in adulterio crimina ſunt. Ibi enim pudicitia; hîc natura adulteratur.*

295 Neq;verò Patres dumtaxat ſãctiſſimi, ſed profani quoq;ethniciq;ſcriptores eundem luxũ veſtiũ atris calculis, & triſtiſſimis verbis notauerunt. Quàm diſertè enim Athenæus ex Philarcho *a* teſtatur apud Syracuſanos lege cautũ fuiſſe, ne qua mulier, niſi publica eſſet meretrix, auro ornaretur, nec floridas geſtaret veſtes, nec purpureis indumentis niteret? quã liberè Solon ſeptem e ſapientibus celeberrimus Crœſo Lydię *b* regi, quũ in ſolio pereleganter amictus conſediſſet, rogâſſetq́ue, num pulchrius vnquam ſpectaculũ aſpexiſſet, ſtatim reſpondit, ſe vidiſſe, nempe gallos gallinaceos, pauones, & phaſianos? Quàm

* *Ibid.* * *de ſermone domini.*
a *lib. 12. c. 6.*
b *Laertius lib. 6. de vitis Philoſ.*
c *Sueton. in Auguſt. c. 3.*
d *Liuius Dec. 4. lib. 4.*

explanatè Cęſar Auguſtus? *c. Veſtitus* (inquit) *inſignis, ac mollis ſuperbia vexillum eſt, nidusq́; luxuriæ?* Quàm grauiter M. Portius Cato, *d* pro lege Oppiâ, quæ mulieres plus ſemunciâ auri habere, aut veſtimento verſicolori vtī prohibuerat, aduersùs eos, qui illā abrogandā cenſebant, differens, totam Orationem ita abſoluit? *Nolite eodem loco exiſtimare, Quirites, futuram rem, quo fuit ante quàm lex de hoc ferretur, & hominem improbum non accuſari tutius eſt, quàm abſolui; & luxuria non mota tolerabilior eſſet, quàm erit nunc ipſis vinculis, ſicut fera beſtia, irritata, deinde emiſſa.* Imò ne Poetæ quidem ipſi, alioquin maximè effeminati, atq; molliſſimi, ab hoc eodem veſtium luxu ſeuerè inſectando ſibi temperârunt. Vnum pro omnibus Sextū Propertiū, aliàs delicatum valde, atq; eneruem hoc pacto canentem appello. *a*

Certa quidē tantis cauſſa eſt manifeſta ruinis.
Luxuria nimium libera facta via eſt.
Inda cauis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro Concha Erycina ſalo,
Et Tyros oſtrinos prabet Cadmea colores,
Cinnamon & multi paſtor odoris Arabs.
Hac etiam clauſas expugnant arma pudicas,
Quaq; terant faſtus, Icariote tuos.
Matrona incedit cenſus induta nepotum:
Et ſpolia opprobrij noſtra per ora trahit.

Franciſcus verò Petrarca laureatus Poeta, qui in Lauræ ſuæ ludendis amoribus tam operosè

a *lib. 3. eleg. 12.*
b *De remedijs Dial. 20.*

operosè inſanijt, de luxu tamen veſtium quàm Catoniano prorſus ingenio, ſpirituq; philoſophatur? b *Nō eſt locus, inquit, vt defleā, atq; execrer ludibria hæc habituum externorum, quos nobis ab extremis Mundi finibus furibunda præſens ætas intulit. Sed Dij, hominesq; malè perdant has beluas humanâ effigie, ferino animo, linguâ Latinâ, barbarico habitu, compto femineā ad mollitiem capillo, moribus ad aprinam duritiem horridis, atq; incultis hinc obſcœna corporū impudentiſſimè detegentes, illinc mentium leuitatem vano vertice volucrum plumis extantibus, apertiſſimè deſignantes. An verò tam vigiles magiſtri, an tam dociles diſcipuli plus odij mereantur, in dubio eſt; quorum ingenijs effectum vides, vt inter mimos, aucuſque, inter ſcorta, & matronas propè iam nil interſit aſpectu. Nec dū ſiſtit, ſed in dies ſerpens creſcit, & variatur inſania.*

206 At quid eſt, obſecro, Iudices prudentiſſimi per veſtram fidem, Orationis, vel Cōcionis ornatus, ſuperuacuis fucati candoris medicamentis redundans, niſi luxus quidā, atque laſciuia, & quidem multo, quàm ille veſtiū, Chriſtianæ Reipublicæ pernicioſior? Ex hoc quippe vnius tantùm, vel alterius vitij, puta, libidinis, aut ſuperbiæ titillationes, ac fomenta proficiſcuntur: ex eo autem criminum omnium licentiæ fræni paſſim, habenæque, vt docui, laxantur. Si igitur tam mitibus Patribus, quàm ludibundis Poetis, veſtium luxum tot verberare probris ſine vllo probro licuit; Si eū alienorū matrimoniorū

ſub-

ſubſeſſorem appellare; ſi impudentiæ addita- A
mentum, ſi complurium vitiorum irritamentum, de vultus adulterijs meditata adulteria caſtitatis, diuini impugnationem operis, & veritatis præuaricationem nuncupare; ſi oculos a Diabolo infectos, impudicarum, ac proſtitutarum inſignia, amentiam, & naturæ adulterium dicere; ſi publicæ meretricis teſſeram, ſi ſuperbiæ vexilum, nidumq́; luxuriæ, ſi opprobrij ſpolia, ſi arma ad pudicas, clauſasq́; matronas expugnandas facta, ſi beluas humanâ effigie obſcœna corporum impudẽtiſſimè detegentes vocare, ſine vllâ immodeſtiæ notâ fas fuit: quidni etiam eadem conuicia in Orationum, atq; Concionum luxũ, in acuminum, atq; ornamentorum intemperantiam tot partibus, ac nominibus nocentiorem iactare mihi iure licuerit? Mentiar enim, Antiſtites grauiſſimi, mentiar, ſi quid his contumelijs mordacius mihi in Aduerſarios vſpiam excidit; aut ſi tale quid vnquam a me dictum offenderitis, actutum ſtylo inducite, delete, eradite, lacerate.

Eloquentiæ flagitia a diſertiſſimis, modeſtiſſimisq́; Scriptoribus caperata fronte, atq; acida lingua corripiuntur.

297 VErûm quid agimus, Auditores? quid per circuitum, ac flexum, quod in cōſpectu iacet, inueſtigamus? Quàm
vehe-

vehementer enim, atq; inſignitè Auctores ſapientiſſimi, quà priſci, quà recentes, Orationum, Concionumq; corruptelas exagitarunt? Eant iſti, qui, quod neſciunt, temerè carpunt; quod non legerunt, confeſtim explodunt; quod non audierunt, inconditè allatrant. eant, inquam, per monumenta Maiorum; eant, & Scriptorum varia excutiant volumina, ſocordiamq;, & ignorantiam ſemel valere iubeant; & quo in pretio, atq; honore eloquentiæ perduelles, per ſolum etiam ornamentorum luxum, ne dum per inſanam doctrinam, apud cordatos quoſque viros habeantur, diſcant aliquando.

298 Vultis primò profanarum corruptores Orationum fœdè proſciſſos intueamur? Libentiſſimè. Diuinum ipſum appello Platonem, qui in Phædro falſam Rhetoricã coquinariam facultatem vocat. Platoni ſuccenturio maiorem Ariſtotelem, a qui eos, *qui poetico more in oratione loquuntur, quia rem indecoram faciunt, & ridiculos, & frigidos fieri* pronunciat b. Vtriq; Demetrium Phalareum adiungo, qui ſcurrilia omnia, & quæ alterius tantùm oblectandi gratià dicũtur, & obſcœna eſſe, & mimis aptiora tradit. An verò quicquam lenius agit M. Tullius, qui de logodædalorum Orationibus diſſerens ita eas acriter vellicat? *Quo magis ſunt* (inquit) *Herodotus, Thucydidesq; mirabiles, quorum ætas quum in eorum tempora, quos nominaui, incidiſſet, longiſ-* *ſimè*

a Lib. 3. Rhetor. cap. 5.
b Particula 85.

ſimè tamen ipſi a talibus delicijs, vel potiùs ineptijs abſuerunt. Num placidior eſt Fabius Quintilianus, qui idem vitij genus acerbè ſugillat? a *Ornatus* (inquit) *virilis, fortis, & ſanctus ſit; nec effeminatam lauitatem, nec fuco eminentem colorem amet; ſanguine, & viribus niteat.* Quibus illa quoq; ſunt conſentanea: *In vniuerſum autem, ſi ſit neceſſe, duram potiùs, atq; aſperam compoſitionem malim eſſe, quàm effeminatam, & eneruem, qualis apud multos: & cotidie magis laſciuimus ſyntonorum modis ſaltitantes.* Multo autem fuſiùs, ac ſeueriùs alio loco. b *Falluntur enim* (ait) *plurimùm, qui vitioſum, & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentiâ reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſciuit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur aut caſuris, ſi leuiter excutiantur, floſculis nitet, aut præcipitia pro ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit; magis exiſtimant populare, atq; plauſibile.* A

299 At quanto adhuc aſperiùs, Stoicâque prorſus libertate L. Annæus Seneca Mecœnatis eloquentiam criminatur? c *Quid ergo? Non oratio eius*, inquit, *æquè ſoluta eſt, quàm ipſe diſcinctus? Non tam inſignita illius verba ſunt, quàm cultus, quàm comitatus, quàm domus, quàm vxor? Magni ingenij vir fuerat, ſi illud egiſſet viâ rectiore, ſi nõ vitaſſet intelligi, ſi non etiam in oratione diffflueret. Videbis itaq;* elo-

a *lib. 9. cap 4.*
b *lib. 12. cap. 7.*
c *Epiſtola 15.*

eloquentiam ebrij hominis inuolutã, & errantem, & licentiæ plenam. Et paulò poſt. *Maxima laus illi tribuitur manſuetudinis: pepercit gladio, ſanguine abſtinuit, nec vllâ aliâ re, quid poſſet, quàm licentiâ oſtendit. Hanc ipſam laudem ſuam corrupit iſtis orationis portentoſiſſima delicijs. Apparet enim mollem fuiſſe, non mitem. Hoc iſta ambages compoſitionis, hoc verba tranſuerſa, hoc ſenſus mihi magni quidem ſæpe, ſed eneruati dum exeunt, cuiuis manifeſtum facient, motum illi felicitate nimiâ caput.* Et paucos ad verſus infra. *Quum aſſueuit animus faſtidire, quæ ex more ſunt, & illi pro ſordidis ſolita ſunt: etiam in oratione, quod nouum eſt, quærit, & modò antiqua verba, atq; exoleta reuocat, & profert: modò fingit ignota, & deflectit: modò id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax trãslatio, ac frequens. Sunt qui ſenſus præcîdant, & hinc gratiam ſperent, ſi ſententia pependerit, & audienti ſuſpicionem ſui fecerit. Sunt qui illos detineant, & porrigant. Sunt qui non vſq; ad vitium accedant. Neceſſe eſt enim hoc facere, aliquid grande tentanti, ſed qui ipſum vitium ament. Itaq; vbicunq; videris orationem corruptam plácere, ibi mores quoq; a recto deſciuiſſe, nõ erit dubium. Quomodo conuiuiorum luxuria, quomodo veſtium, ægra ciuitatis indicia ſunt: ſic orationis licentia (ſi modò frequens eſt) oſtendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidiſſe. Mirari quidem non debes, corrupt a excipi non tantùm a coronâ ſordidiore ſed ab hac turbâ quoq; cultiore. Togis enim iſti inter ſe, nõ iudicijs diſtant. Hoc magis mirari potes, quod non*

non tantùm vitioſa, ſed & vi ia laudantur. Poſtremò tandem ſubdit. *Talis eſt oratio Mecœnatis, omniumq́ aliorum, qui non caſu errant, ſed ſcientes, volenteſq́. Hoc a magno animi malo oritur. Quomodo in vino non ante lingua titubat, quã mens ceſſit oneri, & inclinata vel prodita eſt: ita iſta oratio, quid aliud, quàm ebrietas?*

300 Hæc Seneca, a quo quâm parum abit Muſonius de eloquentiâ apud Agellium ita diſputans? a *Quum Philoſophus hortatur, monet, ſuadet, obiurgat, aliudue quid diſciplinarum diſſerit; tum qui audiunt, ſi de ſummo, & ſoluto pectore, obuias vulgataſq́ laudes effutiunt, ſi clamitant, etiamſi geſtiunt, ſi vocum eius feſtiuitatibus, ſi modulis verborum, ſi quibuſdam quaſi frequentamentis orationis mouentur, exagitantur, & geſtiunt, tum ſcias, & qui dicit, & qui audit, fruſtra eſſe, neq́ illic philoſophum loqui, ſed tibicinem canere.* Adſtipulatur quoq; Corn. Tacitus, ſeu Quintilianus, vel quicunq; Dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ Auctor eſt, grauis omnino, ac diſertus. b *Ceterùm ſi omiſſo,* inquit, *optimo illo, & perfectiſſimo genere eloquentiæ, eligenda ſit forma dicendi, malim hercule, Caij Gracchi impetum, aut Lucij Craſſi maturitatem, quàm calamiſtros Mecœnatis, aut tinnitus Gallionis. aueo meliùs Oratorem vel hirtâ togâ induere, quàm fucatis, & meretricijs veſtibus inſignire. Neq́ enim Oratorius*

a *lib. 5. Noct. Attic. cap. 1.*
b *In Dialogo.*

iſte, imò hercle ne virilis quidem cultus, quo plerique temporum noſtrorū actores ita vtur.tur, vt laſciuiâ verborum, & leuitate ſententiarum, & licentiâ compoſitionis, hiſtrionales modos exprimant.

301 Quod ſi ad noſtrę tempeſtatis Scriptores deſcendamus, quàm præclarè in rem meam Ioannes Perpinianus in Oratione, quam habuit, de auitâ dicendi laude recuperandâ? * *Hinc* (inquit) *proſeminata ſunt illa pueriles opiniones & abſurda, quas nonnulli iam ſolas in ſcholis intolerabili cum arrogantiâ, & faſtidio prò veriſſimis, certiſſimisq́ iactant: bene dicere, non perſuadere, finem eſſe Oratoris: ſolā elocutionem eſſe huius artis: aut elocutionem cum pronuntiatione, & actione: ridiculum eſſe nunc quærere numeros in Oratione. Videlicet ſtipites recente nos, aut lapides factos eſſe arbitrantur, quos putant ſubitò quodam animi ſtupore omnem eius rei, quæ maximè cognata eſt mentibus noſtris, ſenſum amiſiſſe. Hæc & alia permulta iſti nobiliſſimorum Scriptorū inepti correctores inuexerunt.* Et paulò infra. *Et videte, quantum inter modeſtiam veterum, & iſtorū impudentiā diſtet Socrates apud Platonem.* Denique. *Illi propter vetuſtatem etiam ſe inferioribus humaniſſimè ſingularem honorem deferebant, iſti quem antiquiſſimis auctoribus honorem omnia ſecula conceſſerunt, hunc eis impudentiſſimè detrahere nituntur. Quanquam iſtorum leuitatem grauitati veterum inimicam eſſe non miror: illud miror, eſſe tam multos, qui, quorum*

facta-

* *Orat. xi.*

facta imitentur, eorum exitus non perhorreſcant, quum viderimus eum, qui ſe ſigniferũ præbuerat ad antiquorum auctoritatem euertendã, deſertâ religione, ſe ad impietatis, & impuritatis caſtra contuliſſe.

302 Verùm ſi quis alius Tullianæ eloquentiæ imitationem aduersùs eiuſdem deſertores, acerrimè propugnauit, is Iulius certè Nigronus in decem eâ fere de re Orationibus fuit, e quibus, quũ plurima huc quã commodiſſimè poſſem aduocare, hæc tamen pauciſſima ſat habeo delibare. * *At relinquamus* (inquit) *illorum tam fœdam, manifeſtamq; ſtultitiam, quorum ſimillimi ſunt, & pari obiurgatione digniſſimi. qui in imitatione Ciceronis, ſi quid vetuſtatem ſapit, obſeruant, ſi quid licenter pro auctoritate, quâ pollebat, nouauit, auidiùs arripiunt* Et mox. *ſimias Ciceronianas, non imitatores eos appellauerim, qui deteriora, qui reprehenſa, qui vitijs finitima, pro veris, germanis, manifeſtisq; virtutibus imitatione conſectantur. Vt enim beſtia illa turpiſſima, vt loquitur Ennius, ineptias hominum actiones ridiculas, ac deformes exprimit, quibus ſpectantiũ riſum mouet; non concinnas, ſerias, decoras, quæ laudem ex admiratione prouocarent; ſic ineptiſſimi Ciceronis, aliorumq; b norum Oratorũ imitatores, qui de venis aureis & argenteis optimorum auctorum, orichalcum, atq; ſtannum effodiunt; de fluminibus eloquentiæ pro gemmis arenas, pro margaritis calculos expiſcantur; de fontibus ingeniorum pro purâ, & clarâ, turbidam*

* *Orat. 16, num. 22.*

& inquinatam hauriunt aquam; imprudentiaſ, ſtultitiaq́ ſua debitas, meritasq́ perſoluunt pœnas. Ita Nigronus

303 At quanto contentiùs, ac vehementiùs hos ipſos logodędalos Nicolaus Cauſſinus vir eloquentiſſimus aculeato ſtylo perſtringit? *a Huic ego grauitati* (ſcilicet virilis eloquentię) *puerilem* (inquit) *quæ nunc eſt in multis, loquacitatem nõ annumero plenã vanitatis, & fatiluũ propè deliramentorum Exêtit enim, vt qui propter pectoris anguſtias hoc ſublime dicendi genus generoſæ mentis fœtum nõ ſatis capiebant, leues homines, & Graculi, toti ſe ad literarum aucupia, phraſes, & periodos conferrent, non ſecus ac pueri, qui quum auri, & margaritarum pretia neſciant, pictos in litore calculos legunt.* Libro autem ſecundo eloquentiam ſic ex poſtulantem inducit. *b Poſtquam ventoſa illa loquacitas iuuenum animos ad magna ſurgentes, veluti peſtilenti quodã ſidere afflauit, dulce fuit omnibus deſipere: puduit etiã aliquos nõ inſanire, & eò deuenerunt amentia, vt neſcio cuius Aſini ſordes purpuras ſuas eſſe dicerent; o tempora! o mores!* Tum eloquentiæ poſitâ perſonâ; *Hac miſerabili voce* (illico ſubijcit) *commotis omnium animis, primùm comploratio, deinde tumultus. Alij clamabant carnifices eloquentia, ad remos; alij corruptores literarum, ad beſtias; alij extinctores veteris diſciplina, ad Tartara.* c Rurſum poſtea Marcũ ipſum Tullium

a *lib. 1. de ſacrâ & profanâ eloquentiâ, in præf.*
b *lib. 2. cap. 17.*
c *lib. 2. cap. 22.*

Tullium hac ratione loquentem facit. *Equidem ſi ſibi hoc ſumunt Aduerſarij mei, ſtante me non poſſe veterem diſciplinam corruere, quam illi omnium virium contentione conuellere decreuerunt: Patior libenter me pro literarum incolumitate, gloriâ, & ornamentis, veſtriſq; omnium ſtudijs perditorum hominum furori, tanquam vallũ oppor.* Et ſpatio haud magno interiecto. *Mirari* (inquit) *tamen ſatis non poſſum inimicorum* (*non dicam*) *audaciam* (*iam enim vulgare vitium eſt*) *ſed amentiam, impudentiamq; ſingularem.*

304 Demum politiſſimus Vincentius Guiniſius peculiari Allocutione de literarũ luxu elucubratâ, quàm bellè meæ cauſſæ velificatur? *Ego verò* (ait *) *nunquã probaui vt in homine petulantiam, ac vultus hilaritatem diſſolutè feſtiuam ſic in eloquentiâ nimis effuſã, immodeſtamq; quaſi lætitiam, lautitiamq;, & riſus orationis, & gaudia.* Tum deinde. *Nam abundet, vt libet, oratio; niſi etiam redundet, atq; extra ripam rationis effluat, eloquens, admirabilis, diuina non dicitur, quũ tamen interdũ, neſcio qua ludibria leuiſſimis planè ſonis, atq; inanibus excitet, mellitoſq; verborum globos, & Cerberò dignas offulas exponat, quibus inſidias auribus, non animis faciat. Procul enormis iſtæc, & plerumq; ventoſa loquacitas: deſpumet oratio, neceſſe eſt, ac bullæ, ampullæq; pueriles aliquando detumeant: illudq; ſit inſtar oraculi: non ſanè maiorem haberi laudem Oratoris, nôſſe principium inuenire, quàm finem. Verùm vt hæc ita ſe ſe habeant; alia tamen eſt hoc æuo cõmunior ſer-*

* *Allocut. 5.*

ſermonis intemperantia. Nam vana illa foliorũ vmbracula, inu iſeſq; verborum quaſi propagines magnam partem amputauit ætas, ac familiarius quondam vitium orationis, interea paucorũ fecit. Siquidem eloquentia nunc luxus eſt, omni propemodum luxu carere; atq; in tantum ſuperuacanea recidêre; vt etiã neceſſarijs abſtineamus. Ad extremum. *In hortis ſapientiæ iã delicias facimus: ſententiolas humiles, & circumciſas, tanquam arbuſculas manu retentas: breues argutias, preſſius quidem caſtigatas; ſed tonſurã in ſobolem abeunte, ſenſiculis inde plurimis, innumero velut herede progerminantes: vbiq; vibratos, tenueſq; ſpiritus, qui nõ modò animos pungant, feriantque, ſed in ictu relinquant aculeos; plerunq; & vitam. vſque adeo ſtatim a vulnere moriuntur. Deniq; in delicijs hoc æuo pumiliones ſunt, & compendia, vt hominum, ſic eloquentiæ. atq; hæc ipſa frugalitas dicitur; quæ verè luxuria eſt. Haccine maieſtas, ac dignitas ampliſſimæ facultatis? picto quidem, ac phalerato; ſed tenui anguſtoq; nauigio tam exaggerata merces imponitur? ad præruptos hoſce ſcopulos agitur? ad hæc breuia inclementer alliditur?*

Vnguentati ſacrarum præuaricatores Concionum a diuinis Oraculis, Sanctisq; Patribus acerrimo ſtylo vituperantur.

305 TRanſeo iam, Auditores, a profanis Oratoribus ad ſacros Concionatores,

natores, pauloq; fuſiùs,ac diligentiùs, quàm duris ſententiarum telis explorata æterni Numinis chirographa, veterumq; Patrum comperta volumina eos omnes, qui tam cæleſte munus vel onamentorum luxu dumtaxat, nedum etiam prauâ doctrinâ, contaminant, tranſuerberent, nunc patefacio. Sed vnde, quæſo, ducam initium, niſi a perfectiſſimo Concionatorũ omniũ exemplari, a Paulo nimirum Apoſtolo, a quo horrificum illud fulmen vibratur? a *Non ſumus, ſicut plurimi, adulterantes verbũ Dei?* Quò autem hæc verba pertinent, niſi ad Concionis ſacræ corruptelas execrandas; ſi quidem, vt S. Gregorius enucleat, ſicut b *adulter non prolem, ſed voluptatem quærit; ita vanæ gloriæ ſeruiens Prædicator, rectè adulterare verbum Dei dicitur, qui per ſacrum eloquium non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtentare?* Quò item, niſi eodem, pergit Septimius Tertullianus? c *Tantum* (inquit) *obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtylus.* Cæterùm quia apud Paulum Græci Patres τὸ *adulterantes* vertunt *cauponantes*, quis veſtrùm ignorat, quã luculenter id Theodoretus hoc pacto interpretetur? d *Hîc cõtra aduerſarios contendere aggreditur, & docet, quòd ipſe quidem tradit doctrinam, quæ a diuinâ gratiâ proficiſcitur, illi autem diuinum ſermonem*

V 5 cau-

a 2. *Cor.* 2.
b 8. *moral. cap.* 35.
c *lib. de Præſcript. cap.* 16.
d *In* 2. *Cor.* 2.

cauponantur, eum fabulam efficientes, & ſua cogitata gratia admiſcentes, quemadmodum qui vinum purum aquâ miſcent. a Sicut olim Iſaias vaticinatus eſt: *vinum tuum mixtum eſt aquâ*; quod lxx. *caupones tui miſcent aquã*, reddiderunt. Quid ſi idẽ Pontifex Gregorius vitioſarũ architectos Concionũ concubinas, ne dum caupones, atq; adulteros nominat? Illius certè in eum Canticorum verſum: b *ſexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ*: ipſiſſima hæc verba ſunt. *Concubinæ quippe nõ verè, ſed fictè dominos diligunt; & ab eis non poſteritatem filiorum, ſed præſentiam commodorum expetunt, nec continentiã ſe exercent, ſed libidinem explere concupiſcunt. Sic falſi Prædicatores in Eccleſiâ exiſtunt, quia dum non Chriſtum, ſed lucrum, vel laudem diligunt, non ſpiritaliter, & caſtè, ſed carnaliter, & libidinosè Chriſto ſe coniungunt. Bene ergo concubinæ vocantur, quia Chriſtum, quem prædicant, non ſpiritu, ſed carne ſectantur.* Nempe qui mente ita corruptâ concionantur, prono in vitium alterum lapſu, & ſtylũ ipſum, Concionemq; ſolent corrumpere, neq; animum dumtaxat, ſed Orationis quoq; corpus, concubinarum inſtar, fœdè proſtituunt.

306 Quid porrò ſibi vult vates Ezechiel diuino afflatus Numine, oreque indignabundo perſonans? *Et tu fili hominis*, inquit, c *pone faciem tuam contra filias populi mei, quæ pro-*

a *Iſ.* 1.
b *Cant.* 6.
c *Ezech.* 13.

prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic. Hæc dicit Dominus Deus. Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Quorsũ, rogo, Propheta ſanctus *filias populi*, & non *filios* nuncupat? Myſterium, ac nodum ſollerter ita ſoluit Origenes. a *Potuit dicere Propheta*: ſuper „ filios populi tui, qui prophetant; *ſed quaſi* „ *omnes, qui velamina contexant, & ceruicalia conſuant ſub omni cubito manus, mulieres ſint, & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait Propheta*: in filias populi tui &c. *effeminatæ quippe ſunt eorum magiſtrorum animæ, & voluntates, qui ſemper ſonantia, ſemper canora componunt, & (vt, quod verum eſt, dicã) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum eſt in ijs, qui iuxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant.*

307 Quod ſi hæc ſuauia nimis, ac mollia ſunt, S. Hieronymum ſeuerius exprobrantem audite. b *Iam enim* (inquit) *in Eccleſiâ iſta quæruntur, omiſſâq; Apoſtolicorum ſimplicitate, ac puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur, vt plauſus circumſtantium ſuſcitentur, vt oratio Rhetoricæ artis fucata medacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum, non tã eruditurâ populos, quàm fauorem populi quæſitura, & in modum pſalterij, & tibiæ dulce canentis ſenſus demulceat audientiũ; vt verè illud Prophetæ Ezechielis,*

V 6 *noſtris*

a *Ibid.*

b *In proœm. lib. 3. Epiſt. ad Galatas.*

cauponantur, cum fabulam efficientes, & ſua cogitata gratia admiſcentes, quemadmodum qui vinum purum aquâ miſcent. a Sicut olim Iſaias vaticinatus eſt: *vinum tuum mixtum eſt aquâ*; quod lxx. *caupones tui miſcent aquã*, reddiderunt. Quid ſi idẽ Pontifex Gregorius vitioſarũ architectos Concionũ concubinas, ne dum caupones, atq; adulteros nominat? Illius certè in eum Canticorum verſum: b *ſexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ*: ipſiſſima hæc verba ſunt. *Concubinæ quippe nõ verè, ſed fictè dominos diligunt; & ab eis non poſteritatem filiorum, ſed præſentiam commodorum expetunt, nec continentiâ ſe exercent, ſed libidinem explere concupiſcunt. Sic falſi Prædicatores in Eccleſiâ exiſtunt, quia dum non Chriſtum, ſed lucrum, vel laudem diligunt, non ſpiritaliter, & caſtè, ſed carnaliter, & libidinosè Chriſto ſe coniungunt. Bene ergo concubinæ vocantur, quia Chriſtum, quem prædicant, non ſpiritu, ſed carne ſectantur.* Nempe qui mente ita corruptâ concionantur, prono in vitium alterum lapſu, & ſtylũ ipſum, Concionemq; ſolent corrumpere, neq; animum dumtaxat, ſed Orationis quoq; corpus, concubinarum inſtar, fœdè proſtituunt.

306 Quid porrò ſibi vult vates Ezechiel diuino afflatus Numine, oreque indignabundo perſonans? *Et tu fili hominis*, inquit, c *pone faciem tuam contra filias populi mei, quæ pro-*

a *Iſ.* 1.
b *Cant.* 6.
c *Ezech.* 13.

prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic. Hæc dicit Dominus Deus. Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Quorſũ, rogo, Propheta ſanctus *filias populi*, & non *filios* nuncupat? Myſterium, ac nodum ſollerter ita ſoluit Origenes. a *Potuit dicere Propheta*: ſuper ,, filios populi tui, qui prophetant; *ſed quaſi* ,, *omnes, qui velamina contexant, & ceruicalia conſuant ſub omni cubito manus, mulieres ſint, & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait Propheta*: in filias populi tui &c. *effeminata quippe ſunt eorum magiſtrorum animæ, & voluntates, qui ſemper ſonantia, ſemper canora componunt, & (vt, quod verum eſt, dicã) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum eſt in ijs, qui iuxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant.*

307 Quod ſi hæc ſuauia nimis, ac mollia ſunt, S. Hieronymum ſeuerius exprobrantem audite. b *Iam enim* (inquit) *in Eccleſiâ iſta quæruntur, omiſſâq; Apoſtolicorum ſimplicitate, ac puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur, vt plauſus circumſtantium ſuſcitentur, vt oratio Rhetoricæ artis fucata mẽdacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum, non tã eruditura populos, quàm fauorem populi quæſitura, & in modum pſalterij, & tibiæ dulce canentis ſenſus demulceat audientiũ; vt verè illud Prophetæ Ezechielis,*

V 6 *noſtris*

a *Ibid.*

b *In proem. lib. 3. Epiſt. ad Galatas.*

noſtris temporibus poſſit aptari: dicente Domino
,, *ad eũ* Et factus eſt eis quaſi vox citharæ ſua-
,, uè canentis, & bene compoſitæ, & audiunt
,, verba tua, & non faciunt ea.

308 Porrò quia impudicæ mulieres, ac meretrices ſcenas haud rarò dehoneſtant, nonne in has ipſas Gregorius Nazianzenus nugiuendos Concionatores, nugatoriasq; Conciones precisè relegat? a *Sed neq; facetus quiſpiam* (ait) *ac iucundus ſum, atq; ita comparatus, vt hominum beneuolentiam blanditijs, & aſſentatione ſurripere queam, quales multos eorum video, qui hoc tempore Sacerdotij munus profitentur, qui Fidei noſtræ pietatem, quæ priùs ſimplex, atq; artis expers erat, artificioſam reddiderunt, ac nouum quoddam politices genus a foro ad Sancta tranſlata; & a theatris ad ſacrarium. vulgi oculis minimè ſpectandum; ita vt audacter hoc dicere oporteat: duæ iam ſcenæ ſint, inter quas hoc dumtaxat interſit, quòd illa omnibus pateat, hæc quibuſdam: illa rideatur, hæc in honore ſit, illa theatrica, hæc ſpiritualis nominetur.*

309 Nonne ad amuſſim ferè etiã cõgruunt, quæ de huiuſmodi ſcenicis Concionatoribus deplorat quoq; D. Chryſoſtomus? b *Hoc Eccleſias Dei* (inquit) *ſubuertit, quoniam nec vos ſermonem audire quæritis compunctionum, ſed potiùs qui delectare ſono valeat per bonam compoſitionem, tanquam citharœdus audientes, & nos ſauiter, & ærumnosè facientes, veſtras ſequimur complacentias, quum eas deberemus excidere.* Nonne eundem Chryſoſtomum in eos, qu

facetias

a *Orat. 27.* b *Hom. 38. ad popul.*

facetias extra Conciones quoq; ſerunt, excandeſcentem iam ſemel, pauloq; ante ex me audiſtis? a *Paraſitorum eſt*, ait, *res iſta mimorum, Saltatorum, fornicantium mulierum: procul a mẽte libera, procul ab ingenuo, procul etiam a ſeruis: ſi quiſquam eſt ignobilis, ſi quiſquam eſt turpis, & obſcœnus, iſte ſit, & urbanè facetus*. Quanto magis hoc eodem fulmine Chryſoſtomus eum, qui huiuſmodi ſcommatis ſacras fœdaret Conciones, proſterneret? Nonne a Senonenſi etiã Cõcilio dilucidis verbis, vt pariter indicaui, ſeueriſſimè cautũ legimus? b *Si populum* (inquit) *more ſcurrarum viliſſimorum, dum ridiculas & aniles fabulas rec tant, ad riſus cachinnationeſq; excitauerint: aut* (*quod deterius eſt*) *ſi Prelatis Eccleſiæ, Principibus, Sacerdotibuſq; detraxerint &c. Nos volumus tales, tam ineptos, & pernicioſos Cõcionatores ab officio prædicationis ſuſpendi, & a ſuis Superioribus pro modo, & menſura acriter puniri*.

310 Nonne poſtremò vir grauiſſimus, ac valde pius Ludouicus Bloſius aſſeuerat planiſſimè, c *Nimio eloquentiæ amore mentes eorum, qui minùs affecti ſunt, facillimè a Deo ac pietate auocari, atq; in præcipitium philautiæ, ſuperbiæ, cœnodoxiæ pertractas, velut atheas reddi?* Atq; hæc omnia ex infinitâ conſimilium decretorum apud Patres ſiluâ ad ſpecimen dumtaxat cæſa ſunto.

Inuti-

a *In cap. 5. Epiſt. ad Ephes.*
b *Cap. 35.*
c *Initio ſuorum operum.*

Inutiles, vaniq; Concionatores etiam à noſtri ſeculi Auctoribus paſſim, aſpereq; flagellantur.

311 QVod ſi noſtri quoq; ęui Scriptores, qui idem hominũ genus leue, ac ioculare incenſè admodum reprehendunt, peruoluam, omneſq; enumerare velim, ne dum exſcribere, finem nõ reperiet oratio, Auditores. Quare pauciſſimos tantummodo libans, carptimq; legens, acerbiſſimo dolori meo, quem tot ac tanta detrimenta ex hac peruersâ concionandi formâ in Christianã Rempublicam redundantia mihi iã pridem inuſſerunt, iuſtiſſimè parentabo. Ducat ordinem omniũ primus, Orator diſertiſſimus M. Antonius Muretus, a quo inſipientes huiuſmodi Concionatores ſapientiſſimè hoc modo irridentur. a *Tale diſputandi genus, circulatoribus magis, quàm philoſophis conuenit. Huius ipſius vitij exempla, vel maximè illuſtria notaui in quibuſdam maximarum rerum ad populum interpretibus, quarum oratio, quæ non compta, & calamiſtrata, ſed grauitatis, maieſtatis, ac ſanctimonia eſſe deberet, tota papauere, ac ſeſamo ſparſa eſt, & ex mellitis verborum contexta gloſbulis, ita vt ad eos, non tanquam ad vitæ magiſtros, aut vitiorum correctores, ſed tanquam ad comœdos, & hiſtriones eatur. Stant illi, & quum frontem bis terue perfricuerint, barbamq; permulſerint, biante, & mirificum quid expectante plebe (plebis autem nomine etiam quoſdam ex optimè* voſ-

a *In Seneca Epiſt.* 40.

veſtitis comprehendo) laxant habenas linguæ, & ſimiliter cadentia, ſimiliterq́ desinentia coaceruantes, paria paribus, contraria contrarijs opponentes, multa etiam ſemel ſuo ordine repetentes, eaq́ in re memoriam pueriliter oſtentantes, atq; hæc, ſaltatricularũ in morem, geſticulatorijs, neq; vnquã quietis manibus adiuuantes, argutè nutita, quibus riſum excutiant, dicunt, nunquam interim aut ſibi, aut Auditoribus reſpirandi facultate permiſſa. Quibus omnibus rebus admirationem imperitis, cordatis, & intelligentibus nauſeam, ac ſtomachum commouent.

312 Mutero ſuccedat Tarquinius Gallutius in eâdem eloquentiæ paleſtrâ exercitatiſſimus. a *Quum igitur* (inquit) *eorum pleriq; qui ad populariter orandum accedunt, laudabiliter dicere ſe poſſe diffidant, niſi orationem ante diutule pectant, atq; aliquo colorent medicamento, inſalutatis Grammaticis, atq; Oratoribus, ipſis in penetralia poetarum inuadunt: a quibus vbi putida quædam adiuncta, vel metaphoras illuſtriores interuerterint, ſententias infuſcant ſuas, obſcurant alienis luminibus argumenta; & quia cupreſſum malè ſimulare ſemel didicerunt, peſſimè omnibus locis, ac ſemper eandem cupreſſum inculcant. Tum enim verò illa audientium voces excipiuntur, quæ iſtorum orationem iure quidem, ſed falſo nomine reprehendunt: quum quos homines abſurdos, ac ſtolidè debacchantes appellare deberent, eos ſequi dicant Rhetorica florem Orationis. Quos ego quum audio, ſæpe mihi venit in mentem reſpondere, legi quidem ab iſtis flores, ſed*

flores

a *Tomo 3. trat. 5. de concionibus ſacris.*

ſtores vulgò, ac paſſim obuios, fœtidos, deſpicatiſſimos, in luto ipſo, fimoq́ue naſcentes. Aliud eſt apiculam eſſe, aliud eſſe fucum, aut ſcarabeum. aliud eſt florem fundere, qui pariat frugem; aliud ſine fructu, ac fœtu inaniter efflorеſcere: aliud eſt, ſuis nitentem coloribus, natiuo vegetam ſucco, minimè maculoſis ornatam veſtibus, quaſi virginem, aut matronam ex honeſtiſſima domo Orationem producere; aliud ceruſsâ oblitam, ac ſtibio, vnguentis delibutam, & medicamentis exoticis, Phrygiâ pallâ, vel purpurâ collucentem Tyriâ proferre, quaſi de ganeâ meretricem. Declamaret in iſtos vir eloquentiſſimus, idemq́ue ſanctiſſimus Hieronymus id, quod in Chriſtianos ſui temporis Oratores declamauit. Ad quos velut ad Athenæum conueniri dicebat, vt imperitorum excitaretur plauſus, vt oratio Rhetorum obuoluta mendacijs, quaſi meritoria pellex procederet in publicum, non tam erudituru populos, quàm fauorem populi quæſitura. Declamaret Hieroſolymitanus Cyrillus, qui nimium verborum ornatum in Chriſtiani declamatoris ore mel e meretriculæ fluens labijs appellauit. Declamaret Clemens Alexandrinus, qui iſtorum orationem, conuiuium nullis ornatum epulis dixit bellarijs tantùm, & cōdimentis, quaſi quibusdam adulterijs epularum inſtructum. Declamaret Baſilius, qui vocū elaboratam poſiturā, numerorū conuenientiā, atq; ad vnguē exploratā collocationem irridet, negatq́ue Chriſtianis licere periodorū quaſi fabros eſſe, ac tornatores. Declamaret Gregorius Nazianzenus, qui fucoſā, ambitioſāq́ue dicendi formā a Theologiâ, hoc eſt a diuinis cauſſis cenſuit omnino, ac prorſus exterminandam. Hactenus Gallucius. eloquen-

tiſſimè.

313 Quid iam præterea Carolum Regium memorem, qui integrum, iuſtumq; ſacro de Oratore volumen condidit, atq; edidit, in quo & frequenter, & grauiter futiles, inanesq; tam Conciones, quàm Concionatores euerberat? Mitto reliqua omnia, vnâ, alteraue eius teſſerâ contentus. *a* An nō eū, qui ſacram Orationem ſeu ad lucrum, ſeu ad ſui gloriam referret, vel materiâ, formaue Auditorum profectui minimè accommodatâ non tam conformaret, quàm deformaret, planè Cōcionatoris nomen amittere, ſolumq; eſſe ſophiſtā, vel, vt aiebat Plato, coquinariū Rhetorem affirmat? *b* an logodædalis iſtis vllam aliam, quàm leuis, iactabundi, circulantisq; Concionatoris appellationem indulget? *c* an non illos, qui Auditorum vtilitate poſthabitâ, id ſolū artificioſis deſcriptionibus agunt, vt eorū aures oblectent, ſuāq; facultatē oſtentent, e ſacro Cōcionatorū albo diſpūgit, atq; inter Hiſtriones, ac Poetas recenſet?

Nicolaus Cauſſinus graues pœnas a vitioſarum fabris Cōcionum iure, meritoq; exigit.

314 VErùm nemo, quòd ſciam, neruoſiùs, nemo vberiùs, nemo atrociùs

a *lib.* 4. *cap.* 4.
b *Ibid. cap.* 9.
c *lib.* 8. *cap.* 17.

ſtores vulgò, ac paſſim obuios, fœtidos, deſpicatiſſimos, in luto ipſo, fimoq; naſcentes. Aliud eſt apiculam eſſe, aliud eſſe fucum, aut ſcarabeum. aliud eſt florem fundere, qui pariat frugem; aliud ſine fructu, ac fœtu inaniter eﬀloreſcere: aliud eſt, ſuis nitentem coloribus, natiuo vegetam ſucco, minimè maculoſis ornatam veſtibus, quaſi virginem, aut matronam ex honeſtiſſima domo Orationem producere; aliud cerusſâ oblitam, ac ſtibio, vnguentis delibutam, & medicamentis exoticis, Phrygiâ pallâ, vel purpurâ collucentem Tyriâ proferre, quaſi de ganeâ meretricem. Declamaret in iſtos vir eloquentiſſimus, idemq; ſanctiſſimus Hieronymus id, quod in Chriſtianos ſui temporis Oratores declamauit. Ad quos velut ad Athenæum conueniri dicebat, vt imperitorum excitaretur plauſus, vt oratio Rhetorum obuoluta mendacijs, quaſi meritoria pellex procederet in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæſitura. Declamaret Hieroſolymitanus Cyrillus, qui nimium verborum ornatum in Chriſtiani declamatoris ore mel e meretriculæ fluens labijs appellauit. Declamaret Clemens Alexandrinus, qui iſtorum orationem, conuiuium nullis ornatum epulis dixit bellarijs tantùm, & cõdimentis, quaſi quibusdam adulterijs epularum inſtructum. Declamaret Baſilius, qui vocũ elaboratam poſiturã, numerorũ conuenientiã, atq; ad vnguẽ exploratã collocationem irridet, negatq; Chriſtianis licere periodorũ quaſi fabros eſſe, ac tornatores. Declamaret Gregorius Nazianzenus, qui fucoſã, ambitioſãq; dicendi formã à Theologiâ, hoc eſt à diuinis cauſſis cenſuit omnino, ac prorſus exterminandam. Hactenus Gallutius, eloquen-

tiſſimè.

313 Quid iam præterea Carolum Regium memorem, qui integrum, iuſtumq; ſacro de Oratore volumen condidit, atq; edidit, in quo & frequenter, & grauiter futiles, inanesq; tam Conciones, quàm Concionatores euerberat? Mitto reliqua omnia, vnâ, alteraue eius teſſerâ contentus. *a* An nõ eũ, qui ſacram Orationem ſeu ad lucrum, ſeu ad ſui gloriam referret, vel materiâ, formaue Auditorum profectui minimè accommodatâ non tam conformaret, quàm deformaret, planè Cõcionatoris nomen amittere,ſolumq; eſſe ſophiſtã, vel, vt aiebat Plato, coquinariũ Rhetorem affirmat? *b* an logodædalis iſtis vllam aliam, quàm leuis, iactabundi, circulantisq;Concionatoris appellationem indulget? *c* an non illos, qui Auditorum vtilitate poſthabitâ,id ſolũ artificioſis deſcriptionibus agunt,vt eorũ aures oblectent, ſuâq;facultatẽ oſtentent,e ſacro Cõcionatorũ albo diſpũgit,atq;inter Hiſtriones,ac Poetas recenſet?

Nicolaus Cauſſinus graues pœnas à vitioſarum fabris Cõcionum iure, meritoq; exigit.

314 VErùm nemo, quòd ſciam, neruoſiùs, nemo vberiùs, nemo atrocius

a *lib.* 4. *cap.* 4.
b *Ibid. cap.* 9.
c *lib.* 8. *cap.* 17.

ciùs huiuſmodi adulteria Concionum, politulosq; Concionatores, quàm Nicolaus Cauſſinus, lucuIentiſſimo de ſacrâ,& humanâ eloquentiâ opere publicato, Apoſtolicoq; planè ſpiritu, ac libertate, eſt perſecutus. Ex quo ego, velut e munitiſſimo armamentario, præſertim e libro xv. maiora quædam educens tormenta, dimicationẽ omnem prælium que, victoriæ ſecurus, tandem aliquando conficio. Sed priùs vos ego omnes, ampliſſimi Patres, etiam atq; etiam obteſtor, vt Orationem e viro eloquentiſſimo depromptam paulo longiorem æqui boniq; conſulatis, eiuſdemq; ſingulari præſtantiâ, atq; operæ pretio faſtidium omne, ſi quod erit, penitùs arceatis.

Sæpenumero mirari ſoleo (ita apud eum loquitur Theophraſtus a) *deprauatã iſtius eloquentiæ licentiam ſine fronte, & oculis. Nihil enim aut veretur, aut videt. Heu quò rerum deuenimus! Eccleſias penè ipſas in ſcenas, & Conciones in theatrales ludos nituntur cõuertere. Ignoſcant mihi ſepulti piorum manes. Sed puto, eorum cineribus, ſi quis modò ſenſus eſt, inuri dolorem, quum hæc iactantur in Templis, quæ meliùs inter ludibundas aures in circulis, vel etiam theatris narrarentur: Nobis certè adoleſcentibus dicebatur a Magiſtris eloquentiæ, Athenienſes quum ludos gladiatorios, malo vicinarum vrbium more, & exemplo, in ſuam vrbem admittere percuperent, Demonactem, qui tum ferebatur in eâ Repub. clariſſimus, grauiter obſtitiſſe. Quò enim, aiebat, gladiatores*

a *lib.* 15.

diatores cum miſericordia, quæ in vrbe veſtra (Athen enſes) delubris, & aris colitur? Vel cruentam illam hominum lanienam expellite, vel certè aram miſericordiæ, quæ præ veſtris ſtat oculis, euertite. Neq; enim fas eſt, iſta, quæ moribus diſiunctiſſima ſunt, iiſdem ſedibus commiſceri. Mihi verò idem in re haud multum diſſimili contingit exclamare. quò mihi fabula cum veritate? quò mihi phaleræ verborum cum ſanctimoniâ? quò cum igne vigili, & tremendâ Chriſti arâ Silenorum, & Satyriſcorum luſus? Ite, primùm ſacras imagines e Templis conuellite, ignes extinguite, aras ſubruite, tollite mihi iſtam ſpeciem plenam grauiſſimæ ſanctitatis, quæ vel impiorum ſenſus tacito quodam maieſtatis fulgore perſtringit. Vel certè ſi pudet tollere; tot religionis noſtræ pignora, quæ contra vanitates iſtas clamant, obnubite: tum fabulas narrate: quanquam terram ipſam piè ſanctèq; conſecratam, niſi eradatis, ad has voces indignatum iri crediderim. Fuit quondam tempus illud, quo inſtar grauiſſimæ matronæ, ſacra in publicum procedebat eloquentia. Nunc autem, pudet dicere, ſed piget tacere, hæc, vt leuis meretricula, ſe lenocinijs, & fucis inſinuat, haud enim negat, quòd ipſa talis ſit, nec, ſi velit, poſſit: nec, ſi poſſit, velit.

315 *Quin audiet ſtatim:* Radix tua, & genera- „
tio tua de terrâ Chanaam: Pater tuus Amor- „
rhæus, & mater tua Cethæa, & quando nata „
es in die ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus „
tuus, & aquâ non es lota in ſalutem, nec ſale „
ſalita, nec inuoluta pannis. *Quæ enim radix* „
Chanaan, niſi Gentilitas? ecquid pater Amorrhæus, niſi,

us,niſi,quem ſibi fingunt auctorem, & Deum eloquentiæ,Mercurius aliquis,aut Hercules Ogmius? Ecqua Cethæa mater, niſi Ethnicorum Sophiſtarum Schola? Quid vmbilicus minimè præciſus & aqua ſalutaris, ac ſalis, pannorumq́; inopia, niſi ſordes,& ſtultitiam, & nuditatē,iſtius deniq; impudentis turpitudinem prædicant? O mores! adeone generoſus ille ſanctorum Patrum ſpiritus extabuit in nobis,vt pudeat eos agnoſcere, qui nos tamen (ſi modò Chriſtiani ſumus) in Chriſto genuerunt? Scilicet pudor eſt,cum Petro, & Paulo, cum Matthæo,& Ioanne loqui;ſunt enim barbari, & linguâ,voceq; abſoni. Qui igitur diurnis,nocturniſq; terendi manibus, qui apud molles cathedras appellandi? Philoſtrati, Ouidij, Plin ij, Plutarchi. addite etiam Petronios, Apuleios. Ita illi ipſi, quos æternis tenebris ſepelire oportuit, prodeunt nō in ſcholarū vmbracula;iam enim commune eſt,ſed in ſuggeſtum Concionatorum,& in hanc lucem Chriſtiani nominis quam ipſi,ſi reuiuiſcerent, auctores non auderent intueri. Tertullianus,libro de Idololatriâ Ludimagiſtros,qui fabulas Poetarum docent: affines eſſe, *ait*, multimodæ indololatriæ. Primùm quibus neceſſe eſt,Deos nationum prædicare, Numina,Genealogias, Fabulas, ornamenta honorifica, quæq;eorum enuntiare,tum ſolemnia,feſtaq́; eorundem obſeruare, vt quibus vectigalia ſua ſuppetant, ipſam primam noui diſcipuli ſtipem, Mineruæ, & Honori,& nomini conſecrare. *Quo igitur in numero fabuloſos Concionatores cenſuiſſet? adeone ſacrarum Literarum fontes exaruerunt? Adeone Cæleſtis eloquentia flu-*

mina

mina ſunt exhauſta, vt a Luciano, & Herodoto, & Pauſania, & ſi quid eſt iſtius farinæ hominũ, quærendum ſit, quid dicas, aut quomodo concioneris? Audiuntur illi ſacris authoribus frequentiùs immixti, laudantur eorum ſententiæ, & loquuntur mortui in Chriſtianorum pulpitis nonnulli, quos viuos vix Epicuræi admiſiſſent. Commiſcetur Chriſtus cum Orpheo, vt in Alexandri Imperatoris Larario Plato: Atticus cum Paulo, cum Petro Thucydides, & Lucas cum Apollonio. Præclaram ſcilicet mixturam! & quid reſtat, niſi vt Deiparam quoq; Virginem cum Helenâ confundamus? Abſit verbo inuidia; ſed timendum eſt, ne qua hîc Cæleſtis ira lateat, quam noſtri ſenſus ſatis non agnoſcant. Audio tonantes minas. a Venite confundamus linguam eorum. *Ecquid* „ *aliud ſunt, quàm linguæ miſcellaneæ, & confuſæ, tot profanorum auctorum idiomata? quos certè qui, ſpretis Catholicis Scriptoribus, conantur ingerere, Babel aſtruunt, quem Deus Spiritu oris ſui exſufflabit. Deinde plaudunt ſibi miſeri, quaſi pulchri ſint, & beati, quòd ab imperitis fortè adoleſcentibus hac eorum plauſibus celebretur eloquẽtia. Heu quàm carè leues illi fumi gloriolæ conſtabunt, niſi fortè ſatis magnum præſidium arbitrantur in ſuâ eloquentiâ poſitum, vt ſe aduerſùs tremendum ſummi Iudicis Tribunal defendant, quum ab ipſis Dæmonibus accuſabuntur, quòd ſpretâ Literarum ſacrarum maieſtate plenâ ſanctiſſimæ eruditionis, ad nugas, & quiſquilias deflexerint, quibus ne Adonidis quidem horti, quos ipſi memorant, magis ſteriles vnquam fuerunt. Sed*

alia

a *Geneſ.* 11.

alia eſt ratio eorum, qui hæc parcè, & ſapienter vſurpant; alia eorum, qui totas Conciones his deliramentis infarciunt, qui debebant hoc fulmen Baruchis attendere: *a* Filij Agar, qui exquirunt
,, prudentiam, quæ de terrâ eſt, negotiatores
,, terræ, & Theman, & fabulatores, & exquiſito-
,, res prudentiæ, & intelligentiæ; viam autem
,, ſapientiæ neſcierunt, neq; commenti ſunt ſe-
,, mitas meas.

316 Deinde poſt aliquot paginas: *At vos* (inquit) *qui hæc laudatis, veſtris moribus, & ingenijs ſemper vtimini. Si quando enim vobis res diuinæ tractandæ ſunt, tantum abeſt, vt facultate quadam orationis mediocri ſitis contenti, penſiculatè ſoletis cunctas voculas examinare, numeratis apices ſyllabarum, cauetis, ne quid hiulcum, aut protritum excidat, contumaces ſyllabas aſſiduo pumice læuigatis; denique in eam eloquentiam cum veſtris phaleris prolapſi eſtis, vt pudeat vos Dominum Ieſum* Saluatorem *appellare. Sordent vobis Eccleſiaſtica vocabula, quæ iam per tot ſecula a ſanctiſſimis viris ſunt vſurpata. Trinitatem, Baptiſmum, & Miſſam quæritis apud Tullium; ſi non inueniuntur, quidlibet potiùs per longos verborum circuitus inuenietis, quàm ficum ficum, & ſcaphā ſcapham appelletis. Quænam, malum! eſt iſta eloquentia inimica veritati? Quid dicam de tot dictionum figuris, minutulis illis quidem, & ſæpe nullis, quibus ad nauſeam diſtinguitis orationem? quid de quadrigis albis, veſtris, inquam, periodis (ſic enim audio iam appellari) fluunt vobis ad numerum erotundati verborum ambitus, ſcitiſſimis clauſulis comprehenſi. quidlibet perpetrandum*

a Baruch 3.

dum potiùs,aut ferendum,quàm vna periodus de ſuo curriculo excidat. Alia alijs ingeruntur tota ductiles,vel potiùs e torno recentes, quæ putidam, & anxiam veſtram diligentiam, vel tacentibus nobis,arguunt. Accedunt tot excurſiones,tot deſcriptiunculæ, tot hiſtoriæ, ab extremâ ſæpe Indiâ petita, tot ignota belua, tot flores inuiſi, tot gemmæ non magis indigenis, quàm vobis nota, quæ cum myſterijs noſtræ religionis conferuntur,vbiq; quanto frigore, non dico, ſed nihil aiunt in Rhodopæis niuibus eſſe frigidius.

317 Rurſum infra. *Non ſunt* (inquit) *Hebraæ, ſicut Ægyptiæ mulieres: hæ ſiquidem in lectulis eburneis inter ſtultas delicias pariebant, illæ in Sole, & puluere penè inter ipſa onera partu ſe leuabant. Neſcit tarda molimina Spiritus Sanctus. Non ſunt,vt Dionis Pruſæi, & Maximi Tyrij,Chriſtianorum Conciones. Illa enim inter delicatorum vmbras putidè ſcribantur,& anxiè, repant in auro,& purpurâ comantur,fulgeant,ſcintillent. At nos, quibus æſtus diei, & pondus ferendum eſt, quibus crux, crux (inquam) prædicanda, quibus toti perfidiæ criminibus immerſi peccatores excitandi,pungendi, fulminandi, quid habemus cum iſtis delicijs commune? Nam ſatis cotidianâ compertum illud habemus experientiâ, ſi quando ad iſtos Concionatores,vel Declamatores potiùs itamus,qui cultè,& putidè, & circumſpectè loquuntur ad numerum, quæ ex ſcripto didicerant,redimus frigidi,quaſi a marmoreâ ſtatuâ. Quî poſſet enim pugnare cum vitijs, qui totus vinctus eſt,& adſtrictus legibus numeroſæ orationis? quos impetus,& emiſſiones habebit, qui lu-*

dit in circulis? quàm altè vulnus imprimet, qui aureis, & picturatis vtitur iaculis? non venit ad pugnam; ad pompam venit. expectatis, vt dimicet? venit, vt ſaltet. Qui in grauiſſimis curis & cogitationibus exſudare debuerat animus, & alarum remigijs in Cœlum contendere, incluſus fuit. vbinam? pudor eſt dicere, in paruâ Iſocratis pyxide, quid tum? totus volutatus eſt in vnguentis: quorſum? vt pugnam aduerſus hominum flagitia capeſſeret: præclara ſcilicet armatura. Quid tum poſtea? deſcendit in campum: quo exitu? leuiſſimum vanitatis cymbalum, neſcio quid, tinnulum increpuit, & exceſſit. Vtinam minùs vera dicerē, ſed animarum damno experimur, quàm minimè fucata ſit hæc oratio. Nonne grauiora ſtudia his minutulis nugis obruuntur? non obſeſſus animus tenetur? non lingua conſtringitur? non auditores ipſi, qui multi ſæpe ſunt, hebetes ad iſtum tinnitū dormiunt? nonne qui boni ſunt, indignantur? nōne qui improbi, & leues, modicè titillati, ſine fructu animarum diſcedunt? Veniſti in aciem. quorſum? vt luderes? non poteras domi? Licebat tibi apud Rhetores deſidere, & linguam, ſi mauis, inaurare. nunc ferrum exercendum eſt. quid ſtupes? ami-
„ ce ad quid veniſti? *Ecce victus penuria, ecce* „ *fames: paruuli petunt panem: non eſt, qui diuidat. tu paleas obtrudis, paleas Ægyptiorum. Veniſti in valetudinarium. ille ambitionis, hic auaritiæ, alter luxuriæ ſceleribus, & flagitijs totus coopertus, eroſus, purulentus, Cælo & Terris fœtet, vrendus eſt, ſecandus eſt, ſanandus eſt, tu barbiton pulſas: quaſi verò his cantilenis poſſis hæc Dæmonia eijcere. Diſcedunt illi miſeri in ſuis malis ſtupidi, &* plau-

plaudunt tibi quaſi concinno admodum Oratori, qui non clamoſus ſis, & vt aiunt, rabioſus. tu interim dulcem veneni ſorbitiunculam ebibis, & te, & alios in diſcrimen interitus adducis. En quò humana ſapientia nimis impenſa cura, mentes obſeſſas rapit. deinde hæc non ſunt timenda, non ſunt increpanda?

318 Tandem in eos, qui in concionando, non ad animarum fructum, ſed ad humana, & priuata cōmoda, ad honores, ac dignitates potiſſimū graſſantur, generoſa indignatione commotus, ſic meritò inuehitur. O curuæ „ in terras animæ! *Tu igitur Concionatorem „ tibi fingis, quaſi aliquem ex minutis cauſſidicis, qui venetur rumuſculos, qui ventiletur in Concionibus, qui leges vendat, lucre ſam deniq;, & ſanguinariam exerceat eloquentiam. Præclara ſcilicet ſpecies Concionatoris, quem ament boni, timeant improbi, honeſtet Deus, ipſi revereantur Angeli, dignus planè agoniſta, qui crucem ferat, qui frementis in ſe Mundi pondus excipiat, qui intercedat iniquitatibus hominum, infectum reddat quicquid fieri non oportuit, velociſſimi ſideris more vtrumq; Orbem luſtret, qui cum ſqualore, inediâ, & ærumnis luctetur, ad ſummum ſuo cum cruore, quum opus fuerit, Fidem ſanciat. Ego (adoleſcentes) optimum Cōcionatorē duabus maximè rebus niti exiſtimo, virtute, & ſapientiâ. Quod quum parum conſideratè nōnulli perpendant, ab ipſo impingunt limine, & toti deinde grauiſſimis morgantur erroribus. Videre enim licet iſtos leniculos declamatores, quos pruritus ambitionis propellit in-*

 pul-

pulpitas? quid putas eos ſibi animo fingere, aut moliri? nati ſunt ad Concionatorum munus,
A vt boues ad clitellas, aut ad ſambucam calones, quippe ætate adoleſcentuli, & grauiſſimarum curarum expertes, intra luſus, delicias& nutriti,
B ſi ab incude doctoris vmbratilis adhuc recentes duas, aut tres deſcriptiunculas, & totidem conqueſtiones, aut miſerationes didicerint, ſtatim inuolant in onus ipſis Angelorum humeris formidandum. Tum eunt in ſiluam allegoriarũ, ſine delectu folia colligunt, locos communes deuorant, & ſi quid ex Ouidij Metamorphoſi, aut antiquorum Romanorum rebus geſtis ad Fidei noſtræ ſacramenta detortum eſt, hoc pro anemonis habetur; ſuccedunt margaritæ Gallicæ, quæ molles, & pellucidas orationis fimbrias ſcintillantibus radijs interſtinguunt, modò aliquot Scripturæ ſacræ locis leuiter ſint aſperſæ, pro optimâ Theologiâ venditantur. Biblia ſcilicet
C euoluere, ſanctos Patres legere, Oecumenicorum
D Conciliorum ſancita, & canones inueſtigare frigidorum eſt, & otioſorum hominum. Nam longè mollius eſt iter, recentium aliquot Concionatorum libros compilare, in quibus mirifici ſenſus, & ex auguſtiore Caballiſtarum ſacrario petitæ commentationes, quæ quum dicuntur, oracula, non voces humanæ fundi videntur. Hinc hominũ admiratio, doctrinæ opinio, & imperitorũ ſtupor. At ſi in Biblijs, aut Patribus terendis cõſeneſcas, quid aliud habebis, quàm communis doctrinæ
E choragium, quod millies ante te alij dixerint? Non vides nouitatis deſiderio prurire omnium auriculas, & doctos homines eſſe permultos,

qui

qui expectent arcana? Tu ſi vulgaria dixeris, ſolitudinem facies, & vaſtitatem. His delinimentis in fraudē inducuntur miſeri, & peregrina, neſcio quæ, quàm audiſſimè conquirunt, vt faſtidioſas aures mulceant. Non vacat tunc cum Deo meditari, quid dicant; non eſt commodū cogitare, quomodo ſe in exemplar probitatis, & ſanctimoniæ conforment, quomodo vitijs hominum medeantur, quomodo conſulant pauperibus, quomodo ad virtutis amorem ſuos Auditores pelliciant. Hæc enim antiqua ſunt, & exoleta. ſtudent ſapientiæ, exſpoliant vellus aureum, non quæ veriſſimè didicerunt, turpiter obtrudunt, & alij quidem pecuniâ, alij, quod leuius eſt, gloriolarum fumo quaſi in nundinis mancipant, non dicam verbum Dei, non enim prædicant, ſed animam ſuam, quam his artibus Dæmon licitatur. Tum ſi ſteterit fabula, & ſecundo curſu fluxerint Conciones, remiſſius viuunt, ac mollius, & curis quidem abdicatis, inferunt ſe ludibundi hominum circulis, res nugulas tractant, publicis epulis libenter interſunt, hic quicquid habent auctoritatis, naufragâ iam virtute deperdunt in ſcurrilibus. Agedum expecta, vt illis meſſes aureæ veniant in ſinum, vt Chriſto lucrentur animas, vt Cœlo manipulos inferant, vt ignem ſpargant in Chriſtianorum mentibus, qui ſunt in diuinis Scythicâ hyeme frigidiores. Hucuſque Caſſinus ſapientiſſimè.

Omnis acerbitatis inuidia ab hac Actione depellitur.

319 Sed quorſum, inquiet aliquis, tot Scriptorum centones fruſtra huc tracti, atq; in aceruum ita congeſti? quorſum tam multis alienis paginis, quaſi corrogatâ ſtipe, tuæ Orationis molem, ſcilicet tuam, augere? quorſum tam varijs anfractibus, atq; mæandris diſputationis, quã inceperas, filum, ductumq; temerè interrumpere, ac perturbare? Imò verò nihil commodius, aut opportunius, Patres ampliſſimi, cecidit, quàm vt, quũ antea ſolis munitus rationibus, cũ Aduerſarijs conflixerim; deinde locupletiſſimorum cohortem Auctorum quoque, quos anteſignanos doctrinæ de verâ eloquentiæ formâ, quam ab eorum corruptelis vindicaui, ſecutus ſum, cogerem, quadratoq; agmine tempeſtiuè in aciem educerem. Videbunt quippe Aduerſarij mei, neq; inuiti iam fatebuntur, ſtare me in hoc prælio non ſolitarium, ſed tam multiplici virorum quauis ſapientiæ, ingenij, eruditionis, prudentiæ, & ſanctimoniæ laude florentium coronâ ſtipatum, vt tantã horũ maieſtatem, ſplendorem, ac dignitatem, nullâ fronte, etſi alioqui duriſſimâ; nullisq; oculis, etſi aliàs non adeo pudibundis, ſuſtineri deinceps poſſe, haud ægrè tandem ſint conceſſuri. Quid quòd tam conferta Auctorum phalanx non ſolùm ea, quæ dixi, confirmat, ſuoq; obſignat ſuffragio, verùm etiam multa alia

crimina, quæ a me ſunt prætermiſſa, cauſſæ tamen meæ peraccommodata inſuper adiungit, ac vituperat?

320 Sed quantum hinc roboris, Auditores, huic additur Actioni; tantum profectò ab eâ demitur inuidiæ, omniſq; dicacitatis, aut acerbitatis propulſatur ſuſpicio. Quę ſunt enim omnium maximè probroſa nomina, quibus a me iſti ſe compellatos queruntur? quam vnquam auſteriorem in eos vocem ieci, quam alij quoq; doctiſſimi, integerrimi, religioſiſſimiq; viri iam pridem in eoſdem ante me nō iecerint? Agite, trutinā exhibete, lances porrigite, calculos date; & cuius tandem duriora ſint verba, ſedulò expendamus. Dolent, ſe velut infantes Philoſophos, Rhetoreſque, ceu tirones, & pueriles fuiſſe traductos? pueriles nuncupauit ante me Perpinianus; enormis, & ventoſæ loquacitatis arceſſiuit Guiniſius; ſuâ loquacitate tanquam peſtilenti ſidere iuuenum animos afflare, indignatus eſt Cauſſinus. Dolent ſe velut putidos, hebetes, ignauos, inſulſos, ac ſtupidos fuiſſe perſtrictos? imperitos, vecordes, ſtolidos, inſanos, amentes, excordes, ac fatuos nominatos? Vt ita ſit (quanuis ego huiuſmodi vocabulis tam cuſpidatis ne corruptos quidem Concionatores agitaui) frigidos, & ridiculos ante me nominauit Ariſtoteles; ineptos Cicero, & Perpinianus; fœdè, ac manifeſtè ſtultos Nigronus, inſanos, atq; amentes, eoq; deuenientes amentiæ, vt pudeat non inſanire; nec non plenos

deliramentorũ Fabius, & Cauſſinus. Dolent, ſe paſſim arrogantes, temerarios, furioſos, impudentes, moriones, mimos, hiſtriones, meretriciæ patronos eloquentiæ, flagitioſos atq; infames fuiſſe vocatos? Vt hîc quoq; conniueam, apertamq; exaggerationem diſſimulem; intoleranter arrogantes ante me vocauit Perpinianus, bacchantes Fabius, ebrios homines, ipſamq; ebrietatem Seneca; perditos, & furioſos Cauſſinus, effeminatos, atq; enerues, intemperantes, laſciuos, atq; impudentes idem Fabius, Tacitus, Guiniſius, & Perpinianus; mimos, & obſcœnos Demetrius; hiſtriones, & meretricijs ornatos veſtibus rurſum Tacitus. Quid amplius? Portentoſiſſimæ delicias orationis iiſdem exprobrauit Seneca; tibicinum choro eoſdem accenſuit Muſonius; ſimias Ciceronianas dixit Nigronus; Cerbero dignas offulas ab ijs cõpoſitas pronuntiauit Guiniſius; tanquã Chriſtianæ deſertorum religionis aſſeclas, deſerendæq; periculo, atq; infamiæ obnoxios admiratus eſt, ne dicam, execratus Perpinianus; ad extremum, velut eloquentiæ carnifices ad remos, ad beſtias, ad Tartara rapiendos, contentis lateribus, exclamauit Cauſſinus. Et quidem hiſce omnibus perhonorificis titulis profanos, ac vanos ipſos Oratores a viris & diſertiſſimis, & moderatiſſimis fuiſſe nobilitatos accepimus; quorum certè ſimiles, aut pares, maximam partem ab hac mea Actione abſunt quàm longiſſimè.

321 Num verò ſacrarum præuaricatores

Con-

Concionum blandiùs excepti ſunt? An ego fallor, Auditores, (& vtiq; non fallor) aut quicquid conuicij, & dehoneſtamenti fundere calamus, vel lingua potuit, id in eos omne viri grauiſſimi, atq; ſanctiſſimi prolixè effuderunt. Curuas eſſe in terram animas, boues ad clitellas; citharâ, & cantico perſonantes; hiſtriones, comoedos, ſaltatores, paraſitos, mimos, & circulatores aſſeuerârũt, coquinarios Rhetores, & caupones, molles, & effeminatas cathedras tradiderunt; Eccleſias in ſcenas vertere, Cõciones in theatrales ludos commutare; quicquid habent auctoritatis, naufragâ virtute in ſcurrilibus deperdere; turrim Babel, quam Deus ſpiritu oris ſui difflabit, extruere; ſpretâ ſacrarũ Literarũ maieſtate, ad nugas, & quiſquilias deflectere, ſe, & alios in ſalutis diſcrimen adducere nõtauerunt; velut adulteros, vt meretrices, vt concubinas, vt luxuriantes mulieres dedecorârunt; tanquam Eccleſiarũ euerſores, tanquã *athearum* mentium proſeminatores, tanquã multiplici affines *idololatriæ*, quibus Terra ipſa ſuccenſeat, Dei ira infeſta ſit, ſacra Templa, niſi priùs Diuorum imaginibus, aut conuulſis, aut ſaltẽ obnuptis, intercedant, cõdemnârunt, diraq; imprecatione defixerunt. Rogo nunc, obteſtorque Aduerſarios meos, vt gemina his meâ ex Actione depromant. Erunt ſine dubio haud paruo leuiora, placidiora, & ſuauiora. Quid igitur mihi poteſt hærere peccati, ſi tantorum virorũ veſtigijs inſtiti? quid piaculi, ſi tot Patres ſãctiſſimos

ſum imitatus? quid labis, ſi tam exploratis viæ ducibus me credidi? quid noxiæ, ſi vituperandi formulas ab ijs didici, ſi mutuatus ſum, ſi expreſſi, ſi nomina, verba, & phraſes exſcripſi? ſi minùs, quàm illi, ſeuerè, aſpereq; in Aduerſarios inuectus ſum? Omnes enim, quos laudaui, Scriptores, vt legenti, conſiderantiq; perſpectum eſt, vel idem, quod ego, crimen, vel minus, quàm ego, explodunt; vbiq; tamen eiuſmodi, vt vitioſas quoque meorum Aduerſariorum quum Orationes, tum Conciones ijſdem omnino calculis neceſſariò, etſi tacitè, multo tamen magis deteſtentur.

322 Leguntur horum omniũ, quos memoraui, Auctorum opera, & libri; editi ſunt, vulgati ſunt, in manibus omnium ſunt, ſine vllâ inuidiâ teruntur, ſine vllâ dicacitatis notâ circumferuntur. Quo igitur iure hanc mihi aliquis aſpergat, qui ſtylo multo minùs, quàm illi, auſtero præliatus ſum? Quin multi quoq; eorum, etſi deprauatum Oratorem tam acriter carpunt; non tamen de ſerio Oratore, ſed de ſcholaſtico potiùs Declamatore, aut commentitio Oratore loquuntur. At ego, quod ſemper profeſſus ſum, ſolos Oratores ſerios, & graues, quum in Sole, & puluere, in cauſſis magnis, in foro, aut in curiâ dicere neceſſe habent, meâ oratione comprehendi. Quanto igitur adhuc vehemẽtiùs in hos impetũ facere iure optimo potuiſſem? Accedit, quòd maior ferè pars Scriptorũ, quos protuli, ijs in locis, in quibus ineptos Oratores,

Con-

Concionatoreſue tam durè tractant, neque Oratorem, neq; Declamatorem agunt, vt ego; ſed temperatum diſſerendi characterem ex deſtinato ſequuntur. Quanto igitur magis hæc mea Actio, atq; Oratio, quæ in contentionis arenam deſcendit, cui, ex lege omniũ Rhetorum, & maior dicendi libertas, & acrior inſtandi vis conceditur, etiamſi multo adhuc acerbiùs in hac diſceptâſsẽ, ab omni mordacitatis offenſione eſſet immunis?

323 Poſtremò, etiamſi nullum mihi defenſionis ſuppeteret clypeum, validiſſimum mihi ſuâ auctoritate præbet diſertiſſimus Cauſſinus. Stylũ enim vanos in Cõcionatores ſtricturus, iniectoq; de cuiuſdam adoleſcentis declamatione potiùs, quàm Concione, cui imperiti admodum plauſerant, ſermone; *Dicam equidem* (inquit) *quod cenſeo pro mediocri vſu, & facultate, quã mihi triginta ferme anni in his Concionum laboribus exacti attulerunt. Nihil autem in hominem dictũ velim quem miſeratione potiùs, quàm caſtigatione dignum puto, & fortaſſe ſeriis egere monitoribus, quibus ad veram ſapientiã poſſet informari. Vos de re quicquid eſt, non de perſonâ accipite.* Idem ego quoq; iure vſurpauerim, cauerimque hoc loco, Auditores, nihil a me in vllum Oratorem, Concionatoremue, aut alium quemcunq; mortalium dictum, ſed ex more tantùm declamandi, Aduerſariorum nomine ipſa vel artis nõ bene cognitæ peccata, vel naturæ vitioſitates fuiſſe reprehenſa. Quin imò, in ipſomet huius Actionis veſtibulo quàm tempeſtiuè, quàm A

ex deſtinato, quàm perſpicuè denuntiaui, me ita in hac cauſsâ accuſatoris partes ſuſcipere, vt de Aduerſariorum honore, ac reuerentiâ nihil penitùs detractum vellem, quos equidem, etſi pro eo, ac par eſt, maximè colo, venerorque, ficto tamen pugnæ ſimulacro, nõ minùs amicè, quàm liberè, aggreſſus ſum? Verùm, licèt vitioſas reprehendi Conciones, nõ propterea tamen *noſtri ſeculi* (vt prudenter idẽ etiã Cauſſinus denuntiat) *penuriã accuſo, quod ſanè ex omnibus Eccleſiaſticorum Ordinibus generoſiſſimos habet Cõcionatores, ſed pono in conſpectu quæ poſſint euenire, & proculdubio multis euenerunt, quorum funeſtis exemplis ſapere debent adoleſcentes.* Ex quibus omnibus primũ dicacitatis crimen ſatis dilucũ puto, Auditores.

Huius Stylus Actionis copioſa ſui aduocatione vtitur.

324 Ridebunt prætereà Aduerſarij fortaſſe, quòd dum Tullianæ perduelles eloquentiæ tã grauiter vrgeo; dũ acuminum, ornamentorumq; intemperantiam tantopere inſector; ipſe ego & minimè omnium Ciceronianus in ſtylo ſim, & ab ijſdem acuminibus, iocis, argutijs, ſalibusq; nequaquam abſtineam; tum ab illâ quoque admirabili Tulliani artificij normâ quàm longiſ-
A ſimè deflectam. Audio opprobrantes. Deus
B mentem veſtram ſoſpitet, egregij monitores. Sed nunc, quî id criminis à me depellam, quæſo vos, diligenter attendite. Si Tullianũ

ſtylum arctis illis, peranguſtisque cancellis, quibus illum adoleſcentuli in Rhetoricis Ciceronis inſtitutionibus parum verſati, eiuſdemq; & mentis, & præceptorum ignari, in Senatu verò Latinitatis omnino hoſpites, frequenter includunt, definiamus: vt, ſi quod nomen, aut verbum a Tullio prætermiſſum, aut, quod ſciamus, ab eo non vſurpatum, quanquam alterius probati Scriptoris auctoritate ſatis commendatum, noſtrâ oratione excipiamus; de eiuſdem ilicet ſtylo penitus actum ſit; ego ſanè Ciceronianus non ſum, qui alias quoq; voces, quanquam bene Latinas, præter Tullianas, minimè negligendas exiſtimaui. Sed licèt in pueris huiuſmodi religio nunquam a Tullio, ne in vno quidem vocabulo abeundi ferri poſſit, valdeq; etiam ad defæcatam Latinitatem addiſcendam, probeq; imbibendam ſit opportuna: at in ijs, qui poſitis infantiæ crepundijs ex puerilis imperitiæ, rudiſq; literaturæ ephebis exceſſerunt, minimè eſſet laudabilis, atq; in vanam prorſus, fatuamq; ſuperſtitionem degeneraret. Fruſtra verò quàm plurimi, fuſtra genuinam M. Tullij, germanamq; ſobolem, quòd nonnullas ex eo phraſes, ac nomina anxiè corraſerint, identidemq; certum quendam verborũ ambitum ambitioſo illo ſyrmate, *eſſe videatur*, ambitioſiùs, putidiusq; terminârint, iactant, atq; mentiuntur. Aliud enim longè, vt probè noſtis, Patres ſapientiſſimi, longeq; diuerſum eſt, Ciceronianũ eſſe, quàm in ſolius Ciceronis verba iureiurando ſe ſe adigere,

qui chordâ eâdem, ac cæteri, oberrarim, eodemq́; intemperantię vitio, quod principio deſcripſi, ac deinceps caſtigaui, laborauerim. Ego verò teſtor, Auditores, præcordia mea, teſtor conſcientiam animi, ſemper me eam in curam toto incubuiſſe pectore, vt cauſſam explicarem, ac promouerem, omnēq́; ſemper cogitationes in Auditore percellendo, commouendoq́; penitùs haberem defixas. Sed quum quæſtionis ipſius negotium, grauitatemq́; perattentè meditarer, æſtuq́; quodam mentis mecum peruoluerem; tum ſubitò omnis ille, quem vſurpaui, acuminū, ornamentorumq́ue apparatus, ſponte ſe offerens, non vocatus, hærensq́; vltro dicenti, mentis præeuntis, rerumq́; indagatione occupatæ, preſſa veſtigia, tanquam famulus perquàm modeſtus, & moderatus, a tergo eſt ſubſecutus. Quare ſi quid acutius, hilarius, argutius, putidiusue, quod perſuaſionis vim aliquo modo extenuârit, vel omnino ſuſtulerit, per incogitantiam effudi; erraui, erratum reuoco, illudq́; tollendum, atq; antiquandum affirmo. Quod ſi econtrario id vnum mihi, vt perſanctè enuntio, conſilij ſemper fuit, vt verba omnia, & nomina perſuaſioni aptarem, eidemq́; cogerem, quantum conniti poſſem, ancillari; nihil mei gratiâ dicerem; omnia cauſſę tribuerem; atq; adeo tota illa, quam tenui, lepôrum, venerumq́; moderatio, perſuaſioni nihil incommodauit, ſed potiùs velificata eſt, neq; præpoſterè vos inter audiendum, in mei

aut ingenij, aut artificij contemplationem abduxit; ſed contra potiùs ad rem ipſam per quàm attentos defixit; paulatim argumentis incitauit; mox ad voſmet ipſos mihi dedendos, veſtrumq; aſſenſum meæ adiungendũ orationi inflammauit: redite, obſecro, in memoriam, hanc acuminum, ornamentorumq; moderationis teſſeram, ipſiſſimam illã eſſe, quam huius diſceptationis principio conſectandam dixi, laudaui, & prædicaui.

326 Hoc verò illud demum diſcrimen eſt, Auditores, quod inter me, meoſq; Aduerſarios potiſſimè intercedit: quòd illi ornatus,
A acuminumq; præcipuè, compediti ſerui ſunt; contra ego liber omnino, meiq; prorſus iuris, non me iſtis, ſed iſta mihi mancipo. Illi perſuaſionem acuminibus ſubijciunt; ego imperare iubeo. Et ſanè vt iocis, atq; argutijs in cauſſâ graui, ſerixque, quum acriter vrgendum eſt, atq; ex animo, neruoſeq; agendũ, intempeſtiuè admodum, peruerſeq; indulgetur; ita quum ludicra res tractatur, quum ioci ipſi, ſales, & ludi explodendi ſunt, iocis ſalibusq; commodiſſimè irridentur. Ioci enim in re ſeriâ plumâ leuiores ſunt. aſt ad ludicra, vt ita dicam, confodienda, tela ſunt, ferro quolibet, chalybeq; infeſtiora. Expendendum nimirum eſt, an ioci, atq; acumina peculiari fini ſingulis in locis propoſito, quem talis narratio, argumentatio, amplificatio, vel quæcunq; alia particula ſpectat, quadrent, congruatue: tum verò, vbi congruerint, ſi leuiter his perſpergatur oratio,

ferrea

ferrea in arma vertantur. Quæ enim reſu-
tantur, aliquando ſunt eiuſmodi vallata
præſidijs, expugnatu adeo difficilia, verita-
tiſq; colore ita infucata, vt veritatẽ ipſam mi- B
nimè ſinant internoſcere. Ad hæc ergo euer-
tenda alijs machinis, quàm iocis, vtendum,
argumenta ſcilicet firmiſſima admouenda.
Nonnunquam autem, quæ reijcienda ſunt,
ita infirma, & imbecilla; ita abſona, præ-
poſteraq; videntur, vt leuiſſimâ aurâ facile
difflari, & diſſipari queant. Ad hæc igitur C
exturbanda dicterijs, ſalibus, iocis, atq; D
argutijs, ſi parcè interſerantur, nihil oppor-
tunius. Idcirco ipſe quoq; eloquentię parens
Cicero iocos in tempore nõ ſolũ vſurpando
docuit; ſed etiã ſuis in Orationibus, quando
Aduerſarijs illudendum erat, non minus
ſtrenuè, quàm ſalsè; nec minùs decorè,
quàm prudenter (quicquid moroſi aliqui
vitilitigatores inuidè cauillentur) moderatè
interpoſuit. Quum ergo redundantiũ acu-
minum, atq; ornamentorum patroni decreta
tam multa adeo abſurda, adeo ridicula,
adeo inania promant in medium; quum opi-
nionum, neſcio quæ, portenta ita deformia
cõfingant; iocos profectò, ſales, atq; acumina
ad hæc profliganda, non potui ſine piaculo
negligere, aut prætermittere. At quum seriò
aliquid aggreſſus ſum; quum grauem animi
motũ ſtudui excitare; quum machinamenta
amplificationum frabricaui: notate, an hiſce
augamentis locum dederim, ac non potiùs
ſeuerè, iiſdem mihi penitùs interdixerim?

Verùm

Verùm an ego hanc ornamentorum moderationem ſeruauerim, atq; id, quod maximè molitus ſum, vſu ipſo perfecerim, veſtræ prudentiæ, Auditores humaniſſimi, veſtroq; iudicio tacitè perpendendum relinquo.

327 Sed quorſum ego huius Actionis meæ patrocinium ſuſcipio? quid huius ſtructuram operis, ſtylumq; tueor? Quaſi verò meo ſtylo, meo ingenio, meo artificio, atq;
A eloquentiæ aduocationem commodârim, ac non magis ad ſuam dignitatem, decuſue legitimæ, abſolutæq; dicendi formæ, hoc eſt, Tullianæ aſſerendũ omnes intenderim neruos, vireſq; omnes periclitatus fuerim. Ego ſanè, ſi quid habent Aduerſarij, quod hoc in opere accuſent, damnentque, libenter audiam, libentiuſque, vbi peccatũ agnouero, expungam. At nunquam, cenſeo, validè me, fortiterq; refellent, aut frangent, niſi Ciceronianã differendi rationẽ adhibuerint. Nempe ſi potiri victoriâ volunt, mea argumenta, meas rationes, meas amplificationes argumentis, rationibus, atq; amplificationibus, ſi non potentioribus, at ſaltem paribus arietent, conuellant, diſſoluant, labefactent, diſturbent, neceſſe eſt. Sin autem pergant
B in ijs, quas in me edent, ſchedis, paginiſq; more ſuo, argutiarum, ſenſiculorumq; intemperantiæ, præclariſſimo munere appoſitè ſcribendi, dicendiq; ad perſuadendum poſt habito, conniuere; ſi nulla alia ad me deijciendũ tormenta, quã futiliũ annominationũ intorquebunt; ſi nullam aliam impreſſionem,

quàm

quàm friuolorum acuminum malè agglutinatorũ, dabunt: illis certè ſtyli, dictionisq́; manifeſtis corruptelis a perſuaſionis fine tam longè adhuc peregrinantes, fidem, vel me tacente, facient, meritò me de illis eſſe conqueſtum, ſeq́; ineptè prorſus ad perſuadendũ dicere, ac proinde vitioſo quoq; eloquentiæ genere inquinatos, ingenijq́; ingenti imbecillitate, atq; inopiâ preſſos, in ludo adhuc ſcholaſtico turpiter diuerſari.

328 Quod ſi contra ad meam iſtam Actionem proferendam, Orationem ſuam, caſtigatâ, remotaq́; ſenſiculorũ intemperantiâ, A argumentorum firmamentis, morum, atq; affectuum præſidijs inſtruxerint, totosq́; ſe ſe ad perſuadendum contulerint: tum enimuerò meam hanc omnem diſputationem multò adhuc magis cõfirmabunt, planeq́; ineluctabilem reddent. Quid enim? ſi tum Aduerſarij Orationes ſuas aptas ad perſuadendum conformauerint: quis non animaduertet, eos iam ex illis lepôrũ, acuminum, ornamentorumq́; laſciuientium pratis ad Ciceronianæ eloquentiæ caſtra, arcemq́; confugiſſe: tum ex mollibus, delicatisq́; declamatoribus, ac nugatoribus in Tullianos, hoc eſt, viriles, & maſculos Oratores demigrâſſe? At ego, quanquam omnium Tullianorum Oratorũ poſtremus, Orator tamen Tullianus qualiſcunque, quid poſſum, quæſo, pro Tullianorũ eloquentiâ dimicans, a Tullianis metuere Oratoribus? Tulliani quidem Oratores multa, non dubito, errata, multa in artem dicendi

dicendi peccata, multa ſtyli piacula hoc in opere obſeruabunt, perſtringent, condemnabunt. Verùm ita damnabunt, vt meliore allatâ Oratione, atq; ad perſuadendum multo accommodatiore facultate, quî ſint ea expianda piacula, ſuo me exemplo, ductuq; prę clarè docturi ſint. Mea verò errata expungendo, atq; emendando, haud obſcurè admirabilem ſuam in perſuadendo vim, neruumq; patefacient; nec non eâdem quoq; operâ, meâ hac diſputatione perfectum, perſuaſumque, quod cupiebam, reuincent. Quid enim aliud ego ſtudui oſtendere, aut perſuadere, quàm non meam quidem dicendi copiam, ſed Tullianos Oratores, atq; Concionatores palmaris eloquentiæ eſſe parentes, & coryphæos, in perſuadendo vehementiſſimos, in arduis Orationibus, Concionibusq; architectandis ingenioſiſſimos, in afflandâ Auditoribus voluptate ſuauiſſimos, ac iucundiſſimos?

329 Hæc habui, viri ſapientiſſimi, quæ totâ hac de eloquentię grauiſſimâ cauſſâ in mediū proferenda exiſtimaui. Hæc me ardens communis boni propagandi ſtudiū; hæc me publici mali longè, lateq; tā eximia multorū ingenia vitiantis cōmiſeratio; hæc me tabidę luis tam diu graſſantis, in præſentiâ tandem aliquādo exterminandę, vel ſaltē coercendæ incredibilis ſolicitudo coegit, non tā ex ore, quā imo ex animo medullitus promere. Certè quidē niſi me ſperati fructus magna auiditas decipit, hi rationū inexplicabiles nexus,

hæ

hæ argumentorum inextricabiles catenæ, ac laquei, quemcunque ſanâ informatum mente, atq; vtentem, modò rationi obſequatur, modò ſui compos ſit, modò denique homo eſſe velit; facilè adigent dare veritati manus, deque puerili, ſi quâ imbutus eſt, ſententiâ nullo negotio decedere.

330 Neque tamen ſum neſcius, nonnullos perturbationum quodam æſtu fluctuantes interdum reperiri, qui, quòd omnem planè rationem repudient, maleque inſitū morem tueri mordicus; tum quæ ſemel arripuerunt, placita, & decreta fouere præfractè velint non argumentis bonam ad frugem, vſumque ſint reuocandi; ſed riſu potiùs, pedumque ſupploſione refutandi. Atqui ego opinioſiſſimos huiuſmodi homines iam nō alloquor, Auditores; ſed tota mea hæc Actio vos tantū, quotquot huc conueniſtis, viros graues, prudentes, doctos, perſpicaces, rationumque vim, ac robur non minùs facilè expendentes, quā ſeriò amplectentes compellat. Cur enim aquam, vt aiunt, tunderem in mortario, oleumque, ac operam cum iſtis capitonibus perderem, ac non vobiſcum potiùs, quos honeſtatis amor capit, decori cura excitat, communis mali angor vexat, tantâ de re philoſophandum arbitrarer?

PER-

PERORATIO

AD ORNAMENTORVM INTEMPERANTIAM VITANDAM ADHORTANS.

231 VErùm enimuerò piget me iam longiùs in hac cauſſâ tempus extrahere dicẽdo, Patres ampliſſimi. Satis enim cordatis, ac prudentibus viris, quã ſit hæc limatulorũ Declamatorũ, & Concionatorũ Oratio ad perſuadendum penitùs inepta; quàm imbecillo ſubnixa ingenio; quàm commentitiæ conciliatrix oblectationis; quàm inanem ob cauſſam tam corruptũ dicendi genus adamauerint Aduerſarij, atq; inuexerint, demonſtraui. Iam verò libenter ego aſpiciam illud os adeo illotum; nunc frontem illã tam audacem, quæ huiuſmodi genere tam abſurdo, atque exitiabili Orationem fœdare nõ erubeſcat, diligenter attendã. Quiſquamne, qui mentem habeat in poteſtate, tam importunæ œſtro vertiginis percitus exiſtet, qui hac eloquentiæ formâ, (quàm deformi? quàm turpi?) apud graues, eruditos, ſapienteſque Auditores dicere, quid dico, dicere? canere potiùs, aut ludere non vereatur? Citharœdus voluptatis captator, ſi vel vnâ incontentâ chordâ ſtridat abſurdè, omniũ irriſione traducitur. A ſcopo longiùs aberrans ſagittarius, quot quantiſque

ludibrijs

ludibrijs excipitur? In Philoſophicis diſputationibus poſitum varians argumentum, alioue traijciens, pedum ſupploſione perturbatur. Et tamen hi artifices, vt ſuo potiantur fine, vt citharœdus ſoni voluptate blandiatur auribus; vt hiſtrio oculos detineat; vt ſagittarius metæ tangat vmbilicum; vt Philoſophus in argumento ita ad amuſſim inſiſtat: quàm parum, aut prope nihil intereſt? Quanto fœdiore notandi dedecore, quã effusã magis excipiendi ſunt irriſione, qui in rerum & vtilium, & honeſtarum tractatione tam magno interuallo a fine diſcedunt Orationis à Adicendi ſcopo iſti toto, quod aiunt, Cælo deflectent, abibunt, digredientur; & ſine ſtomacho, ſine conuicijs ferent impune? Fucum veritati per ſummum ludibrium perpetuò oblinent, nuſquam vrgebunt, continenter errabundi diſcurrent; & placatis auribus exaudientur? A perſuaſionis callo ingrauioris adeo momenti negotio tã longè delirabunt; & a ſibilis temperabimus?

332 Sed quid ego de irriſione loquor? Alienæ rei curandæ præfectus, Cauſſidicus aliquis, Medicus, vel Magiſter, aut quicũque alius, muneris, quo fungitur, migrans leges; Aquum clientis litem, ægroti valetudinem, adoleſcentis ingeniũ peruertit; quàm ſeuerè carpitur? quantam ſubit vituperationem? Illico vociferantur Theologi, conſcientiæ recuperatores ſubitò clamant, debere eos ex officio diligentem nauare operam; negligentiæ multam commiſiſſe, ac proinde

mulctâ

multâ etiam, pœnâque multâ multandos? Et Oratores, atque Concionatores tot animorum patroni, tot vitiorum medici, tot populorum magiſtri, munera hæc tã grauia ſi corrumpant, paruo piaculo obſtringentur? At enim quid habent violata illa munera ſceleris, ſi cum grauiſſimis iſtorum officijs componantur? Vieta illa ſunt, & caduca; hęc æterna, atque immortalia: illa temporaria, atque infima, hæc omnem ſupergreſſa naturam, ac diuina.

533 Quantam verò, quantam, Deus immortalis! Æterno deuotus Numini Sacerdos concitat offenſionem, ſi ſacra minùs ſanctè, ſi minùs religiosè, cauteque procuret? quantum ſuſcipit omnium ordinum odiũ? quantâ flagrat inuidiâ? quã horrendi reus facinoris poſtulatur? Et tamen Sacrorum ignauior illa procuratio neminem ferè, niſi priuatũ hominem, attingit; hæc Oratoris, vel Concionatoris præuaricatio in publicam redundat perniciem. Illa certis, reſtrictiſque limitibus terminatur; hęc nõ ad vnam dumtaxat vrbẽ, ſed ad prouincias, ſed ad regiones, ſed ad ampliſſima regna, ad ipſum denique Orbem vniuerſum porrigitur. Et iſti veræ perduelles eloquentiæ, etſi Ieſu Chriſti innoxium ſanguinem, ſalutem, & vitam omnium, per ſummam impudentiam, ac nefas contaminent; ſatis ſuæ factũ conſcientiæ exiſtimabunt? ſatis probè ſuo ſe functos munere arbitrabuntur?

534 O vtinam, ioculares iſti, corruptiq;

Con-

Concionatores, aliquando proſpiciant, quid Iudici implacabili Chriſto Domino ſingula ſua nomina, membra, periodos, acumina, ſententias, vocem, geſtum; multoque magis A mentis conſilium, animiq; intentionem ad ſeueriſſimam trutinā reuocaturo ſint reſponſuri. Videant, quid cauſſæ ſint allaturi. Videant, quam vnquam veram, ac tutam excuſationem poterunt excogitare; quòd B animarum *Zelum*, ſuo ex pectore expectorârint: quòd pietatē, religionemq; neglexerint: C quod Dæmonis ditionem amplificari permiſerint: quòd tanto Chriſtianorum ſanguine tam atrocem pro Tartari foribus carnificinā hîc etiam exerceri ſpectârint, nec ſeriò prohibuerint: quòd Orci fauces ampliùs ſemper dilatari viderint, neq; ſtrenuè repugnârint: quòd Dei, Sanctorumque laudes ineptè celebrârint, clanculūq; ad ſe, manifeſti plagiarij, ſeuocârint: quòd Templorum cul- D tum tam impudenter violari paſſi fuerint: quòd ſacroſanctum Ieſu Chriſti Euangeliū ...is argutijs, ſenſiculiſq; eleuârint; quòd ...bulis, nugis, fartâ Ethnicorum doctrinâ ...epenumero profanârint; quod haud rarò ...diculè quoque, mimicâq; leuitate tractârint ...uòd plerunq; caſſum, inutileq; reddiderint: E ...eniq; quòd ampliſſimum Apoſtolorum, ... Celeſtium Legatorūmunus, vt ſui gloriā ...mbitiosè quærerent, omniūq; in ſe amorem ...ntraherent, non impleuerint, ſed ludificarint; non repræſentauerint, ſed reapſe ...ntaminauerint,

Quam

335 Quam ſanè peruerſitatem ſi fortè ij nondum agnoſcunt, quæro iam ego ex ipſis; ſi quis ad aliquem Principem legatus, vt eius filiam ſuo vxorem Regi peteret; verborum lenocinijs ſponſæ amorem ab amore ſuum erga ſponſum quàm longè auocans, ſibi eam conciliare niteretur, tantumq; de ſponſæ in ſponſum amore detraheret, quantum ſibi adiungeret; an non ſummam iniuriam & nouæ ſponſæ, & Regi ſuo ſponſo faceret? ſine dubio maximam. At Concionator, Chriſti Domini Regum omnium ſummi Regis ad animas caſtiſſimo coniugio cum
A ipſo copulandas deſtinatus, fucatæ philtris eloquentiæ, argutiarum ſalibus, præſtigijsq; verborum ad ſui laudem ingenij, ad ſuæ plauſum memoriæ excitans Auditores, ſibiq; eorum animas, amore erga Chriſtum verum illarum ſponſum tantopere imminuto, imò reiecto, beneuolentiâ ſtudens conglutinare, quàm deteſtandam flagitij notam ſibi, atq;
B illis inurit? quàm inexpiabilem iniuriam Chriſto & Regi, & ſoli animarum ſponſo conflat? quàm impuriſſimi ſcelus adulterij molitur? Quid igitur his, alijsq; id genus permultis criminationibus concionalis muneris preuaricatores poterunt tandem reſpondere? Teſtor verendum illud, vindexq; ſcelerum Ieſu Chriſti tribunal, exprobrante, ac vociferante conſcientiâ, conuictos, mutos, pallidos, pauidos, trementesq; ne hiſcere quidem auſuros, atq; in ſempiterna incendia illico deijciendos.

Quem

336 Quem autem non moueant, Antiſtites prudentiſſimi, iuſtæ illæ, & graues *Eccleſiæ* A
noſtrũ omniũ parentis lacrymę, quę ſqualida atq; atrata intermortuis penè vocibus huiuſmodi Concionatores hunc in modũ affatur? Ego illa ſum, quę vos Chriſti ſanguine ſatos, meis Fidei incunabulis, quò eã propagaretis, excepi. Ego vos in profanæ doctrinæ gymnaſijs, vt ſacrę famularetur, non eã obrueret, educaui. Ego vos Apoſtolis armaui, Prophe- B
tis inſtruxi, ſacrorum voluminum inexpugnabili apparatu firmaui, Patrum ſolidiſſimis propugnaculis obuallaui; tot ſanctorum Heroũ manipulis, tot candidatis innocentiã, C
tot paludatis cilicio, tot paſtis ieiunio, tot D
purpuratis *martyrio*, tot tantorumq; illuſtri- E
um exemplorum agminibus circumſepſi; omni demum inſtrumento ſacro, vt animosè, ac fortiter contra tot flagitiorum monſtra, tot Mundi illecebras, tantam Dæmonum tyrannidem pugnaretis, muniui. Vos vos ego in hanc tantam muneris dignitatem extuli; vos ſupra reliquos homines in altiſſimo Concionatorũ ſolio, in pleno maieſtatis ſuggeſtu collocaui. Vos magiſtros populorum, doctores veritatis, verbi diuini præcones, ſanguinis ſponſi mei diſpenſatores, demiſſas e Cælo in Orbem vniuerſum tubas, quò mihi auxiliũ ferretis, conſtitui. Et me tot in anguſtijs verſantem, tot laboribus, atq; ærumnis exagitatam deſeritis? Deſunt fortaſſe, deſunt calamitoſæ ſtrages, quas patior? Deſunt fortaſſe vulnera, quibus confodior? An non ſpecta-

tis confertos, qui in me tam inhumanè ſæuiunt, Aduerſarios? An me non ſolùm ab impijs Iudæis contemni, ab obſtinatis Hæreticis vexari, ab iniquis Ethnicis irrideri, ſed ab ipſis etiam filijs meis perfidis, ac perduellibus prodi non intuemini? Non animaduertitis ab ipſis quoq; Chriſti authoratis nomine alumnis meis me floccipendi, me iactari, me vndiq; probris, contumelijs, atq; factionibus proſcindi, diſtrahi, ac lacerari?

F

G

337 In vobis, Cócionatores mei, quos tanto labore inſtitui, tot bonorũ generibus cumulaui, atq; ad hoc ſacri officij tam ſublime faſtigium perduxi, ſpem ſolatij maximam diu poſueram. A uobis præcipuè auxilium præſentiſſimum, vt Chriſto fide illibatâ oppigneratos homines aduersùs Dæmonẽ, Mundum, ac ſenſus inſidias euocaretis, & confirmaretis, præſtolabar. Vos potiſſimùm hoſtibus meis, tanquam vnicum meæ præſidium ſalutis, oppoſui. Et me in his perturbationum fluctibus, in his ærumnarum procellis, quæ ſũmam commiſerationem erga ignotos etiam, atq; extraneos, nedum erga matrem adeo afflictam, talem, ac tantam, facilè mouent, relinquitis? vndiq; miſerijs obſeſſam negligitis? has pro tam magno beneficiorum cumulo vices, tam ingratas, tam duras, tam inhoſpitales redditis? o viſcera meorum filiorum dira, ac inhumana!

338 Quod ſi uos mei, hoc, eſt matris ærumnoſiſſimæ, atq; mœſtiſſimæ ſummus dolor, lacrymæque, ſi oratio, ac voces iſtæ lamentabiles

tabiles nihil cõmouent: flectat ſaltẽ vos perluctuoſa extremæ meorum filiorum calamitatis ſcena animo, oculisq; veſtris ſubiecta. Cernite enim, cernite tot ac tanta, tam frequenter pereuntium agmina populorũ. Cernite tot animarum Chriſti Sanguine redemptarum cateruas Deo, ſalutiq; ſuæ tam ſæpe terga vertentes. Ruunt confertim, ruunt in Inferos, ruunt cotidie innumeri mortalium manipuli; & tamen tot illæ animæ, quæ intereunt, ſorores veſtræ ſunt. Tot cœtus Chriſtiani, qui in Tartari laniarium detruduntur, fratres veſtri ſunt. Pauculæ, quæ ſuperſunt, reliquiæ, doceri a vobis poſtulant, quæ neſciunt, neceſſaria ſaluti: ſanari flagitant ſua vulnera; a tot flagitiorum iugo ſubduci ſeexpetunt; ab Orci faucibus eripi, ſupplices poſcunt; ad virtutem inflammari vehementer deſiderant. Et vos tantarum aſpectus calamitatum non dum ad miſericordiam impellit? nulla vos accurrendi, ſuppetiandiq; pungit ſolicitudo? Imò verò hanc tot malorum Hydram fœcundiùs in dies repullulare, quò veſtris tantùm floſculis intemperantiùs indulgeatis; quò acuminum dumtaxat faſciculos, ambitionis exuuias, eodem, quo vos, Gehennæ igne abſumendos compingatis, etiam patiemini? o præcordia ab omni pietatis ſenſu aliena! Nôſtis nôſtis, quod ſæpe ex me audiſtis; quemlibet caritatis obſtingi lege, vt vel proprium corpus etiam, ac vitam, pro alterius animæ, & ſolius quidem ſalute, quum opus eſt, morti dedat. Et vos has ſu-

A

B

C perbiæ puſtulas, has eloquentiæ peſtes, has perſuaſionis dedecora, has amplificationis contumelias, has affectionum, morum, atq; argumentorum corruptelas, ob eximium Dei honorem augendum, ob acerbas *Eccleſiæ* quaſſatæ miſerias recreandas, ob certam non vnius, ſed tot tantarumq; ruinam animarum auertendam, ob magnificum Euangelij decus propagandum, ob grauiſſimum veſtrum officium explendum: quin etiam cũ ſummo honoris veſtri lucro, cũ ſummâ quoq; ſapientiæ exiſtimatione non abijcietis?

339 His Eccleſiæ luctuoſis querelis niſi percellantur, tandemq; bonam ad frugem ſe recipiant vitiati Concionatores, quid conſilij capiendum eſt, Auditores? Non de re ludicrâ, aut leui agitur, ſed de veſtro negotio omniũ ſũmo, extremo, maximo. Non hîc vos ego de ſyllabis, verbis, aut nominibus ſolicitos eſſe iubeo. Si enim honeſtè, beateq; viueremus; ego ſanè, quo tandem ſtyli, aut ſermonis genere vteremur, non laborarem. Sed itur in deliberationẽ de grauiſſimis omnium, quotquot inter homines accidere vnquam poſſunt, controuerſijs. Agitur de furore ab adoleſcentibus, de auaritiâ a ſenibus, de ſuperbiâ a potentibus, de fraude a plebeijs, de impudentiâ a feminis, de impotentiâ a viris, de immodeſtiâ a Têplis, de intemperantiâ a dapibus, de luxu a veſtibus remouendo. Agitur de pudore virginum tuto, integroq; ſeruando, de pace, & concordiâ domi foriſq; alendâ, de fide in commercitijs, de reuerentiâ,

atq; obedientiâ in filijs præſtandâ. Agitur de modo furtis, ac rapinis ponendo, de fine inceſtæ, infandæq́, Veneri ſtatuendo. Agitur de iurgiorum, vulnerum, & ſacrilegiorum termino ſtabiliendo. Agitur de inuidiæ, odiorum, irarumq́; metâ defigendâ. Agitur deniq; de vitiorum omnium regno caſtigando, & coercendo, de veſtrâ omnium ſalute procurandâ, de æterno Erebi ſupplicio declinando. Et fierine poterit, vt verbi diuini adulteros declamatores, qui omnia ſacra, & profana perturbant, qui appoſita ad compeſcendam ſcelerum luem remedia non adhibent, qui omiſſâ orationis ſeueritate, illa eadem ſi non fouent, certè ſinunt perfidiosè graſſari, vultu, oculis, fronte non auerſemini? Hæc, ego ingentia veſtri damna, mente perluſtro, has *Eccleſiæ* ſanctiſſimæ ſtrages, has veſtri cædes immaniſſimas, quum adeo elatè clamo, vt ioculares iſtos Concionatores toto animo deteſtemini, cogitationi, oculiſq́; ſubijcio. Hæc crudeliſſima Dæmonũ tyrannis, hæc ebullientiũ æſtuaria cupiditatũ, hæc calamitatum miſeranda ſpectacula mihi feriunt viſcera, me dicentem inflammant, me tacentẽ vrũt, excitãtque; hæc me veſtras vices, veſtra infortunia, veſtrum æternæ mortis, Inferniq́; ignis certiſſimũ diſcrimen lugentẽ prope diſcerpũt; hæc me cõcionandi munus, in *Eccleſiâ* Dei potiſſimum animarum conuertendarum inſtrumentum, tam fœdè a pleriſq; eſſe deprauatum lacrymantem, nullam quietis partem capere, nullum doloris leuamen ac-

cipere patiuntur. Flere tantùm iubent, ac vociferari: tum vos etiam rogare, atq; obteſtari. Per fortunas veſtras, Auditores, per veſtram vitam, per veſtram omnium animorum ſalutem, per Deum immortalem, per ſacroſanctum Ieſu Chriſti Sanguinem, mortemq; pro me, ac vobis obitam, corruptos Concionatores in mediâ Concione deſerite, dicentes vultu indignabundo interturbate, ex eorum vos conſpectu repentè proripite, vacua penitùs ſubſellia relinquite.

340 E contrario verò probos eloquentiæ alumnos, germanosq; Euangelij ſatores, qui animarũ fructum ſe præcipuè venari demonſtrant; qui ſalubriter animos ſauciant, qui toti ſunt in veritate perſuadendâ; etiamſi quibuſdam leuioris momenti prærogatiuis minimè eſſent ornati, quũ illud, quod caput eſt Oratoris, veſtraq; plurimum refert, ſatis præſtant accommodatè; toto pectore complectimini, frequentes, taciti q; audite, ad eorum Conciones alios adducite. Veſtro conſeſſu, ac præſentiâ illos cohoneſtate, atq; ad fructus vberiores ferendos, metendosq; alacriter incitate. ac ſi vos pios, atq; prudentes vultis oſtendere, nunquam vos ab illorum ſuggeſtu, nugatorum artibus Concionatorum, abſtrahi ſinatis. Hoc pacto initâ Auditorum cum Concionatoribus conſpiratione, non ſolùm priuati homines paulatim nouam induent faciem, ac mentem; Sed *Eccleſia* etiam vniuerſa moribus alijs, integris, incorruptiſq; imbuta, ad omnem pietatem, egregiamq; Chriſtianæ diſciplinæ formam breui feliciter refloreſcet. Dixi.

CATALOGVS

Nominum minùs notæ plerumque ſignificationis,

In gratiam adoleſcentis Lectoris.

ADMONITIO.

Libuit coronidis loco breuia hæc interpretamenta, ne quid Latinitatis tironem in legendo moraretur, adijcere. Doctis atq; eruditis hanc opellam non impendo, ne quis ſtatim vetus prouerbium iure occinat: Noctuas Athenas, & ſus Mineruam: ſed adoleſcentibus tantùm, humaniores primùm literas a limine ſalutantibus, quibus huiuſmodi xeniolum porrectum volo. Auctorum nomina, & loca, quia commentarium non ſcribo, plerumq; non affero, omnium tamen verborum, quę non ſolùm hic paucis explano, verùm etiam quæ toto in opere vſurpaui, auctoritatem, ac Latinitatem præſtabit Calepinus a Ioanne Paſſeratio locupletatus, & Pariſijs, Lugduniq; iam ſępius editus. Cæterùm quia imperitioribus hic maximè conſultum eo, malo equidē pleraq; etiam, tametſi non abſtruſa, ſed penè vulgata, enucleare, quàm quicquam ijs incognitum relinquere. At quia complura adhuc vocabula in hoc etiam Paſſeratij Calepino deſiderantur, quæ ego ex probatis Scriptoribus legendo collecta in mea Latinæ Linguæ Sicilimenta conieci, vbi aliquo iſtorum vſus fui, ex eis fidem adhibebo. Cuncta porrò in Indicem, quo faciliùs ſingula eſſent quærenti ad manum, commodè redegi.

Numerus reſpondet numeris ad membrorum capita appictis, literæ verò literis externi marginis.

A

ABdicatꝰ.*a,m.*212. *i. Dicitur* abdicare Magiſtratum, *Salluſt.* in Catil. & abdicare ſe magiſtratu. *Sic* abdicare patrimoniũ, & abdicare ſe patrimonio, *pro,* filium priuare iure, quod in patrimonium habet. Abdicatus patrimonio, *amotus a patrimonio, patrimonio ſpoliatus.*

Abſis.*idis.*186.*e. Plin.* *Fornicis curuatura, teſtudo, & camera.*

Acanthis.146.*b.auis, Carduelis, Italis,* [Gardelino]

Acciſus, *a,m.*120.*d.* *Imminutus, afflictus, profligatus, vel fractus.*

Acetabulum.122.*c.* *Hic deſignat eos calculos, qui mollioribus in piſcibus, vt in polypo, viſũtur; ſed per abuſionem de cãcro quoque dicitur.*

Acidus. *a, m. quod in acorem vergit. Acida lingua per metaphoram pro mordaci.*

Acinaces.52.*e.*115.*k.*274.*a. Gladius Perſicus.*

Acroama, *is.*29.*c.*103.*c.*264.*a. Ciceroni eſt feſtiua recitatio, ac ludicra narratio.* Congeſtitium acroama, *quaſi ludicra cantilena, ex poetico, & oratorio numero cõflata.*

Actuoſus. *a, m.*221. *pag.*343.*b. Plenus actionis, & laboris.* Vita actuoſa, *q̃ in actione verſatur, Val. Max. lib. 2. c. 1. n.* 10. Animus in motu mobilior, & actuoſior, *Seneca Ep.* 39. *pro,* actiuus magis. Quæſtio actuoſa, *hoc eſt,* actiua.

Adobruo.183.*f. Idem quod obruo.*

Adductus.*a,m.*183.*a.* *Adductum ſupercilium, hoc eſt, contractum.*

Adonis, idis.278.*g.* *Puer forma excellentia Veneris in delicijs.*

Adſtipulator.160.*a.* *Qui aſſentitur.*

Adſti-

Adſtipulor. 32. a. pro, *Aſſentior*.

Adulor. 95. c. *Cum Accuſatiuo Cic. Colum. Valer. Max. Apul. Iuſt. vt doceo in meis Latinæ linguæ Sicilimentis.*

Aduocatio. 327. a. *Pro patrocinio*. Aduocationem alicui commodare; *pro, Aduocati vices ſeu munus præſtare.*

Adyta. 172. b. *Locus templi ſecretior, Sacerdotis tantùm peruius. Amplè pro quouis loco ſecreto, aut interiore.*

Ælurus. 168. d. *Latinè, felis, catus.*

Æquator. 139. a. *In ſpherà circulus eſt, eam duas in partes æquales diuidens. Nomen aſtrologis familiariſſimum, quo etſi Claſſicorum nemo, quòd ſciam, vſus eſt; tamen vt maximè neceſſario, & artis propria, abſtinendum non putaui; præſertim quum & Maffeius noſter eo ſine vlla religione vſurpauerit, vir alioqui & Latinitatis periciſſimus, & in adhibendis vocabulis mirè religioſus. Potuiſſem dicere cum Plinio, & alijs* æquinoctialis lineæ, *vel* circuli. *Sed quorſu eiuſmodi circuitio intepeſtiua, q̃ periodo fraudi erat?*

Æra. vide æs, & lupinũ.

Æruſco. 77. e. *Propriè. Pecunias fallacijs vndique colligo. Latè, aliquid præſtigijs quodãmodo eblandior.*

Æs. 193. b. In ære eſſe alicui⁹, *id eſt, in poteſtate, ſeu alicui eſſe obnoxium, vel officijs obſtrictum.*

Æs, eris, pro numo æreo.

Æſculapius. 275. k. 293. k. *Medicinæ Deus a ſuperſtitioſa antiquitate creditus.*

Æſtuaria. 60. f. 339. a. *Propriè loca, per quæ mare viciſſim tum accedit, tum recedit. Seu quæ marinis aquis ex pelagi inundationibus referta ſunt. Per metaphoram* æſtuaria cupiditatum *pro cupiditatibus alterna agitatione fluctuantibus.*

Agglutino. 56. b. *Ad aliquid copulo, vel adiungo.*

Agnatus. a, m. 291. b.

 Agna-

Agnati. Qui per virilis ſexus perſonas coniuncti ſunt. Ad agnatos, & gentiles deducere, *eſt aliquem ceu amentem, & furioſum in agnatorum, & gentilium poteſtatem, vt XII. tabularũ lex iubebat, dare.*

Aheneus. *a, m.* 156. *e. Ahenus. Italis,* coſa di bronzo.

Alauda. 146. *d. Auis nomen. Italis* lodola.

Albarium. 51. *m. Id, quod allinitur tectorio ex calce, quando paries dealbatur.*

Album, i. 94. *c. Tabula alba, in quam ſingulorum annorũ geſta, vel nomina diuerſorum hominũ referebantur. aliàs* pyctatium.

Alga. 125. *a. Herba, quæ naſcitur in aquis marinis.*

Algidus. *a, m.* 267. *poſt e. Frigidus.*

Allino, is. 180. *g.* 240. *a. Adſpergo. Inungo.* Voluptatem allinere alicui, *per translationem, afficere aliquẽ voluptate.*

Allucinor. 148. *a. Hic pro Erro, Decipior, Fallor. Propriè oculorum eſt, quum alterum pro altero conſpicere videntur.*

Amando. 8. *a. Ablego, aliò mando.*

Amaranthus. 201. *m. Genus floris.*

Ambulatio. 245. *a. Ambulacrũ, locus, in quo cõmodè ambulari poteſt.*

Amentatus. *a, m. Haſta amentata* 53. *r. amẽto, hoc eſt, loro, quo media haſta, vt longiùs iaci poſſit, religatur, munita.*

Amictorium. 115. *e. Linteum humeros puellares operiens, & textum pectorale.*

Amitto. 8. *a. Pro Dimitto, abire ſino.*

Ampullor. 71. *e.* 248. *f. Turgeo; in ampullæ modum inflatus ſum.*

Amuletũ. 275. *e. Omne genus remedij aduerſus venefícia, & mala omnis medicamenta.*

Amuſſis. 21. *b.* 56 *d.* 331. *c. Propriè filum rubrica, vel alio colore oblitum ad ſignandam rectam lineam fabris materiarijs in vſu. Per tranſlatio-*

latioinem pro ſine. Quippe vt lignum ſecantes coloratam ſemper lineam ſpectant, ſic in omni actione finis intuendus eſt. Feſto etiam eſt Regula, cũ qua aliquid adaquatur. Sic nu.56.d. vſurpo.

Anachorita.178.*g. Solitudinis incola. Nomen e Graco. Italis* Eremita.

Anemone.201.*n. Floris genus.*

Anfractus, us.22.*b.* 57.*b. Flexus ſinuoſus. viarum. Per translationẽ pro quouis circuitu.*

Angelus.237.*b. Nomẽ noſtra Religionis proprium e Graco, Dei Nũtium ſpiritum quemcũq; deſignans, quem alij irreligioſa prorſus ſuperſtitione genium appellant. vt omittam Angelũ pro nuntio vſurpatum* Senecæ *Ep.*20. *& pro nobili Spiritus natura* Apuleio *in Aſclepio.*

Anicula. 81. *peſt e. vetula, parua anus.*

Annominatio. 248. *Fugira eſt, quum ad res diſſimiles ſimilia verba accommodantur.*

Annona. 212.*c. Res frumentaria, & quacunque ad annuum victum conduntur.*

Anteceſſus, us. 4. *pag.* 7 *verſ.* 21. 46. *a. Pro anticipatione, e Seneca, & Floro lib.* 4.*c.*11. In anteceſſum moneo: *hoc eſt maturè pramoneo.*

Antennæ. 22. *d. Lignũ in naui tranſuerſum, cui velum alligatur.*

Anteſtor, aris. 40. *a. Arrepta auriculà aliquẽ teſtem capio. Atteſtor.*

Antidotũ. 1. 249. *pag.* 289. *verſ.* 1. *Medicamentum contra venena, Antidotus* 275. *f. Femininum Gellio lib.* 14.

Antiquo. 36. *c. Quod rogatũ, vel factũ eſt, abrogo, deleo, tollo de medio.*

Antiquus. *a, m.* 281. *g. Pro bono, & ſimplici.*

Antitheton. 50 *pag.* 81. *verſ.* 3. *Figura eſt, quum contraria contrarijs opponuntur.*

Anularius. 84. *g. Qui anulos facit. Senſiculorũ anularij, qui ſenſiculos tanquam orationis anulos interponunt.*

Apinæ. 71. d. 196. e. 282. c. *Res futiles, ac nullius pretij ab Apina Apuliæ vrbe deletà.*

Apophthegma. 190. a. *Dicta quædã acuta, & breuia illuſtrium virorũ. Verbum e Græco vſurpatum Tullio.*

Apoſtolis armauis pphetis inſtruxi. 336. b. *Hoc eſt, Apoſtolorum, & Prophetarum doctrina, per metonymiã, muniui.*

Apotheca. 204. d. *Cella vinaria.*

Appotus, a, m. 130. g. *Qui valde potauit.*

Aqua ardens. 197. h. Acqua arzente *Italis, vel* acquauite.

Arbitror. 135. *poſt* g. *Hic p* Iudiciũ fero *Gellio & Sen. l. 3. contr. præf. Vide mea Sicilimenta.*

Arcula. 239. b. *Parua arca. Italis* Caſſetta.

Arcuo, as. 107. k. 186. *poſt* a. *In modum arcus curuo.*

Ardea. 146. c. *Auis nomen: Italis* Airone, Agrone.

Ardelio. 71. m. 135. *poſt* g. *Homo inquietus, omnibus negotijs ſe immiſcens. Mart.*

Ardens aqua. *Vide* aqua ardens.

Areola. 201. e. *Parua area, in hortis eminentior terra, in qua ſemina depanguntur. Licèt verò Columel. l. 11. cap. 3. accipiat pro quadratis ſpatijs probè ſubactis, & coæquatis, in quæ mox ſemina iaciãtur, nihil vetat tamen areã etiam dici, etſi alia figurà ſit, quàm quadratà. Adde quod neque Columella areas dixit eſſe quadratas, ſed alius neſcio quis, quòd plerumq; quadratæ ſint, ita diuinauit. Supra* 53. d. *per translationem* ingenij areolam, *ex qua ſententiæ, tanquam flores decerpuntur, nuncupaui.*

Aretalogus. 251. a. *Garrulus virtutis oſtentator.*

Argilla. 52. f. *Creta, Cretoſa terra.*

Argonauis. 260. b. *Prima nauis, qua Iaſon vnà cum flore iuuẽtutis Græciæ Colchida nauigaſſe, indeq; vellus aureum retuliſſe*

tuliſſe fertur.

Argutor, aris. 53. b. 278. b. Aſtutè aliquid ago, vel loquor. Vnde Fabius argutias digitorum notauit in actione. Argutari ergo manibus, vel digitis, eſt argutè agere, vafros quoſdam geſtus concinnare.

Aries. 67. a. 97. 236. f. machina quadã bellica, arietis imaginã referens.

Arieto. 107. d. Inſtar arietis in aliquid incurro, quatio, proſterno.

Arrectus. a, m. 166. i. Erectus.

As, aſſis. 180. e. Ex aſſe heres, hoc eſt, totius hereditatis.

Aſotus. 184. b. laſciu⁹.

Aſpẽdi⁹ citharœd⁹. 7. a. hic pro eo, qui ſui tãtùm commodi, aut voluptatis gratiâ minùs honeſtè canit, vt eruitur ex Pediano, trãsferturq; ad oratores, qui dictionẽ ſuã non cauſſæ, vel auditorũ captui, ſed propriæ ambitioni ſeruire compellunt.

Aſſero, is. 188. b. Hic pro vindico.

Aſſimulo. 224. a. Hic adumbro, repræſento.

Aſſutus. a, m. 248. poſt f. ab aſſuo, quod eſt ſuendo annecto, Annexus per ſuturam. Per trãslationẽ pro additus, coniunctus.

Aſturco. 166. d. 262. d. mannus, exiguus equus ab Aſturia regione Tarraconenſis Hiſpaniæ dictus, Italis Giunetto.

Aſylum. 75. a. Quicũque locus a direptione, conſecrationis lege tutus, vel qui ad ſe confugientibus inuiolabile præbet perfugium.

Athenæũ. 8. a. 15. b. 290. l. Publicum auditorium, ad quod diſcipuli, vt profeſſores diſciplinarũ auſcultent, conueniunt.

Atlanteus. a, m. 172. d. Nota fabula Atlantis Cœlum ſuis humeris, ne rueret, ſuſtinentis.

Attagen. 146. Auis nomen. Italis Francolino.

Attributio. 73. a. Adiunctũ ex Cicer. lib. 1. de Inuen. quæ vox in Calepino nõ cernitur ſuo loco.

Auctariũ. 199. b. 117. e. Quod ſuper mẽſuram, vel pondus iuſtum, aut pretium adijcitur.

Audi-

Auditoriũ.171.i.282.a.*Locus, vbi audiuntur Praeceptores.*

Auernalis, e.271.b. *ad Auernũ ſpectãs, Lacum nempe Campaniæ, Inferorum limen a priſcis creditum.*

Auerrũco.202.f.*Rũcã ſarmenta auerto, aut amputo. vel in vitibus, quod minimum ſuccreuit, runcã expurgo. Hic* precido, tollo, aufero.

Augias.194.c.*Rex Eleorum habens ſtabulũ tria boum millia capiens, ante Herculis aduentũ, operamq; nunquam repurgatum.*

Auiarium.147.a.*Locus, in quo aues clauſæ aluntur.*

Auocaméta.48.b.*Plinio ſunt negotia, iucũdiora, ſeu ſolatia animum a mœrore auocãtia. Auocationem vocat Tullius ipſum auocandi actum. Hic acumina, quæ Auditoris mentem a cauſſa attentione ad Oratoris admirãdum ingenium abducũt, auocamenta appellaui.*

Aurichalcum.106.m. *Genus metalli ad auri colorem accedens. Italis* ottone.

Auctoratus.a.m.236.g. *Sacramento, vel præmio adactus, vel obligatus.*

Automa, is.36.d.171.f. *Inſtrumenta, quæ ſponte ſuà, nullà cauſà apparente, mouentur.*

Axilla.207.b. *Locus concauus ſubter brachiũ, vbi pili naſcuntur.*

Axis.135.a. *Lignum, aut ferrum teres, circa quod rota vertitur.* 139.b. *Linea illa, quæ ab vno Mundi cardine ad oppoſitum ducitur.*

B.

Bacchus.324.b. *Nihil ad Bacchum, tritum prouerbium, quum quid rei propoſitæ minimè cõgruere, vel abſurdè ab eà delirare ſignificatur.*

Balliſta. 97.a.173. *Bellici tormenti genus, quo lapides, & iacula mittebantur.*

Balteus.276.c. *Militare cingulum, vel zona bullis ornata.*

Bardus.a,m.93.c. *Stupidus.*

pidus, hebes, Stolidus.

Baſilica. 178. *b. Propriè domus ampla cauſ- ſarum cognitioni dicata. Palatium publicum Ciuitatis. Hic pro Templo, cui erat perſimilis.*

Baſis. 180. *c. Fulcimẽtũ, quo innititur colũna.*

Belides. 57. *a. Fuerunt quinquaginta filiæ Danaë, quæ, quòd ſuos occidiſſent viros, eo ſupplicij genere, vt eſt in fabulis, apud Inferos damnatæ ſunt, vt dolium quoddã pertuſum, aqua ſemper effluente, fruſtra conentur implere. Vt igitur dolium hoc erat inexplebile, ſic acuminum cupa, vt ita dicam, inexhauſta.*

Bellaria. 71. *l.* 263. *poſt c. Fructus, & cibi ſacchare conditi.*

Belluatus. a, m. 143. *r. Beluæ ſpecie, & figura præditus.*

Bifidus. a, m. 53. *r. Quod duas in partes fiſſum eſt.*

Bipalium. 134. *a. Inſtrumentum ruſticũ, quo terra foditur, Italis* vãga,

Bipennis. 52. *b. Securis ex vtraq; parte habens aciem.*

Bolus, i. 33. *b.* 197. *c. Cuiuſq; rei fruſtum,* pezzetto, *Italis, vel* boccone; bolus argenti, bolus terræ.

Bombus. 53. *o. Sonus tubarum raucus propriè. Per metaphoram pro quolibet ſono.*

Bractea. 131. *e. Tenuis lamina cuiuſq; metalli.*

Bracteatus a, m. 52. *i.* 53. *f. Bracteis obductus,* Bracteata alegorijs argumenta, *id eſt, tanquã bracteis tecta.*

Bracteola. 136. *b. Exigua bractea.*

Breuia. 304. *a. Vadoſa Loca maris.*

Breuiarium. 170. *b. Compẽdium, Summariũ.*

Bulla. 63. *a. Significat, præter alia, tumorem in aquà, quum bullit, vel in vrinà, quum ſpumat, ſubitò excreſcens, & euaneſcẽs. Vnde* homo bulla, *hoc eſt, vita fluxa. Accipitur quoq; pro re nullius momenti, vanà, caducà, inani. Sic.* 93. *a.* Inanes gloriolæ bullæ *per trãslatio.*

latinem. 137.*f.*

Buſtum. 131.*g.* *Locus, in quo mortui cadauer combuſtum eſt.*

C.

Cacabo. 146.*e.* *Perdicis vocẽ emitto. Auctorem hui⁹ nominis, ac ſimiliũ, qua ibi ſubijcio, nullum aliũ habeo, quàm Scriptorẽ Carminis de Philomela, ex quo ea deſũpſi. Si huius auctoritatem nõ recipis, age, produc tu antiquiorem, vel alia nomina ſonos huiuſcemodi ſignificãtia ex priſcorũ monumentis eruito. Fruſtra quæres, fruſtra venaberis.*

Caducum. 52.*n.* *Tectorium, vel cortina, aut peripetaſma lecti.*

Cæſius, a, m. 108.*c.* *Qui habet oculos feli perſimiles.*

Calamiſter. 5.*a.* *Tenue ferrum, quo in cinere calefacto criſpantur capilli. Per translationẽ pro quouis inſtrumento ad aliquid perpoliendum.*

Calathus, i. 115.*l.* 117.*d.* *Qualus vimineum vas, in quo mulieres penſa, vel trama reualuunt.*

Calceolus, i. 106.*o.* *Paruus calceus.*

Calculus. 84.*a.* 183.*e.* *Propriè exiguus lapis terra admixtus. Capitur etiam pro ſuffragio, quod lapillis ferri ſolebat.*

Calx. 69.*d.* *Pro fine, vel metà.* 276. *Pro lapide vſto, ex quo arena admiſtione fit intrita, Italis* Calcina.

Canaliculus, i. 161.*b.* *Paruus canalis.*

Candeo. 267. *poſt e.* *Igneſco.*

Candido, as. 72.*g.* *Candorem præ me fero.*

Candidatus, a, m. 66.*a.* 237.*a.* 336.*c.* *Propriè, veſte albà indutus, quia teſti, quòd ſolerent dignitates & munera ambire, dicti candidati, qui ad cuiuſcunq; rei eximia adeptionem aſpirant.* Virtutis candidatus, *qui virtutem aucupatur.* Innocẽtiã cãdidatus, *qui innocentià candicat.*

Cantito. 43.*m.* *Frequenter canto.*

Capero, as. 51.*d.* 101.*c.* 106.*g.* 147.*d.* *Frontem, aut*

aut cutem rugis cõtraho.

Capillamenta. 116. *a. Capilli.*

Capitatus. *a, m.* 236. *Vex quod in caput latiº creſcit*

Capite cêſus. 131. *c. Qui in Romanà plebe exiguo, aut nullo are cenſebatur, ſoloq; capite in ciuium numerũ veniebat, a militia queq; excluſus.*

Capito, onis. 158. *Homo dura ceruicis, prafractus.*

Capreolus. 76. *a.* 77. *b.* 135. *g. Clauiculus intortus in vitibus, Vitis brachia, ſeu teneriores in pãpinis cincinni, cuius ſimilitudinẽ exprimunt quadam e ferro ornamenta, qua machinis affiguntur.*

Capſula. 291. *b. Parua capſa.*

Caput. *Vide,* Capite cenſus.

Carbaſa. 143. *m. Hic pro nauticis velis.*

Carbaſinus. a. m. 166. *b. Ex carbaſo, ſeu lino praetenui conſtans.*

Carcer. *pro repagulis, qua equos in circo, ne ad metam currant, continẽt. Per metaphoram* 69. *b. pro ſpatij, in quo globis luditur, principio.*

Cardinalis. 9. *pag.* 15. *Vox nouata meritiſſimò ad nouam poſt funeratã Latinitatem, Antiſtitum dignitatem deſignandã.*

Carina. 122. *b. infima trabs, cui nauis inadificatur, queq; illi eſt pro fundamento.*

Carioſus. a, m. 276. *c.* 282. *b. Carie foratus, a tinea corruptus.*

Caritas. 212. *c. Rerum penuria.*

Cartilago. 122. *c. Pars corporis inter os, & carnẽ media, qualis auris.*

Caſſis, is, 210. *g. Rete, praſertim venatorum.*

Caſſus, a, m. 334. *b. Inanis, Vacuus.*

Caſtra, orum. 140. *b. Hic pro itineris ſpatio, quod exercitus vno die conficit. Per translationem etiam pro diurno Solis motu.*

Cataclyſmus. *i.* 45. *e. Inundatio, diluuium.*

Catàdupa Nili. 197. *a. Locus, vbi nouiſſima Nili cataracta eſt, eiuſq; aqua magno fragore ruunt.*

Cataphractus. 53. *b.* 247. *o.* *Qui toto corpore armat⁹ eſt, a* καταφράττω, *quod eſt obſepio, vel munio. Quare* τὸ armis *non redundat, quum quis cataphractus, ſeu munitus, aut ſeptus eſſe poſſit vallo, mœnibus, aggere, & non armis.*

Cataplaſma. 275. *c.* *Malagma, emplaſtrum ex floribus, eorumq́ ſurculis, &c.*

Catapulta. 36. *c.* 53. *e.* *Genus machinæ maioris ad eiaculanda miſſilia.*

Cataracta. 98 *b.* *Locus abruptus, & præceps in flumine, unde aqua ruit.*

Cataſtrophe. 53. *d.* *Fabulæ extrema pars, in qua res in contrariũ exitum conuertuntur.*

Catè. 212. *m.* *Callidè, cautè.*

Catella, æ. 136. *c.* *Parua catena.*

Catus, a. m. 81. *ante a.* 175. *f.* 276. *ante d.* *Callidus, ſagax.*

Catus, cati. 108. *k.* *Felis, alurus Petronio, & Palladio. Vide mea Sicilimenta.*

Caupo, onis. 126. *i.* *Eſculentorum, poculẽtorṹq; venditor.*

Cauſsidicus. 10. *a.* *Patronus, qui in iudicijs, cauſsisq́; verſatur.*

Cauſſor, aris. 45. *b.* 122. *g.* *Rei geſtæ cauſſam aſſero, vel reperio, atq; in excuſationem adduco.*

Cautes. 112. *e.* *Saxum aſperum, & abruptum.*

Cenſus, us. 212. *d.* *Hic pro annuis reditibus, Italis* l'entrata.

Cento, onis. 52. *o.* *Propriè genus ſtraguli cubãtibus inſterni ſolitum.* Pegma centone obductum, *quòd ea præſtigiatoris caſula quadam veluti lodice lecto detracta tegi videatur.* 242. *a.* *Hìc pro quouis opere literario ex diuerſis aliorum Auctorũ fragmentis hinc, atq; illinc arceſſitis contexto.*

Centunculus. 134. *e.* *Paruus cẽto; vile, ac ſordidum ſtragulum.*

Centurio, as. 27. *e.* *In centurias diſtribuo. Sic & 53. g.*

Ceratum. 240. *a.* 275. *f.* *Ceretum. Italis* cerotto.

10. Malagma ex ſiccioribus rebus conſtans. Per translationem pro quouis remedio.

Cerber⁹. 291. *g. Notus ille Orci canis triceps.*

Cerebroſus. a. m. 112. *f. Qui cerebrum vitiatum eſt, praceps in conſilijs.*

Ceruſſa. 86. a. 97. *a. Emplaſtri genus, Italis* biacca, *quod e plumbo acerrimi vi aceti ſoluto conficitur. Per translationem pro quauis re ad cãdorem, ſeu ornatum concinnandũ appoſita. Hinc ceruſſatus, a, m.* 5. *b.* 22. *c.* & 212. *g.* ceruſſata oratio, ceruſſatum dicendi genus, *hoc eſt, ceruſſa, vel fuco oblitum.*

Chalybs. 52. *f. Ferrũ durius.*

Chelę. 122. *d. Scorpionũ, & Cancrorũ brachia.*

Chirographum. 33. *b.* 136. *f. Quod propria manu praſcriptum eſt in fidem alicuius rei.*

Chiron. 275. *h. Saturni, & Philira filius; medicus praſtantiſſimus, a quo vel ipſe Æſculapius didicit medicinam.*

Chironomus. 95. *b. Geſticulator, Italis* mattaccino.

Chirotheca. 107. *b. Manica, manus tegumẽtum. Italis* Guanto.

Chlamys. 115. *i. Veſtis militaris pallio breuior.*

Choragiũ. 52. *q. Propriè ædificium poſt ſcenam, vnde omnia ad ſcenam neceſſaria promebãtur. Hic per metonymiam pro ipſis ludionibus, qui in choragio verſantur.*

Choraules, æ, 126. *d. Qui in choro fiſtulus inflat, vel tibijs ad choreas canit.*

Cibo, as. 197. d. *Columella, & Suetonio, cibũ prabeo, alo, nutrio.*

Cicuro, as. 155. *d. Cicurem, ac manſuetum facio ex Varrone.*

Cincinnatus, a, m. 40. *a.* 265. *a. Qui capillos intortos geſtat, calamiſtratus.* Cincinnata eloquentia, *per translationẽ pro* molliter ornata.

Ciniflo, is. 84. *l. Qui calamiſtris in cinere calefactis capillos criſpabat, ciniflones fucata oratio,*

tionis, qui eam ornamento- rũ calamiſtris effeminatè comunt.

Cinnus, i. 93. *Plurium rerũ, maximè liquidarum admiſtio.*

Circinus, i. 181. *f. Inſtrumentum, cuius circũductu circuli deſignantur. Italis.* Compaſto, Seſta.

Circulator. 52. *l.* 297. *a. Qui preſtigijs hominũ cœtus oblectat, circumforaneus ludio.*

Circumerro. 168. *a. Sen. qui in orbem errabundus fertur.*

Circumforaneus, a, m. 126. *h. Qui circa forũ verſari ſolet. Vnde pharmacopola circumforaneus, qui in foro pharmaca venditat, circulator. Italis* Ciarlatano.

Cirri. 51. *e.* 72. *k.* Ca- *pilli intorti, & criſpati. Per metaphoram pro oratione ſubtilibus pertexta notionibus.*

Citharœdus. 126. *e. Qui cithara canit.*

Claſsiarij. 156. *k. Claſſis milites, qui in claſſe ſtipendia merebant.*

Claſſis, is. 156. *k. Nauium multitudo hic.*

Clathrus, i. 107. *l. Cãcelli, ferramenta, lignaue reticulato textu, quibus feneſtra muniuntur.*

Claua. 228. *a. Fuſtis teres ad claui ſimilitudinem capitatus.*

Clepſydra. 77. *g. Horologium iam, e binis cucurbitulis vitreis, minutiſſimo puluere viciſſim defluente, horas dimetiens; etſi olim aqua pro puluere; vnde & nomen tractum, defluebat.*

Clypeum, i. 323. *verſ. b. Neutro quoq; genere vnà cum Liuio l. 35. & 44. tum 48. nec non cum Trebellio Pollione in Claudio, meritò vſurpaui, quod Calepinus diſſimulat.*

Clitellę. 166. *n. Sagmata, iumenti ſtrata. Italis* basti.

Cliuoſus, a, m. 200. *g. Cliuis, hoc eſt, collibus, ſeu locis arduis abũdãs.*

Coauctio. 191. *d. Vox omiſſa Calepino, qua tamen eſt Tullij Verr. 5. pro auctione.*

Coag-

Coagmento. 50. verſ. 19. coniungo, compono.

Coccineus, a, m. 74. c. Cocco tinctus.

Cochlea. 173. f. 204. c. Lignũ tignumue illud in torculari, quod in ſpiram ſtriatum, prælum attollit, demittitq́. Huiuſmodi ſpira [illegible] quoque eſt in [illegible]. At 204. c. pro ſcala cochleæ inſtar in ſpiram fabricata per translationem.

Cœnula. 263. a. Parua cœna. Cœnare cœnam. Plaut. Ruden.

Coeo. 192. a. Coire ſocietatem. Cicer. pro [illegible].

Colchi, Colchorũ. Aſiæ oppidum, & populi, quò Iaſon cum ſocijs nauigauit, atq; inde vellus aureum aſportauit.

Coliculus. 202. e. 211. m. Tener in vite, vel herba ramuſculus: in vite pampinus dicitur.

Collineo. 122. pag. 36. verſ. 10. Cum Accuſatiuo, aliquid per rectam lineam acto dirigo.

Colonus. i. 210. d. Qui agrum colit.

Colophon. 61. f. Vrbs Ioniæ ciues equeſtribus prælijs ita fortes gignens, vt victoriam certam ſibi polliceretur, qui Colophonium haberet equitatum. Hinc, quum ſumma operi manus imponebatur, prouerbij loco dicebatur. Colophonem addidit.

Columnæ Herculeæ. 60. e. In Gaditana inſula ſita erant, octo cubitorum, ex ære fuſæ, ad quas qui nauigationem abſoluerant, tanquam Herculi ſacra facientes, proficiſci ſolebant. Vnde manauit prouerbium. ad Herculis columnas, quum quis omnia agendo tẽtauit, vt vltra progredi, aut quidpiam præterea moliri nequeat.

Colus. i. 115. l. 117. c. Inſtrumẽtum, quod penſa continet, a quibus fila deducũtur. Italis la rocca, vel conocchia.

Comeſſator. 198. d. Qui intempeſtiuis indulget conuiuijs.

Comeſſor, aris. Ibidem. Conuiuijs intempeſtiuis operam do.

Comitor, aris. 192. e.

Cum

*Cum datiuo apud Tullium Tuſc.*5.cætera, quæ comitantur huic vitæ.

Commaſculo, as. 175. *a. Macrobio lib.* 7. *Sat.c.*11.frontem commaſculare, *eſt frontem virilem oſtendere. Apul. lib de Aſino.* Animum eo mmaſculo.

Comminiſcor. 210. *n. Fingo, vel excogito.*

Communis. 281. *k. Vtrum Concio ſacra ab oratione profana, & ars cõcionalis a Rhetorica eſſentia diuiduum habeãt contubernium, ſuſdeq; fero. Vt verò habeant, nihil moror, quia non de peculiari vtriuſque facultatis differẽtia, ſed de generali, & cõmuni vtriuſque probandi forma, qua totam vim ſuam è Dialecticis deriuat, loquor.*

Compeditus, a, m. 326.*a. cõpedibus ligatus.*

Compita, orum. 56. *f.* 163.*d. Loca varijs diſtincta vijs, vt binia, trinia, &c.*

Concimero, as.204. *b. In formã cameræ ædifico, in modum fornicis arcuato opere ſtruo.*

Conceptaculum. 53. *p. Quicquid aliquid continet.*

Concinnus, a, m, 22. *a. compoſitus, politus, ornatus.*

Concio, 1. *c.* 52. *y. pro multitudine populi confluẽtis ad aliquid audiendum, vel agendum.*

Concionator, *Vox mihi pro diuini verbi præcone iure optimo vnà cũ diſertiſſimis viris vſurpata. At improbatur a Gerardo Ioanne Voſſio* cap. 27. de vitijs ſermonis, *quòd ſciat ab antiquis hoc vocabulum in malam accipi partem ſolere, pro ijs, qui auram popularem captant, & concionibus tribunitijs populum gaudent aduersùs proceres cõcitare. Verùm fruſtra Voſſius a reliquis eruditiſſimis viris diſcedit, ac nimium ſapit. vt enim* concionator *in malam partem, ſicut &* concionor, *ſubinde ſumebatur, ita etiam & in bonam, non ſecus, ac* concionor *quoq; accipiebatur.*

tur, vt fuſiùs in Sicilimẽ- tis euinco.

Conclamatus,a,m.7. c.37.a. *Deploratus, tranſactus, finitus, qui nihil ſpei relinquit.* Conclamata corpora, *quæ ſpẽ omnem curationis incidunt, quibuſq; extremũ conclamationis officium præſtitum eſt.* Sic plagæ conclamatæ, *pro deſperatæ*, & inſanabiles, ornamenta conclamata: *ideſt, euerſa, extincta, deleta.*

Concrepo, as. 233. b. *Perſono, as.*

Condictum, i. 108. a. Ex condicto. *ex compoſito, ex conſtituto.* Condico *enim ſignificat, ſimul determino, conſtituo.*

Condus, i.5 1.a.200. a. *qui cõdendis cibis præpoſitus eſt, ſicut qui promendis præeſt, promus dicitur. Vnde* conduſpromus *nomine compoſito dictus, qui vtrumq; munus curabat.*

Gõfragoſus,a,m.89. *pag.* 147. *verſu vltimo.* 158.b. *Præruptus, aſper, & durus.*

Congeſtitius, a, m. 29.d. *Quod congeſtũ eſt:* Humus cõgeſtitia, *hinc atq; illinc in vnum locum comportata.*

Congiarium. 101.e. 210.b. *Munus, quod a principe donatur populo. Etiam pro omni dono ſine vllo diſcrimine ponitur.*

Conglomero.50.*verſ.* 10. *in glomum cogo.*

Conſarcino,as,281. a. *Simul cõiungo ſine vllo delectu.*

Cõſectarium, ij.112. b. *Argumentum breuiter aſtrictum.*

Conſterno,as,aui.7. d. *Timorem incutio.* Cõſterno,is *ſternendo operio*, oratio ſententijs conſterni *per trãslationem a ſtrato lateribus pauimento dicitur.*

Conſummo,as.224. b. *Perficio.*

Contabulatus, a,m. 156.e *Ex tabulis cõfectus.*

Contendo, is, 201. e. *Hic pro comparo, confero, committo.*

Conteſtor, aris.203. b. *Teſtem appello, Teſtem excito.* Con-

Contignatio. 27. c. 107. *poſt n.* 125. *e. Contabulatio, tabularum, vel lignorum textura. Vt ergo in ædificijs a ſolo in primam aſcenditur contignationem, ab hac in ſecũdam, & ſic deinceps, ſemper altiùs: ſic in amplificationis ſtructura ſunt quidam gradus, per quos Orator in animum Auditoris altiùs ſemper immitit perſuaſionem.*

Continens. 7. c. *Hic pro* Continuatus, *vel* coniunctus. Continenter *pro* aſſiduè.

Contortulus, a, m. 28. *b. pro* Perplexus, *ac* Perdifficilis.

Conturbo, as. 184. *a. Hic pro* Decoquo, Diſſipo, Dilapido.

Conuitium aurium. 84. *b. Conuitium, teſte Cicerone, eſt contumelia petulantiùs iactata.* Aurium Conuitio reijci *eſt auribus auerſantibus, & quodammodo conuitiantibus improbari.*

Corinthia vaſa. 29. *f. Ex ære Corinth. o fuſa. Nã, quum fortuito incendio conflagraſſet Corinthus, metalla eo incendio conflata, atq; confuſa, magno deinde in pretio habita ſunt.*

Cornus, i. 202. *c. Arboris genus, Italis* Corniolo.

Corollarium. 290. *p.* 445. *verſ. ferè vltim. Pro auctario, vel additamento cuiuſq; rei.*

Corona piacularis. 161. *b. Ita libuit appellare illa globulorum ſerta, quibus ad ſacras preces numerandas, metiendaſq; vtimur.*

Coronis, idis. 62. *e. Extremitas cuiuſq; rei. Per translationem pro quouis fine, vltimaq; manu operi impoſita.*

Cortina. 97. *b. Pro oraculo, vel Apollinis tripode.*

Coryphę. 177. *verſ.* 3. 318. *b. Cuiuſq; ordinis caput, & præcipuum membrum.*

Cos, cotis. 126. *a. Pro lapide exiguo, quo auri, argentiq; experimẽtum capitur. Per metaphoram*

pharum pro quouis expe-rimento, quo alicuius rei periculum ſit.

Cothurnus, i. 31. c. *Calceamenti genus, quo Tragœdiarũ actores vte-bantur. Per translatio-nẽ pro ſublimiori dicendi genere.*

Coxendix. 186. *poſt a. Coxa, os notũ in homine.*

Crena. 135. *d. Propriè illa inciſura in ſagitta, qua neruũ admittit. Plin Ego per translationem in horologio crenam voce eã inciſuram, qua ferreum ſtylum, quem aptè ſuffla-mentum nuncupo, ruentẽ, aut decidentem excipit.*

Crepo, as. 232. *d. So-no, percrepo.*

Crepido, inis. 156. *i.* 201. *k. Propriè ora terra, quam aqua alluit. Item pro cuiuſcunq; rei extre-mitate.*

Crepitaculum. 102. *a.* 106. *f.* 114. *a.* 248. *e. Si-ſtrum, areum inſtrumen-tum, Italis* cembalo, lo-nagho, o coſe ſimili.

Crepundia, orum. 1. *d.* 67. *b.* 224. *c. Prima munuſcula, quæ dantur pueris, vt bulla, crepita-cula.* Prima auroræ cre-pundia *ſunt prima lucis xenia, quæ illa offert, ac donat mortalibus.*

Criſpatæ ſerẽtiæ. 22. *d.* 31. *f. Per trãslationem pro, euibratæ, vel* molli-ter exornatę. 51. f. Criſ-patus, a, m. Criſpata cæſaries, *hoc eſt*, criſpa, *Italis* riccio, ricciuto.

Criſpo, as. 5. *c. criſpum reddo.*

Criſpulus, a, m. 278. *e. Diminutum a* Criſ-pus.

Crocus, i. 101. *a. Flos rubeus. Italis* Zaffrano.

Cruſta. 112. *a. Dicitur id, quo quid integitur. In parietibus cruſta di-cuntur tenuia marmoris, vitri, alteriuſq; materia ſegmenta, quibus illi coo-periuntur. Sic in vaſis cruſta, quæ eis ex diuerſi generis materia illigan-tur. Per metaphoram er-go cruſtam ſenſiculorum nuncupo, quum his ipſa oratio obruitur, ac ſepe-litur.*

Cruſtulum, i. 52. *b. Fruſtum placentæ, vel*

cuiuſuis edulij.

Cucullus, *i.* 139. *e. Tegumentum, aut inuolucrum ex chartà.*

Cucurbita. 190. *d. Herba hortẽſis notiſſima. Italis* Zucca.

Cucurio. 133. *n. Galli vocem edo. Auctor carminis philomelæ.*

Cuicuimodi. 186. *a.* 222. *poſt b. Cuiuſcunq; modi:*

Cuminum. 76. *e. Vel cyminum, herba notiſſima, Italis* Comino, *ſimilis fœniculo, quibus ad obſonia condienda vtimur. Hinc argutia, quæ ſale ſuo ſalit, & condit orationem, cumino aſſimulata.*

Cuneatim 6. *d. Cunei inſtar; quum ſcilicet argumenta ita diſponuntur, vt quemadmodum cuneus tenui primũ acie findit lignum, mox clauà adactus, latiùs, altiuſq; immittitur, eàdem ratione prima argumẽta paulùm feriant Auditorem, Secunda, & conſequentia ſemper magis percellant, ac vulnerent.*

Cuneus. 54. *a. Inſtrumentum ferreum, vel ligneum, quo ligna finduntur, vt* 228. *l. Per metaphoram militum multitudo in cunei formam diſpoſita, vt hic.*

Cuniculus, i. 55. *i. Foramen ſub terra occultum ad vrbes ſuffodiendas inuatum. Per tranſlationem pro clanculariа fraude, vel dolo* 25. *f.*

Cupedinarius. 41. *c.* 126. *i. Qui eſculenta, & poculẽta delicatiora cocta vendit.*

Curſura, *æ.* 166. *l. Curſus Varr. Plaut.*

Curtus, a, m. 132. *a. Paruus, mutilus.*

Cuſpidatim. 27. *d. In modum cuſpidis. Vt enim gladius in arctum magis ſemper coactus, in cuſpidem deſinit: Sic in amplificatione ita enthymemata diſponuntur, vt validiora ſemper admoneantur.*

Cuſpido, as. 6. *poſt b.* 173. *e.* 65. *a. Cuſpidẽ rei alicui induco.* Cuſpidatus, a, m. 173. e.

Cyclas, adis. 115. *b. Veſ-*

Veſtis ligæ ſpatioſa, mulierum propria.

Cyma, tis. 201. *q. Colum. lib.* 10. *delicatior, tenuiorq; coliculus, qui ſumma in ſtirpe primùm germinat.*

D.

Decempeda. 67. *a. Pertica ad terram dimetiendã, decẽ pedes longa.*

Decipulum. 13. *a.* 92. *a.* 272. *a. Genus laquei Apuleio.*

Decoctor, oris. 198. *e. Qui aliquid conſumit, perdit, qui patrimonium abligurivit, Italis* fallito.

Decoctus, a, m. *Decocta voluptas.* 196. *b. hoc eſt, defecata.*

Decortico. 201. *t. Corticem detraho.*

Decretorius, a, m. 283. *b. Pro iudiciariâ re, in qua rei iudicium ferri poteſt.* Decretoria arma, Decretoriæ cauſſæ, *quibus ſeriò certandum eſt.*

Decumanus, a, m. 156. *b. Decimus. ſumitur etiam pro maximo, vt hic, quòd in natura decima quæq; maxima videantur.*

Decuriatus, a, m. 140. *a. In decuriam redactus, vel diſtinctus.*

Decurto, as. 224. *b. Mutilo.* Decurtatus, a, m. *Ciceronis, & Plinij eſt, haud dubiè a* decurto, *quo vt appoſite noluî ego orationis numerum fraudare.*

Decuſſatim. 191. *d. In figuram decuſſis, qualem litera X refert, conformatus. Pedes decuſſatim ſecare in ſaltum, eſt eos ſaltando mutuò ita implicare, vt ſeſe interſecantes decuſſentur.*

Decuſſis, is. 217 *a Figura litera X. Speciem præferens.*

Decuſſo, as. 101. *poſt b. In decuſſis imaginem conformo.*

Dedolo. 101. *poſt b.* 221. *c. Dolabra aliquid læuigo, exaſcio. Vnde metaphora ducta ad ingenium dedolandũ, hoc eſt, expoliendum.*

Deformo, as. 151. *poſt a. Fœdo, Turpo.*

Defrutum. 234. *b. Vinum ad mediam partem decoctum, vel ad tertiã.*

Deglubo. 20. *f. Corticem eximo; ſiliquam, aut folliculum excutio; granum ſua tunica ſpolio. Hic per tranſlationẽ pro* Denudo, Exuo.

Dehoneſtamentum. 115. *post l. Quòd gratiam, & honeſtatem alicui adimit.*

Delaſſo, as. 130. *f.* 172. *c.* 264. *b. Feſſũ reddo, labori cogo ſuccũbere.*

Delibutus, a, m. 101. *c. Aliquo liquore imbutus propriè. At trãsfertur etiam ad alia.*

Deliro. 266. *b A recto tramite deflecto. Per metaphoram pro,* amens euado.

Delumbis, e. 85. *a. Lumbis carens, debilis, mollis.*

Demeto, is. 211. *b. Meto, meſsẽ lego, amputo.*

Denormo, as. 15. *a. Deturpo, inaequale facio.*

Dentatus, a, m. 135. *a. Quicquid habet dentes.*

Depauperatus, a, m. 132. *b.* 196. *d. A* Depaupero, as, *idest, exhaurio, pauperem facio. Varro,* ...

Depeculor, aris 5. *l.* 205. *c. Ea, quæ ad remp. Principem, vel ſacra ſpectant, ſurari; aliquid ſuũ in peculiũ ſeuocare.*

Depereo. 240. *c. Gloriam deperire. Impatienter amare, expetere.*

Depingo, is. 5. *g.* Cõiectura & cogitatione depingere. *Cic.* 1. *de natur. Deor. Idem atq; cogitatione, vel coniectura informare, aut imbuere.*

Depluo, is. 234. *b. Deorſum pluo.*

Depolitus, a, m. 7. *e.* 32. *i. Deſperatus, deſperata curationis.*

Deridiculum, i. 190. *f. Irriſio.*

Deſpicio, is. 247. *a. Deorſum adſpicio.*

Deſpumo, as. 127. *a. Spumã aufero. Deſpumare ſenſiculos ebullietẽs, & ſi emicantes e mentis, vt ita loquar, tripode, atq; efferueſcentes ſententiolas deradere.*

Deſquamo, as. 55. *h. Squamas detraho.*

Deſultorius, a, m. 25. *b.* 78. *b.* Deſultoria eloquentia *inſtar eorũ militum*

litem, qui, tum in aqua pugnat, mox in pedes deſcendunt, inſtabilis, ſuiq́ diſsimilis.

Detergo, is. 156. *a. Hic pro* Confringo, *vel* Demergo.

Detero, is. 134. *ante. a. Vſu conſumo, deterius reddo.*

Dica, æ. *præf.* 3. *d.* 291. *a. Cauſſa, iudicium.* Dicam dicere, *vel* ſcribere alicui, *idem ferè, ac* litem intendere.

Dicis cauſſa. 16. *b. Dicis cauſsà id fieri dicitur, quod nullà aliâ de cauſsà fit, niſi vt factum eſſe dicatur, hoc eſt, quod in ſpeciem tantùm, & fucum componitur.*

Dicteria, i. 326. *d. Dicta ſalſa, & acuta.*

Dictum, i. 275. *a. Pro facetijs, & iocis.*

Differo, is. 228. *c. Hic in diuerſum fero, diuello, dilacero.*

Diffibulo, as. 55. *f. Fibulas ſoluo. Statius lib.* 6. *Theb.*

Diffio, as. 326. *c. Flatu disijcio, amoueo.*

Digitalis, e. 52. *d. e. Quod digiti habet menſuram.*

Dilorico, as. 55. *e. Loricam lacero, diſcindo.*

Dioptra. 56. *a. Plinio inſtrumentum, quo per minuta foramina locorũ altitudo, & interuallum oculi acie aeprehenditur.*

Diploma. 246. *b. Litera principum ſignis obſignata, quales vulgo* Bullæ *Pontificum. Hic pro ſacris literis, quæ Dei diploma ſunt.*

Diſcerniculum. 43. *d. Propriè illud inſtrumentum, quo mulierum capillus diſcernitur, at per metaphoram pro quocunq; rei diſcrimine.*

Diſcupio. 55. *l. Valde cupio.*

Diſparata. 166. *e. Sunt illa, quæ noſtrates Dialectici vocant* contradictoria.

Diſſitus, a, m. 147. *e.* 201. *a. Sparſus, Diſperſus. Lucret. Apul. Vide mea Sicilimenta.*

Diſtendo, is. 210. *b. Hic pro* Impleo.

Diuaricatus, a, m. 70. Pedes diuaricati, *in*

contrarias deducti partes, laxati, ac diſtenti.

Diuerticulum. 192. *poſt a. Via, per quã a militari itinere diuertimus, ſeu ſemita tranſuerſa a latere viæ militaris.*

Diuiduus, a, m. 29. c. *Quod diuidi, ac ſeparari poteſt.*

Diuortium. 43. a. 205. a. *Separatio omnium rerum. Aquarum diuortia, aut fluminis dicuntur, quando flumen in duo veluti cornua diducitur. Hinc intelligentia diuortia, quoties eius vis in diuerſos attentionis, vt ſic dicam, alueos, in rerum nempe, ac verborum tanta myſteria deriuatur.*

Diuus, Diua. 25. a. *Voſſius* lib. de vitijs ſermonis, cap. 32. *negat Latinum eſſe*, Diuum, *vel* Diuam *pro Sancto, vel Sancta; Diuos quippe, aut Diuas eoſdẽ eſſe, ac Deos, Deaſue, quibus tẽpla, & aræ erigebantur. Sed pace tanti literatoris dictum ſit: quum Romanis* Diui *ſint vocati etiam, qui ex hominibus, morte obita, Cælo ornati locati, vt idem Voſſius ibidem ex Seruio l.* 5. Æneid. verſ. 45. & *lib.* 12. verſ. 39. *tradit: hac ipſa notio quadrat aptiſſimè in noſtra quoq; religionis Sãctos, & Sanctas, quos pariter ex hominibus, morte obita, Cælo potitos eſſe ipſamet Chriſti Eccleſia declarat: nec minùs compertum, eorum quoq; cultui templa, & aras dicari; adeoq; Latinè etiam, & Romano loquendi more rectè Diuus pro Sancto, & Diua pro Sancta vſurpatur.*

Dodrantalis, e. *Quod vncias nouem lõgum eſt, aut graue.*

Dolabra. 194. e. *Inſtrumẽtum fabrile ad aſſeres, & ligna lauigãda.*

Dolatus, a, m. 84. a. *Dolabra lauigatus.*

Dolium Belidum. *Vide*, Belides.

Dulciculus, a, m. 291. c. *Diminutum nomen a dulci flexum.*

Dynaſtes, æ. 60. c. 146. a. *Qui in Ciuitate plurimum pollet.*

E.

Eccleſia. 336. *a. Cœtus Chriſtianorum. Nomen e Græco ſumptum, tum neceſſariò etiã a noſtra religione.*

Echinatus, a, m. 62. *d. Spinis, vt echinus, (Italis* il riccio*) notum animal, ſeu, vt caſtanea ſpinoſum tegmen (quod echinus itidẽ dicitur) horrens. Hinc per translationem echinati globuli in flagris nodi illi cuſpidatis ſtellulis infeſti, quibus in carnem piè ſæuitur, appellantur.*

Edulis, e. 23. *i. Quicquid ad eſum pertinet.*

Effatum, i. 32. *ante b. Pronuntiatũ, enuntiatio.*

Egero, is. 122. *b. Eijcio, exporto.*

Eiectamenta. 137. *c.* 276. *d. Excrementa.*

Eleemoſyna. 234. *b. Nomen e Græco, pro munere, quod datur pauperi, a Spartiano in Caracalla vſurpatum, quod ſtipem quoq; nuncupaui.*

Eleuo, as. 98. *a. Minuo, extenuo, verbis deprimo, auctoritatem detraho.*

Elumbis, e. *A. Quintiliano in libro de cauſſis corrupta eloquentia vſurpatur. pro* delumbis.

Emacio, as. 174. *a. Macrũ ſiue aridũ reddo.*

Embamma, is. 78. *b. verſ.* 31. *Condimentum obſoniorum.*

Emblema. 32. *c. Opera elegantiora ex teſſellis, ſegmentiſq; ita coagmentata, vt rei alicuius imaginem tanquam penicillo depictam exprimant. Sunt etiam in vaſis argenteis, aureiſq; vt liquet ex Tullio, illa ornamenta exemptilia, vnde a Fabio pro quouis tẽporario ornatu ſumũtur. Factitium igitur emblema orationis, idem atq; aduentitium ornamentũ.*

Emunctus, a, m. 5. *poſt f.* 88. *b.* 175. *a. Perpurgatus.* Emunctæ naris homo. *Id eſt, acri iudicio.*

Emungo, is. 183. *b. Propriè nares purgo. Per translationem pro* elicio, extorqueo, eblandior.

Enodis, e. 83. *c. Sine nodo.*

Enoto,as.172.*b. Pro obſeruo, animaduerto. Plin.l.1.Epiſt.6.& lib.6. Ep.16. Apul.lib.9. Aſin. Vide mea Sicilimenta.*

Ephebus.52.*m.* 324. *d. Qui ad annos pubertatis peruenit. Excedere ex ephebis, eſt annos pubertatis iam expleuiſſe. Hinc excedere ex ephebis rudis literaturæ, pro relinquere iam rudem literaturam, eamq; doctrinam veluti infātiæ exuere.*

Ephippium. 166. *d. Stragula, vel clitella, quibus inſternūtur equi. Italis* la ſella.

Epicherema,is. 5.*d.* 53.*r.*204.*b. Genus argumenti ex Quintil. lib.6. cap.14. quod circa credibilia ferè verſatur.*

Epilogus.225.*e. Peroratio, concluſio.*

Epiſtylium.143.*i.*166. *d. Capitulum, vel modulus, qui ſcapo imponitur. Italis* capitello, architraue.

Epitaſis.53.*c. Pars tragœdia, vel fabula, in qua rerum ſeries turbatur, & conuelnitur. Actus eſt vehementiſſimus ipsā catastrophen præcedens.*

Epulum.108.*n.* Epulæ, *in plurali. Publicum conuiuium, licèt etiā pro priuatis dapib⁹ ſumatur.*

Ergaſtulum, i. 250. 6. *Officina propriè, in qua aliquid operis a vinctis ſeruis fit. Per tranſlationem pro carcere.*

Erro onis. 237.*e.*248. *a. Qui incertis vagatur ſedibus.*

Eſſentia.15.*a.* 25.*g. Nomen fultum auctoritate Ciceronis, Seneca, Flauij, Macrobij, Apuleij. Vide mea Sicilimenta. ſignificat autem cuiuſq; rei naturam.*

Eſculenta, orum, Eſculentū, i.210. *l. Quicquid eſui aptum eſt.*

Euanidus,a,m. 232. *r. Vanus, inanis.*

Euerro,is.125.*a. Scopis aliquid expurgo.*

Exbratus, a, m. *Idē ac vibratus.*

Exauthoro, as. 288. *b. Ab authoramento, hoc eſt, militari obligatione ſoluo, ac libero. Per tranſlationem, qualicunque ex*

ex obligatione, vel mu-nere eximo.

Excetra. 154. a. 178. *d. Hydra Lernaea, ita dicta, quòd vno caſo capite, tria exreſcebant.*

Excipio, is. 43. e. *Hic nominatim caueo, eximo, extraho, vt reyciam.*

Excoctus, a, m, 213. *a. Perpurgatus.* Excocta iucunditas, *decocta, defecata.*

Exdorſuatus, a, m. 107. *n. Cui dorſum exoſſatum est.*

Exedra. 1. *b.* 251. *b. Locus in porticibus patẽs, cõplures ſedes habens, in quibus Rhetores, ac Philoſophi ſolebant diſputare.*

Exemptilis, e. 135. *b. Quod eximi, & extrahi poteſt.*

Exentero, as. 113. *d.* 205. *c. Interiora extraho.*

Exheredo, as. 180. *a. Hereditate priuo.*

Exlex. 31. pag. 53. verſ. 1. 166. *o. Legis expers.*

Exoculo. 42. *a. Oculum erue.*

Exornatiuus, a, m. *Quanquam Auctorũ huius appoſiti Claſſicum in praeſens non memini, varietatis tamen captanda gratia, commodè vſurpãdum, inſtar ſcilicet* Laudatiuus, & Deliberatiuus, *exiſtimani. Si cui tamen non arridet, pro* Exornatiuus *in promptu eſt* Laudatiuus.

Exoro, as. 277. *c. Idem aliquando, ac vehementer oro. Plau. in Milite;* Veneri pol habeo gratiam: tandemq; exoro, & quaeſo, vt eius mihi ſit copia, quem amo, quemque expetiſſo.

Exoſſo, as. 107. *n. Oſſa detraho.*

Exoticus, a, m. 112. *d.* 215. *a. Extraneus. Peregrinus.*

Expalliatus, a, m. 107. *e. Pallio ſpoliatus.*

Expalpo, as. 69. *e Palpando aliquid elicio.*

Expando.

Expanſus, a, m.

Expaſſus, a, m. *Verbo* expando *vtrumq; ſupinum eſt* expanſum, & expaſſum. *Prius eſt Plinij, Gellijq; alterum Caecilij, Tacitiq;. Vtor ego*

 prio-

priore 31.*b.Vide mea Sicilimenta*.

Expectoro,as.334.*c. Extra pectus eÿcio*.

Expers.266.*c. Cum Ablatiuo Plauto,Salluſtio,& Dycti Cretẽſi lib.*2.

Expilo,as.107.*e.Diripio, ſpolio.*

Explorabundus, a, m.*Praf.lect.c.Qui abunde explorat. Plaut.* Aulul. Act. 2. ſcen. 1. *Vox inobſeruata Calepino.*

Exſuccus,a,m. 123. *e.*234.*c. Quod eſt ſine ſucco*.

Exterebro,as.132.*d. Terebrando extraho. Per trãslationem pro* extorqueo.

Extundo, is. *Vi, aut blanditÿs aliquid extorqueo*.

Exultabundus,a,m. 13.*verſ.*20.*Latabundus. Iuſtini vox eſt lib.* 18. *a Calepino pratermiſſa*.

Exuberãtia,æ.19.*pag.* 31.*verſ.*16. 41 *b*.77.*a. Affluẽtia,Gellio l* 8.*c*.7.

Exuperantia.13.*verſ*.4.28.*b*. 139.*b. Eminentia.*Exuperantia virtutis. *Cic. Italis* opera di ſuperérogatione.

Exuuiæ.122.*a.Spolia hoſti detracta.Hominum, aliorumq́; animaliũ veſtes,ac tegmina*.

F.

Factitius,a, m.32.*b. Quod arte aliqua factũ eſt, & naturale non eſt.*

Fæculentus,a,m.248. *g.Facis plenum*.

Falcula.108.*b. Adunca animalis vngula*.

Famulitium. 178. *e. Famulorum turba Apuleio, Macrobio, Capitolino. Vide mea Sicilimẽta.*

Fanaticus,a, m. *Furore correptus*.

Farina,æ. 57.*d.* No-*men proprium ſceleſtiſſimi illius ſicarÿ,qui Sancti Caroli corpus excuſſa glãde traÿcere conat⁹ eſt.*

Fartor,75.*g. Qui aliquid infarcit*.

Fartura,æ.31.*e. Propriè, actus, moduſq́; farciendi al'ilia : per metaphoram pro quauis re, quæ infarcitur*.

Faſcino,as.178.*e*.278. *f. Malefico aſpectu alicui nocco, vel peſtifera lauda*.

datione aliquem inficio.
Faſcinum,i.16.*b.Genus incantationis homines emacians,ac de mentis poteſtate deijciens.*
Faſtigio,as.70.*b.* 75.*c.Acumine, in faſtigium erigo*. orationem faſtigiare *eſt orationis argumenta in arctum magis, aut in acumen ſemper anguſtiùs cogere*.
Fatiſco,is.76.*b* 143.*l.Oneri ſuccũbo, Deficio.*
Feneſtratus,a,m.106.*p. Feneſtris perforatus. Per metaphoram* amictus feneſtratus, *pro,* apertus, incifus.
Ferculum, i. 197. *f. Miſſus cibi,Italis* viuanda, che ſi porta in tauola.
Ferrumino, as. 29.*c.* 158. *poſt b.* 247.*k. Propriè metalla conſolido. Per metaphoram pro* Cõiungo, cogo, coagmento.
Fibræ. 28. *e. Rerum omniũ extremitates. Minuta radicum in herbis capillamenta. Inteſtini extrema partes. Hinc per translationẽ* fibræ prærogatiuarum *pro laudationis multiplicibus, quaſi radicibus, & capitibus.*
Fibula.106.*n.*136.*d. Propriè cinguli ornamẽtum ad veſtem ſubligandam. Per metaphoram pro re quauis ad coniungendum apta.*
Fidelia,æ.143.*p.Vaſis Samij genus,cui' multiplex vſus.*
Fidelis. 287. *c. Pro,* Chriſtianus *per antonomaſiam, quia nemo germano, veroq; Chriſtiano fidelior Deo, patriæ,alijs, ſibi. præterquã quòd vox eſt noſtra Religioni ſolemnis.*
Fides Dei.288.*c. Qua ſcilicet diuina myſteria, Chriſtianæq; religionis dogmata credimus,quam qui perſuaſionem malũt appellare, non minùs inepti,quàm irreligioſi, ac ſuperſtitioſi ſunt.*
Fides Punica. 27. *a. Hoc eſt,fallax, leuis.*
Fides,ium.48.*poſt a.* 186.*poſt a.Chorda cuiuſuis muſici inſtrumenti.*
Fidiculæ.84. *b.* 188. *f.*

Z 6

f. Tormenti, vel inſtrumenti genus, ad reum torquendum, extorquendãq́ veritatem.

Finiens. 139. *c. Linea illa; qua noſtrorum aciẽ oculorum in orbem terminat, Gracis* orizon, *atq; in ſphera ille circul⁹, qui orizontem repraſentat.*

Fiſtuca. 43. *g.* 247. *p. Machina utrinq; anſata, quà pali magnà vi in terram adiguntur. Eſt etiam magna illa moles, quà trabalis materies in terram, aut alueum fluminis pangitur, funibus attollitur, pondereq́; ſuo demiſſa illiditur. Per metapboram pro quouis pulſandi, impellendi, trudendiq; inſtrumento.*

Fiſtula. 57. *f. Propriè canaliculus aquam fundens; a cuius ſimilitudine ignivomum illud ferreo e tubo inſtrumentum, infeſtà ſauciens glande, recentioribus ſcriptoribus ita rectè appellatum eſt.*

Flabellum. 52. *i.* 108. *h.* 133. *c. Inſtrumentum ad auram captandam, Italis* ventaglio.

Flexanimus, a. m. 167. *c. Qui animum flectit.*

Floccus, i. 93. *b. Lanarum particula a velleribus diuiſa, inutiliter euolans. Vnde pro re nullius pretij ſumitur, &* flocci-facio *dicitur.*

Flora. 201. *o. Hortorũ praſes Dea credita.*

Fluxus, a, m. 68. *b.* 172. *g. Pro inſtabili: Item pro ſoluto, remiſſo, molli, vt hic.*

Focale. 106. *n. Faſcia, qua valetudinarij ceruicê, colluq́; aduersùs aeris, frigoriſque iniurias circundant.*

Fœnero, as. 218. *c.* 283. *a. Fœneri do, in fœnere colloco. Italis* dar ad vſura.

Fœniculum. 76. *e.* 208. *a. Herba notiſſima, Italis* finocchio.

Forceps. 174. *e. Ferreum inſtrumentum, quo candens ferrum, & alia capiuntur, aut euelluntur, Italis* tanaglia.

Forfex. 113. *c. Inſtrumentũ, quo filum, tela, & ſimilia inciduntur.*

Fornix. 143. *f. Arcus*

in

in ædificijs, & quædam opus concameratum.

Frequentamentum, ceterum. 112. post. b. Genus musicæ modulationis.

Friabilis, e. 229. b. Quod friari potest, & in puluerem comminuitur.

Friatus, a, m. 253. c. Tritus, in puluerem redactus.

Frigulo, as. 146. e. Graculi sonum edo. Auctor Philomelæ.

Frio, as 143. g. In pulnerem redigo, tero.

Frustillatim. 219. c. Per modica frusta.

Frustum. 228. a. Rei cuiusq; particula.

Fulgetrum. 165. a. Fulgur.

Funambulus. 168. b. Qui super funem ludibundus ambulat.

Funda. 157. c. Instrumentum e funiculo ad lapides iaciẽdos factum.

Fundator. 189. a. Qui aliquid fundat. Virgilius. Vide meaſicilia. eta.

Funditor. 156. c. Qui fũda dimicat, iacit ſaxa.

Funesto, as. 102. b. Funere polluo. Per metaphoram, hic pro blasphemo, quum Deum ore polluat, qui eum execratur.

Furfur. 125. b. Farina purgamentum.

Furtuarium. 55. a. Pœna, quæ fuste infligitur.

Futilitas. 25. f. 71. e. Vanitas, leuitas.

G.

Galericulus, i. 106. f. Pileolus, paruus galerus.

Galgulus. 146. c. Auis certæ nomen.

Ganea. 115. g. Lupanar, popina.

Ganeo. 187. a. Ganeis, hoc est, lupanaribus deditus.

Gannio. 52. b. Vocem vulpis edo.

Garum. 134. g. Liquamen ex piscium intestinis sale maceratis, Italis Salamora.

Gaza. 275. d. Pecunia regia, & pretioſa ſuppellex.

Geheuna. 232. o. Vox a Sacris Literis conſecrata, Infernas Orci ſedes deſignans.

Gelasinus. 108. g. Riſus vel ruga, lineans, quæ in ridentis facie apparet.

Ge-

Geminus,a,m. 222. c. *Pro ſimili,& pari*.

Gemmarius,i.78.*pag.* 133.*verſ.*3. *Qui gemmas polit,ac venum dat. Auctorem huius vocis nullum ex locupletibus hic laudare poſſum. At ego analogia contentus, ſic a gemma gemmarium vna cũ Nomẽclatoris Auctore ſicut eſt a Lectica Lecticarius, a Gallina Gallinarius,a Serra Serrarius, a Zona Zonari⁹,deduxi.*

Gentilis,e.291.*h. Qui ex eadem gente eſt. Vide,* Agnati.

Genuinus,i. *in præfat.*1.*c. Propriè dens, qui omnium poſtremò naſcitur.* Genuinum figere, *nempe dentem,hoc eſt,genuino dente ferire*.

Genuinus,a,m.424. *e.Natiuus*.

Geſtatorius,a,m,204. *d. Scala geſtatoria, qua manu geritur, ac transferri poteſt.*

Geſticularius, a, m. 115. *a. Qui geſticulatur.*

Geſtuoſus,a, m.6 *b.* Manus Hortenſij geſtuoſæ.*Gell.lib.*1.*cap.*15.

Gibbus,a,m. 200. *f. Gibber,Gibboſus*.

Gibbus,i.107. *g.Tumor dorſi ex ſpina flexu enatus*.

Glabro,as.201.*t. Pilos aufero. Per metaphoram de horto, quum eius herbulæ euelluntur*.

Gladiolus.52.*d. Paruus gladius,pugiunculus. Quintil.Apul. Vide mea Sicilimenta*.

Glans.8.*a b.*135.*b. A ſimilitudine glandis,quæ fructus eſt roboris, eſculi, cerri,ilicis,fagi,& c. glandem voco globulum, qui ferreà e fiſtula excutitur. Rurſum glandes appello duas illas plumbi maſſulas,quæ in horologio trãſuerſa lamina,tẽporis moderatrici vtrinq; appinguntur, quòd glandis figuram imitentur*.

Gliſco.289.*b. Creſco, inualeſco*.

Glocio,is.52.*b. Gallina ſonum edo*.

Glomero. 166. *k. In globi ſpeciem formo. Per tranſlationem pro* cogo, accumulo.

Glutinator.109. *poſt a. Qui*

a. Qui conglutinat. Italis Incolatore.

Gnatho. 126. *f.* 251. *c. Homo nihili. Paraſitus.*

Gordianus nodus. 36. *b. Ille ita inuolutus, quẽ quum Macedo Alexander explicare nõ poſſet, ferro diſcidit.*

Goſſipium. 292. *g. Xilon. Frutex, ex quo lina fiunt, molliſſima lana, vulgo* cottone.

Graculus. 5. *i.* 146. *e. Auis cornici ſimilis, ſermonẽ humanũ exprimẽs.*

Grandino. 98. *a. Grãdinem fundo, emitto. Seneca lib. 4. queſt. cap. 4. Vide mea Sicilimenta.*

Graphicè. 72. *a. Eleganter, politè.*

Gratificor. 158. *c Rem gratam facio.*

Griphus. 80. *b. Ænigma, ſermo inuolutus.*

Gurguſtium 30. *a. Habitatio perangusta.*

Gynæceum. 115. *poſt l.* 143. *n. Mulierum locus ſecretior in edibus.*

H.

Hæreſis. 20. *c. Pro tenaci, & confirmata ſententia de aliqua re.*

Hæreticus. 336. *f. Propriè qui aliquam hæreſim, hoc eſt opinionem, vel ſectam tuetur. Sed a Theologis is tantùm dicitur Hæreticus, qui ſectam aliquam a verà, ac receptà Religione diuerſã vel inſtituit, vel amplectitur.*

Harpaſtum. 71. *k. Pila folle minor, paganicà maior, quã quiſq; ad ſe rapere nitebatur.*

Harpia. 174. *c. Vulgata fabula de Harpijs, quæ aues erãt quadã fœdiſſimæ, ac rapaciſſimæ.*

Haſtati. 247. *a. In Romana acie milites erant medij inter Principes, & Triarios.*

Haſtile. 69. *c. Quod ad haſtæ formam factum eſt, lignũ ſcilicet teres, &c.*

Hebeto, as. 6. *poſt c.* 194. *a. Obtundo, Hebetem reddo.*

Heliotropiũ. 201. *m. Flos notiſſimus Solis formam, & motum imitans. Italis* Giratole.

Heluo. 198. *c. Homo immodicæ voracitatis.*

Hemicyclus. 52. *p. Semicir-*

Digitized by Google

micirculi quauis figura.

Herbam porrigere. 126.*g. Tritum prouerbium: idem, ac ſe victum fateri, alterumq́; victorem agnoſcere.*

Heſperidũ horti. 101. *b. Heſperides tres fuere Heſperi filiæ, quæ hortos habebãt aurifero nemore, vt fabulantur, ꝑtioſos.*

Hilum, i. *Paruum illud nigrum, quod in faba extremitate hæret. Vnde pro re nulliꝰ pretij, vt hìc.*

Hin io. 52. X. *Equi vocem edo.*

Hippodromus. 167. *a. Equorum curriculum.*

Hircus, i. 174. *d. Caper admiſſarius, nõ caſtratus.*

Hiſco. 37. *i. Propriè labra diduco, loquendi gratia os aperio: trepidè pauca loquor.*

Holoſericus, a, m. 74. *c. Quod ex ſerico totum cõſtat, vt veſtis holoſerica.*

Hortulanus. 201. *b. & u. Olitor, qui horti curam habet. Macrobius, & Apuleius. Vide mea Sicilimenta.*

Hydra. 211. *a. Multorum ſerpens capitum in Lernæa paludè, quorum aliquot exciſis, totidem alia continuò renaſcebãtur, vt nugantur Poetæ.*

Hypotheſis. 220. *a. Quæſtio finita apud Rhetores.*

Hypotypoſis. 123. *a. Latinè ſubiectio, vel euidentia, figura Rhetorica. Nomen e Græco ſumptũ.*

I.

Ilias, adis. 1. *e.* 84. *e. Inſcriptio eſt Homerici operis de bello Troiano, diuturno ſcilicet, & longo. Vnde pro quauis re, cuius exitum difficile ſit reperire.*

Illatebro, as. 70. *d. In latebras abdo.*

Illex, icis. 81. *c.* 281. *k. Illiciendi vim habens, quando adiectiuum eſt: quum verò ſubſtantiuũ. vt hìc vtroq; loco, ſignificat illecebras, aut incitamẽtũ.*

Illicium. 32. *b.* 178. *c. Incitamentum, illecebra.*

Illuſus, a, m. 53. *g. Illuſas auro veſtes vocat Maro, quæ auro vel intexta, vel obducta, vel diſcriminata, vel alio modo ornata ſunt. Rationes*

ores ergo annominationibꝰ illuſa, qua inſertis annominationibꝰ inſigniũtur.

Imbricatim. 5. *b. Imbricis in modũ. Eſt autẽ imbrex tegula obtorta, tectis applicari ſolita Vt ergo in his tegula, atq; imbrices alij alijs immittũtur, ita acumina alia alijs cõſerta per metaphorã appellaui.*

Immitis, e. 233. *a. Per trãslationem pro immaturo, atq; acerbo.*

Impeditus, a, m. 36. *b. Impedita ſilua, ideſt, tranſitu difficils. Impedita eloquẽtia ſalebris, hoc eſt, ſalebroſa, rerumq; difficultate inuoluta.*

Impono. 191. *a. Pro Illudo, decipio.*

Impubes. 123. *c. Qui ad annum XIV. pubertatis nondum peruenit.*

Imputare alicui. 292. *c. Eſt cauſſam alicuius rei alicui adſcribere. Phraſis bene Latina, Seneca, Velleij, Quintiliani, Plinij, Curtij, Cornelij Nepotis auctoritate munita. Vide mea Sicilimenta, & Dentiſcalpium.*

Impuratus, a, m. 187. *b. 247. c. Impurus.*

Inaceſco. *in Epiſt ad Card. Romam. Per metaphoram idem, ac pungo. Apul. lib. 5. de Aſino. verbũ in Calep nõ exſtat.*

[illegible]albeſco. 262. *b. Albus fio.*

I[illegible]o, as 124. *a. Vnde inaffatus. Idem atq;* Aſſus, *Italis* a[illegible]

Inauguro. 193. *c. Præcedente augurio dedico, vel conſacro. Per metaphorã pro* Creo, Inſtituo.

Incaſsũ. 262. *pag. 404. verſ. 5. Fruſtra, Inaniter.*

Inceſto, as. 247. *d. Polluo. Lingua impudentiſſima Numen inceſtare, eſt diras fœdiſſimas in Deum euomere Virgilius ait:* inceſtare funere claſſem. *ideſt, funere polluere, ſeu funeſtare. Ergo &* Deum impudẽti lingua inceſtare, *eſt impuris eum contumelijs polluere.*

Incilia. 84. *c. Incile, is, canalis, per quem aqua in hortos & prata deriuatur.*

Incitæ. 45. *c.* 131. *b. Pro paupertate.*

Inconcuſſus, a, m. 243. *a. Qui non concutitur. Senec. Ep. 45. & 60. Tacit. 2. Ann. & 2. hiſt. præter Statium, & Lact.*

Inconniuens. 243. *a. a Gellio, & Marcellino l. 29. qui palpebras non mouet.*

Incontentus, a, m. *Non contentus, non adductus, remiſſus.* 331. *a.*

Incōtenta chorda. *Cordà nō tirata, diſcordāte.*

Incruſto, as. 53. *b. Cruſtam induco. Rationes metaphorica gēmatis acuminibus incruſtatæ, ideſt, quæ tot obruuntur acuminibus, vt cruſtam faciant.*

Inculcatus, a, m. 53. *e. Ab* Inculco, *ideſt Infarcio; & quaſi calcando immitto.*

Inculpatus, a, m. 237. *k. Innocens; culpa carens.*

Incunctanter. 272. *c. Sine cunctatione, ſubitò. Vox in Calepino nō apparet. At Apuleij eſt l. 3. de Aſino, Pacati in Paneg.*

Index. 136. *a. Qui, vel quæ rei alicuius facit indicium.*

Indiuiduus, a, m. 192. *c. Quod ſeparari nequit.*

Indo, is. 194. *b. Impono, Immitto.*

Indubius, a, m. 145. *a. Indubitatus. Vox prætermiſſa a Calepino, vſurpata tamen a Quin. l. 5. c. 13. & Declam. 7. tum a Tacit. lib. 14. Ann.*

Induciæ. 56. *a. Ceſſatio a bello in certum tēpus pacta.*

Inductio. 60. *d. Perſuaſio.*

Indulgeo. 21. *e. Cum Accuſatiuo pro,* Concedo, Permitto. Cōſentio.

Inedia, a. 263. *c. Abſtinentia a cibo.*

Infacetus, a, m. 204. *e. Inurbanus.*

Infercio. 39. *poſt. b. Idem ac infarcio: vtroq; enim modo legitur.*

Informatio. 21. *d. Anticipata, & imperfecta notitia. Hic propriè illa forma rudis eſt, quæ operi primùm ab artifice inducitur.*

Infucatus, a, m. 326. *b. Fuco tinctus, fucatus. Cic.*

Infuco, as. 147. *e. Fuoblino.*

In-

Inſulatus,a,m. 287. d. *Inſula inſignitus.*

Inobſeruatus, a, m. 281. *i. Non obſeruatus.*

Inſecta, orum. 108. *i. Animantes exangues, vt muſca, veſpa, apes, &c.*

Inſignitè. 297. *b. Eximiè, Valde.*

Inſiſt, ois. 221. *p.* 343. *a. in fine. Pro* obeo. *Sic* viam, *vel* iter, *aut* tramitem inſiſtere, *pro* obire. 331. *c. Pro* immoror, *ac veluti* gradũ ſiſto. Cic. in argumẽto inſiſtere, *hoc eſt, idem argumentũ acriùs vrgere.*

Inſitio. 68. *a. Inſerendi actus. Italis* innestamento, incalmatura.

Inſtitor, oris. 21. *a. Qui a mercatore alicui negotiationi præficitur, vel qui merces mercatoris vendit. Ambitioſus eloquentiæ inſtitor dictus a Quintiliano, qui venditat eloquentiam.*

Inſubidus, a, m. 274. *a. Turpis, fœdus.*

Intellectus, us. 98. *e. Pro vi intelligendi, ſeu intelligentia, vt liquet ex Seneca, & Fabio. Vide mea Sicilimenta.*

Intemperiæ. 28. *a.* 239. *verſ.* 14. *Quædam Dea credita habere vim nocendi, & per intemperantiam ſæuiendi. Intemperijs agi dicitur, qui vaſanis agitatur cõſilijs.*

Intentio. 234. *a. Plinio pro fine, qui hominem ad opus impellit.*

Intercalo. 5. *f.* 75. *d.* 105. *c. Interſero. Intercalaris menſis dictus Februarius, cui poſt XXIII. diem dies vnus olim interponebatur.*

Intercapedo. 51. *c.* 264. *ante a. Interſtitium temporis, vel loci inter duo ſpatia interceptum.*

Intercedo. *In præf.* 9. *t.* 278 *f.* Intercedere alicui, *eſt eum prohibere, ne quid faciat, aut ſtatuat.* Legi intercedere, *cauere, ne feratur. Hic verò laudes eloquentiæ, ne explicentur, interturbare.*

Interceſſio. 221. *a. Impeditio, ne quid fiat, hic loco* oppoſitionis, *vt aiunt.*

Internus, a, m. 22. *b. Cui opponitur externus, etſi*

etſi vox ſit, vt plurima, alia, ab omnibus neglecta Calepinis, & Theſauris; Salluſtio tamen Seneca, Plinio, Solino, Marcellino, vt oſtendo in meis Sitilimentis, vſitata.

Interpello. 226. *verſ.* 3. 278. c. *Loquentem, vel aliquid agentem interrumpo.*

Interpolo, as. 75. e. *Inſtauro, rebus vetuſtis nouam formam induco. Hinc veſtes interpolata, qua a fullonibus renouatæ ſunt.* Periodos ſententiolis interpolare, *eſt nouam ſententiarum formam, & gratiam prætritis periodis inducere.*

Interrogatiunculæ. 248. d. *Cic. Subtiles quadam, atq; anguſta quaſtiones, qua ingenijs minus promptis negotium faceſſunt.*

Interſiſto. 88. a. *In loquendo, aut agendo interquieſco, ſubſiſto.*

Intertrimentũ. 131. f. *Euanida argenti, vel auri pars, qua in exco‑quendo perit. Sumitur etiam pro quauis iactura, vel damno.*

Interturbo. 278. d. *Valde turbo, agenti, aut loquenti obſtrepo, moleſtiamq; exhibeo.*

Interula. 106. k. *Martiali, Horatio, Apuleio, eadem, ac ſubucula, ſeu intima tunica.*

Inurere notam. 335. b. *Hoc eſt, ita imprimere, vt deleri nequeat.*

Irrequietus, a, m. 236. b. *Qui nũquam quieſcit.*

Irritus, a, m. 68. b. *Vanus, inutilis, caſſus.*

Iuuenor, aris. 53. e. 212. e. 251. e. *Iuueniliter loquor, aut laſciuio. Horat.*

L.

Labo, as. 60. b. *Vacillo, Nuto.*

Lacerna. 37. b. *Vilioris genus veſtis ad arcẽdas pluuias accommodatum.*

Lacertoſus, a, m. 158. e. *Toroſus, muſculoſus, Lacertis validus.*

Lacertus, i. 276. a. *Summa brachij pars.*

Lacinia. 76. d. 106. e. 116. b. *Pars veſtis extrema, &*

ma, & caſuum particulati- *concila decoris cauſſa.* Si- nuoſę [illegible] labin ę *ſunt periodis multiplica-* *ſenſiculorum flexu serta,* *cæſa, atq; amputata.*

Læuigo, as. 65. *b.* 164. *Polio, Complano, laue reddo.*

Læus. 83. *c. Pro glaber, poſitus.*

Læuor, is. 55. *b. Leuitas, cui cõtraria aſperitas.*

Lamella æ. 136. *d. Parua lamina.*

Lancino, as. 167. *post c. Lanio, Lacero.*

Laniarium. 338. *a. Officina, vbi carnes laniantur, ac venduntur.*

Laniena, æ. 147. *a. Laniarium, officina, in qua laniantur carnes.*

Lanugo terræ. 201. *p. Tenera lana cuiuſdã mollicies, qualis in pomis, & genis adoleſcentum. Hìc pro quacunq; mollicellà herbula.*

Lapſabundus, a, m. 264. *post b. In Lapſum pronus.*

Laquear. 100. *d. Pars ſuperior cubiculi, camera.*

Lararium. *pag.* 477. *verſ. 9. Sacrariũ domeſticum, in quo Lares, & alij Dij peculiares adorabantur.*

Laruatus, a, m. 6. *a. Larua tectus, perſonatus.*

Lateo tibi cum Datiuo. *In pref. 6. P. Plaut. Lucret. Varro. Ciceron. Lucan. Auctoribus, quos in Sicilimentis meis produco in medium.*

Later, is. 143. *b. Excocta terra, atq; in lapidem durata.*

Latex. 149. *c. Quicunq; humor.*

Laurea. 9 *pag.* 15. *Non ſolùm pro corona Laurea, ſed etiam pro quouis dignitatis inſigni.*

Lautia. 101 *d. Munera a Romanis p Quæſtorem Legatis exterarum gentium, amicis, ac viris claris mitti ſolita. Pro quouis dono, ac ſtrena.*

Lebes. 98. *f.* 133. *b. Vas aneũ, in quo aliquid igni apponitur, vt coquatur.*

Lemma, is. 16. *a. Thema, ſeu argumentum operis, quod nobis in ſcribendo proponimus, Plin.*

vt

ut hic, aliâs pro titulo o-peris argumentum indi-cante. Mart.

Lemures. 42. T *Larua nocturna, vel ſpiritus noctu, vt vulgus putat, infeſti.*

Lenocinium. 76. g. *Lenocinãdi actus, exercitiũ lenonis Per metaphoram pro omnibus blandimentis.*

Lenocinor. *Lenocinium facio. Per translationem pro* Blandior.

Lernæa palus. *In qua hydra degebat, ab Hercule deinde confecta.*

Leuidenſa. 105. a. 263 b. *Vile genus veſtis, craſſo filo. Eloquentia leuidenſa, idest, eloquentia vilis, leuis, nullius pretij.*

Libella, a. 21. c 56. c. *Fabrile inſtrumentũ ad parietis rectam poſitionem explorandam. Per metaphorã pro omni norma, regulaq;*

Libramentum. 68. d. 135. d. *Liuio lib. 8. Decad. 4. pro pondere, vt hic etiam.*

Libum. 52. g. *Genus dulciculi cibi ex farre, caſeo, melle, & oleo. Tráſtuli ad annominationes, vt in comparatione pergerem. Sunt enim hæ dulces quædam ex ſyllabarum affini cognatione placenta.*

Licia 83. c. *Fila, quibus ſtamina in telis implicantur. Sumũtur quoq; pro ipſis ſtaminibus.*

Ligo, onis. 134. a. *Inſtrumẽtum ruſticum, Italis* la zappa.

Ligula a. 106. g. 116. c. *Sumitur a Iuuenale ſatyra 5. pro quonis adſtrictorio ligamine, vt Iunius auctor damnatus, in ſuo Nomenclatore adnotauit,* Adſtrigmentum *dicitur Pontano noſtro* volum. 2. prog. 2. *Itali* ſtringa. *Sic ego hoc loco* tæniæ reuinctę crocei ligulis, *idest, ligamentis. Vetus Iuuenalis interpres a ligando ligulam dictam putat, pro anſis ſeu fibulis caligarum. Item accipitur pro inſtrumento, quo ſpuma leberi detrahitur. Colum. Ita ego 133. a. Item pro*

par-

parua lingua, vt 135.*o. Sic appello per trãſlationem duo illa in ferreà horologij columellæ e filo penſili obſtacula eminentia in lingua ſpeciem, qua in rota dentes incutiuntur, ac repelluntur.*

Liguſtrum, i. 262. *c. Albi floris genus.*

Lippus, a, m. 130. *e. Qui lippitudine, hoc eſt, oculorum lacrymantium vitio laborat.*

Lira, æ. 201. *k. Sulcus ex Nonio, vel editior terra cumulus, qui & porca dicitur.*

Litus, a, m. 239. *a. Vnctus, oblitus, illitus.*

Locus. 210. *a.* Ad id locorum, *Pro hactenus Plaut. Liu.*

Locutuleius. 10. *a.* 244. *a. Homo garrulus, Linguax, blatero.*

Logodædalus. 24. *b.* 29. *b.* 95. *poſt c. Sermonis artifex, vt appellatur a Socrate.*

Logi, orum. 137. *f. Pro verbis futilibus, & nugatorijs. Italis,* Ciâce.

Loquentia, æ. 132. *c. Loquacitas, Salluſtius apud Gellium* lib. 1. cap. 15. *vbi pro* loquẽtia *inepte alij legunt* eloquẽtia: *Negat enim ibi haberi multum ſapientiæ, ſatis verò loquentiæ, adeoq; opponitur ſapientiæ loquentia. atqui eloquentia, quæ ex Tullio copiosè loquens ſapientia eſt, eidem ſapientiæ opponi nequit.*

Lorica, æ. 52. *k. Munimentum corporis, pectoris ad vim armorũ reijciendam tegumentum,*

Loricatus, a, m. 63. *a.* 167. *b. Lorica indutus.*

Lorum, i. 166. *f. pro habenis.*

Lubentia, æ. 19. *Pro lubidine, iucunditate, ac delicijs.*

Lubrico, as. 105. *c Lubricum reddo.* In fugam lubricare pedes, *in ſaltatione eſt pedes volubiles in fugam rapere.*

Lucifugus, a, m. 277. *b. Lucem fugiens.*

Lucus, i. 210. *i. Locus arboribus conſitus.*

Ludificatio. 22. *c. Deriſio, Deceptio.*

Ludio, onis. 103. *b.* 260. *a.*

260.*a.Ludius,hiſtrio.*
Lupatum. 166. *c. Frænum.*
Lupinum. 74.*b. Leguminis genus notum.* Quid diſtent æra lupinis *Horat.prouerbiũ vulgatum, quum indicare lubet rerum diſcrimina nobis eſſe comperta.*
Lurco,is.130.*b.Edax, Guloſus qui rem ſuam edendo abſumpſit.*
Luſcinia. 53.*i. Auis nota.Italis* vſignuolo.
Luſtra,orum.115.*b.* 218.*b. Popina & lupanaria.*
Luſtrum,i.247 *b.Spatium quinque annorum.*
Luteus,a,m.115.*e. Quod eſt lutei, ſeu ruſi coloris.*
Lutoſus,a,m.194.*e. Luto inquinatus.*
Luxatus, a, m. 112. *poſt f.* 186. *poſt a. A* luxo, as. *quod eſt membrũ aliquod intorqueo,& ſuo loco moueo.*

M.

Machæra. 29. *a.* 53. *poſt c.*274 *b.Gladius.*
Mæander.70.*f.* 140. *e.* 268. *b. Omnis ſinus obliquus,omne diuerticulum, omnis flexio a Meandro flumine ſinuoſo.*
Mador. 266. *d. Humor adſperſus.*
Magnes.44.*h.*236.*e. Genus lapidis ferrum ad ſe attrahentis.Italis* pietra calamita.
Malacia.153 *pag.*237. verſ.15.*Maris nullà aurà commoti ſumma trãquillitas.*
Malagma,is.275.*g. Fomentum ad rem duram emolliendam ſuperpoſitum.*
Malignè.109.*a. Hic pro* Parcè.*Horat. lib.* 2. *Epiſ.* 1.Laudare aliquẽ malignè,*hoc eſt,minimè liberaliter.*
Malignus,a,m. 263. *c. Hic pro parco.*
Malleolus.55.*c. Faſciculus pice, ſulphure, ſimiliq; ignis fomite fartus, ad aliquid incendendum accommodatus. Sic etiam* 178.*c. Vtrobiq; per tranſlationem.*
Mancipium. 95. *b.* Mancipio tradere, *eſt* mancipare, tradere in man-

mancipium.

Manes. 274. *Anima mortuorum*.

Manicæ. 77. *ante c. Pro manuũ vinculis propriè*.

Manipulus, i. 140. *a. Pro exigua militum manu. Legio tota ex manipulis triginta conſtabat. Per trãslationẽ de aſtris in ordines diſtributis*.

Mantica. 205. *b*. 233. *a. Pera viatoria propriè*.

Manuarius, a, m. 59. *d. Quod ad manum pertinet*.

Mapalia. 143. *d*. 200. *g. Agreſtes caſæ*.

Martyr. 287. *d. E Græco fonte vox teſtem deſignans, vſurpataq; a noſtra Fidei cultoribus pro eo, qui mortem Chriſti gratiâ oppetijt*.

Martyrium. 336. *e*. E *Græco nomen, ſignificat teſtimonium: at a ſacris ſcriptoribus, ad illud teſtimonium, quod viri ſanctiſſimi pro Catholicâ Religione oppetẽtes dixerũt, ſuoq; obſignarũt ſanguine, meritò traductum eſt*.

Maſtula, æ, 52. *b*. 59. *b. Parua maſſa, ideſt, farina aquâ macerata, & ſubacta, Italis* paſta. *Idẽ etiam valet, atq; offa*.

Mediaſtinus. 168. *c. Mãcipium abiectius, ſeruus viliſſimus*.

Meditullium. 200. *e. Pars media cuiuſq; rei*.

Meliturgus, i. 53. *a. Mellarius, qui mellificium exercet*.

Mentum. 122. *c. Pars inferior oris nota*.

Mereo. 168. *e*. Merere dorſo *eſt, per metaphorã a merendis ſtipendijs, ſuam operam ferendis tergo oneribus locare*.

Meretricium, ij. 116. *d. Infamis ars meretricis*.

Merges, is. 40. *b. Spicarum manipulus*.

Meſſorius, a, m. 210. *e. Quod ad meſſorem ſpectat*.

Metaphoricus, a, m. 51. *pag*. 84. *ante m. Inflexi ego id appoſitum a* Metaphora, *Græcos Auctores ſecutus*.

Mica, æ. 55. *m. Puluiſculus in arena velut argentum fulgens. Vnde panis, & rerum omnium*

Aa mi-

minuta frusta mica dicuntur.

Mico,as. 10. *d.* 248. *e.* Micare digitis *ludus Italis hodie quoq; in vſu,* Giucar alla mora, *quū porrectis repente vtrinq; digitis, alter alterius numerum diuinare ſtudet. Hinc;* micare antithetis, *aut ſententiolarū talitris, per trāslationē dicitur orator, quum promptis, frequentatisq; eiuſmodi antithetis, vel ſententiolis, id ludi genus imitari videtur.*

Migro,as. 332. *a.* Migrare leges *Cic. eſt violare, negligere.*

Mimus,i. 251. *d.* *Qui dicta aliorū geſticulando exprimens imitatur.*

Miniatulus,a,m. 73. *a. Minio tinctus.*

Miniatus,a,m. 212. *k. Minio tinctus.*

Miſſilia. 87. *b.* 157. *f. Tela, quæ manu mittuntur.*

Miſſilis,e. 278. *g. Quod facilè mitti poteſt.*

Miſſus,us. 198. *b. Pro ferculorum immiſſione.*

Mitis, is. 197. *e. Pro maturo,* mitia poma.

Molitrix. 171. *e. Quæ aliquid molitur. Suet. in Nerone, cap.* 35.

Monomachus. 57. *e. Qui ſolus cum ſolo pugnat. nomen e Græco.*

Monopolium. 212. *f. Plaut. Dicitur quum penes vnum dumtaxat rei alicuius vendendæ poteſtas eſt.*

Morio,onis *b.* 263. *poſt b.* 265. *b. Stultus.*

Muginor,aris. 131. *d.* 137. *a. Murmuro, vel nugas ago.*

Multa. 10. *e.* 332. *e. Pœna pecuniaria, quæ pro criminis magnitudine irrogatur. Cic.* Multa multare. *Pro* irrogare multam. *Cic. pro Cluentio* Cōmittere multā. *eſt aliquid cōmittere multā dignū, aut multandū.*

Mulionicus, a,m.

Mulionius, a, m. 134. *d. Ad mulionem pertinens.*

Mulſum,i. 40. *e. Potio ex vino, & melle.*

Mundus,i. 37. *f.* 115. *e. Pro ornatu.*

Muſcarium. 94. 108. *b.* 133.

b. 133. *c.* 205. *f.* 264. *b. Flabellum ad abigendas muſcas.*

Muſculus. 67. *a. Pro certa quadam machina militari.*

Muſſo, as. 172. *a.* 279. *a. Submiſſa voce loquor.*

Mutio, is. 41. *e. Timidè, & non perfectè loquor.*

Myropol. i. 37. *g. Unguētarius, Unguentorum venditor.*

Myſtagogus, i. 269. *a. Cic. Sacrorum cuſtos.*

N.

Narciſſus. 201. *n. Nomen floris notiſſimi.*

Narthecium. 98. *c.* 113. *e.* 280. *a. Vas, in quo vnguenta, & medicamēta conduntur.*

Nauſeabundus, a, m. 264. *b. Vox prætermiſſa à Calepino, ſed vſitata Seneca Epiſt.* 47. & 108. *qui valde nauſeat.*

Nauus, a, m. 94. *a. Strenuus, Gnarus, Celer.*

Nexus, us. 124. *f.* 324. *g. Genus Ciuilis obligationis, qua corpus etiam, vt pignus afficitur, ex Budæo.*

Nicto, as. 51. *g.* 53. *k. Oculis ſignum do, alterutrum claudendo.*

Nimbus. 45. *d. Præceps pluuia.*

Nitratus. a, m. 53. *n.* 270. *c. Ex nitro conſtans, vel cui nitrum admixtum eſt.*

Nomēclator. *in Præf.* 6. *e. Qui nomen cuiuſq; memoriter edicit, aut cādidatis ſingulorum nomina ciuium ſuggerit. Hic per metaphoram pro breui vocabulorum catalogo.*

Nothus. 26. *c. Quicquid legitimum non eſt, filius ſpurius.*

Notio. 5. *e. Propriè quidam intellectus, & ſimplex mentis conceptio, vulgo* il concetto. *Item ex Tullio ſententia, quā vnumquodq; verbū, aut nomen ſignificat.*

Nouacula. 15. *pag.* 26. *verſ.* 291. *d. Culter, qui radit. Italis* raſoio.

Noxa. 1. *e. Damnum. Noxa dedere eſt noxæ, ſeu damni nomine aliquem multare.*

Noxia, æ. 6. *Pro cri-*

mine, vel culpa.

Nugamenta. 281.*a. Nugæ.*

Nugiuendus, a, m. 152.*a. Qui nugas vēdit.*

Nugo, onis. 205.*g. Apuleius lib.5. de Aſino Nugator.*

Nundinæ. 123.*b. Dies diſtrahendis mercibus celebres, Italis* Fiera, mercato.

Nundinatio. 23.*c.* 8. *d. Venditatio.*

Nundinor, aris. 279. *b. Palàm vendo, publico mercatu diſtrabo.*

Nuptus, us. *Nuptui collocare.* 117. *a. matrimonio iungere.*

Nuto, as. 60.*a. Vacillo, labaſco.*

Nuncupo. *vide* Tæniæ. *Pro* dedico, *cum Datiuo, Apul. lib.*11. *de Aſino.*

O.

Obæratus, a, m. 218. *d.* 247. *a Ære alieno obſtrictus; pro* obligatus.

Obductus, a, m. 135. *i. Coopertus, tectus.*

Oberro, as. 283. *d. Circumerro*, Oberrare eâdem chordâ *dicuntur citharadi Horatio, qui eodem, & nunquam variato cantu faſtidium mouent Auditoribus.*

Oblitus, a, m. *Ab* Oblino, *circumlitus, vndiq; fœdatus.*

Obliquus, a, m. 130. *d. Non rectus.*

Obnitor. 156 *c. Contranitor.*

Obnubo. 171.*a* 186. *f.* 270.*a. Tego, Abſcondo.*

Obryzum. 135. *k.* 212. *h. Aurum puriſſimum ex Plinio.*

Obſitus, a, m. 247. *i. Obductus, tectus.*

Obſonium. 197. *g. Omne id, quo cum pane veſcimur. Italis,* companatico.

Obſtetrix. 143. *c. Quæ curam habet parturientium, eaſq; in partu iuuat. Per translationem de ijs omnibus, qui alteri ſuppetias adueniunt.*

Obſtipus. 129.*b. Cui collum riget, & in humeros caput inclinatur.*

Occæco, as. 197. *b. Videndi ſenſum adimo.*

Oedipus. 84. *k. Nota fabel-*

fabella, a nullo Sphingis ænigmata, niſi ab Oedipo ſolui potuiſſe.

Oeſtrum. 23. *b.* 247. *g.* *Aſilus, Italis* tafano, *inſecti genus, quod apes exagitat.* œſtro perciti, *qui furore correpti. quid porrò libido, niſi carnis furor?*

Offa. 59. *a. Hic pro pulte, & omni re in modum pultis redacta.*

Offucia. *In præf.* 1. *a.* 68. *a.* 282. *b. Fallacia.* verborum offuciæ officioſæ, *pro ijs ſermonis blandimentis technarum plenis, quæ nos Itali* Cerimonie *nuncupamus.*

Olidus, a, m. 194. *d. Quicquid odorē fundit.*

Olitor. 201. *poſt t. Hortulanus, qui olera, herbaſue conſerit.*

Olla. 196. *d. Genus vaſis, Italis* pentola, pignata.

Oneraria. 157 *b. Nauis magna, geſtandis oneribus apta.*

Operor, aris. 278. *a. Operam do.* Operari ſacris, *rem ſacram facio.*

Operoſus, a, m. 171. *b. Laborioſus, Difficilis.*

Opimitas. 183. *g. Abundantia.*

Opimus, a, m. 210. *b.* 279. *c. Diues, pinguis.*

Opiparus, a, m. 101. *e. ſplendidus, opulentus.*

Opitulor, aris. 184. *d. Opem fero, Adiuuo.*

Oppeſſulatus, a, m. 152. *b. Peſſulo, hoc eſt, vecti, qui forib⁹ tráſuerſus immittitur, obiecto clauſus. Italis* chiuſo col catenaccio.

Opprobro, as. 324. *a. Opprobrio do, verto, obijcio.*

Orbita, æ. 34. *b.* 68. *c. Veſtigium rotæ. Inde* itineris orbitam *dico, vt indicem iſtos oratores nō ſpatioſo ac lato itineri ſe credere, ſed in orbitam coacto.*

Orichalcum. 302. *pag.* 461. *verſ.* 24. *Æs coronarium.*

Ornithon. 147. *ad Auiarium.*

Oſcilla. 52. *r. Sigilla, & parua imaguncula ſictiles, quibus homines pro ſe olim Saturno, & Diti piacula faciebant. Item*

imagunculæ, quæ infantibus ad luſum præbētur.

Ouatio. 155. *f. Triumphalis pompa, ſed triumpho minor. Differentiam vide apud Plutarchum in Marcello, & Antonium Valtrinum de re militari.*

P.

Pædor. 37. *c.* 183. *b.* 247. *i. Situs, ſquallor, illuuies.*

Paganica, æ. 72. *i. Pila lanea, aut laxior, vel molli plumà, pilone farta, Paganis, hoc eſt, Pagorum incolis vſitata.*

Pala. 126. *b. Hic inſtrumentum piſtoris, quo panem mittit in furnum, atq; extrahit.*

Palanga. 28. *d.* 155. *a. Ligna rotunda, quæ oneribus aliò tranſuehendis ſubijciuntur.*

Palla. 115. *b.* 117. *b. Veſtis promiſſa, mulierum potiùs, quā virorum.*

Palpor, aris. *Cū Datiuo. Plaut. 7. a. 95. a. Idē ac Palpo, as.*

Paludamentum. 115. *b.* 134. *b. Veſtis militaris, plerumq; Imperatoris.*

Paludatus, a, m. *Paludamento indutus.* 336. *d. Per tranſlationem* Cilicio paludatus, *quaſi Chriſtiano homini nullū ſit cilicio paludamentum honeſtius, aut ſolidius.*

Palumbus. 146. *c. Columba ſilueſtris.*

Pandicular, aris. 107. *m. Extendor, vt ſolent e ſomno expergefacti, & oſcitantes.*

Pandora. 84. *d. Dea, vt ſomniant Poetæ, omnium bonorum genere a Dijs cumulata, quæ propterea cornu omnium rerum copià diues habuiſſe fingitur.*

Panicula. 48. *a. Coma illa in milio, panico, cæteriſq; picei generis, in quà ſemen dependet, vel potiùs nucamēta illa callo ſquamatim compactili texta.*

Pannoſus, a, m. 178. *f. Qui ſordida veſte, craſſo, viliq; pāno indut⁹ eſt.*

Pantomimus, i. 251. *b. Perſonarum omnium imitator.*

Paraſitus. 126. *f.* 251. *c. Men-*

e. Mēſarum aſſecla, qui vētris,gulaq; cauſsà alijs aſſentatur.

Parelia. 42. *a. Solis imago a nube reddita.Seneca* lib. 1. quæſt. Natur, cap. 11. *vox inobſeruata Calepino.*

Parento,as.311.*pag.* 470.*verſ.*11.*Propriè, Parentibus iuſta celebro.Per trãslationem aliquid, vt alicui ſatisfaciam, ago.*

Paſtillus.276.*e.Maſſula cuiuſq; materia in formam parui panis coacta. Hinc paſtilli medicati,odoriferi.*

Paſtus ieiunio. 336. *e. Quippe viri ſancti ita ieiunio oblectantur, quaſi eo vires recreent, atq; augeant.*

Pectorale, is. 55. *d.* 166. *e. Armatura pectus muniens.*

Pedica. 22. *g. Laqueus, quo pedes vinciuntur.*

Pedulculus. 108. *e. Paruus pes.*

Pegma. 52. *h. Machina lignea in ſcenam produci ſolita, cuius imaginem referunt geſtatoria illa caſula, in quas praſtigiatores ſe abdunt.*

Peiero. 247. *e. Falsò, & animo fallendi iuro.*

Pellax. 7. *e.* 178. *b.* 246. *a. Blandus, qui allicit, aut per blãditias decipit.*

Pellex. 34. *a.* 247. *a. Concubina, quam vir vxori ſuperinducit.*

Pelluceo. 51. *k.* 135. *l. Transluceo.*

Pelta. 173. *c. Scutum exiguum Lunæ ſemiplenæ ſpeciem referens.*

Penetro. 176. *a.* Penetrare ſe in aliquem locum. *Plaut. ſæpe. Idem ac* penetrare in aliquē locum.

Peniculus. 129. *a. Id, quo calceamenta, & vaſa, & alia etiam terguntur. Italis* ſtrofinaccio.

Peninſula. 137. *e.* 226. *verſ.* 3. *Terra undique aquis obſeſſa, & iſthmi tantùm anguſtijs continenti adnexa.*

Penſiculatè. 43. *f.* 147. *b. Gell lib.* 1. *cap.* 13. *Cum pōdere, iuſtoq; examine, a* Penſiculo, as, *quod eſt attentè examino, vnde eſt* Penſiculatus, a, m. *participium, &*

penſiculatè, *aduerbiũ.*

Penſum. 4. *a.* Penſi nihil habere, *eſt neglige-re, nihili facere. Salluſt. Suet. Quintil. Item* 116. *l. Penſum pro lana manipulo, aut lini, qui a matronis deducendus accipitur.*

Penula. 107. *c. Veſtis denſa, ac vilis ad aeris arcendas iniurias, pallio ſuperinducta.*

Penus. 22. *k.* 190. *c.* 239. *poſt. n. Omne eſculentum, poculentũq; quod in futuri temporis victũ paratur, atq; aſſeruatur. Per translationẽ pro euiuſq; rei ſupellectili, copia, repoſitorio.*

Pera. 205 *b. Sacculus ex aluta e collo ad lumbos pendens.*

Perduellio. 4. *pag.* 7. *verſ.* 18233. *d. pag.* 55. *n.* 173. *g. Crimen læſæ maieſtatis.*

Perduellis. 173. *h. Hoſtis.*

Perenno, as. 287. *b. Per multũ tempus duro.*

Periſtroma, is. 143. *f.* 202. *b. Aulaum, periſtraſma.*

Pernix. 166. *n. Velox, Celer.*

Perrepto, as. 288. *a. Tardè, & cum labore perambulo.*

Perſona. *Larua, Italis* maſchera.

Perſonatus, a, m. 51. *i. Perſona tectus. Italis* maſcherato.

Pertento. 126. *c. Sententiam alicuius callidè expiſcor, hominem deguſto, exploro.*

Pertineo. 201. *i. Hic pro extendor, porrigor, peruenio.*

Petauriſta. 106. *a. Qui ſaltibus ludit, qui per circulos mira agilitate ſe conuoluit. Italis* Chi fa ſalti mortali.

Phaleratus, a, m. 20. *e* 45 *a. Phaleris ornatus. Pro fucato per translationem.*

Pharmacopola, æ. 126. *h. Pharmacorum venditor. Per translationem argutiarum pharmacopola, qui argutias, vt ſcitamenta, atq; embãmata, condiunt, atq; Auditoribus venditant.*

Pharmacum. 275. *c.*

Me-

Medicamentum.
Philtrum. 171. *b*. 335. *a*. *Pharmacum amorem concilians, vel amatorium poculum. Per tranſlationem, vt hic, pro gratia, illicio, vel blanditijs.* Philtrum eloquentiæ, *hoc eſt, illex eloquentiæ.*
Phonaſcus. 126. *c*. 143. *a*. *Cantus, & vocis magiſter. Italis* maſtro di muſica, maſtro di capella.
Phryges. 45. *a*. Serò ſapiunt Phryges. *Prouerbium notum. Phryges quippe, ſiue Troiani tandē bello acciſi, atq; euerſi, ſuo cæteros malo docuerunt, quàm ſerò eos mali conſilij pœnitentia ſubierit.*
Phrygio, onis. 29. *a*. 43. *a*. *Qui acupingit, opuſue Phrygiū elaborat. Italis* Riccamatore. *Per trāſlationem de acuminum coactore.*
Piacularis, e. 72. *b*. 174. *b*. *Ad piaculum, id eſt, cultum, quo expiatio fit, pertinens.*
Piceatus, a, m. 247. *b*, *Picatus, Pice illitus. Per tranſlationem pro tenaci*. Piceata cōſuetudo. *Quæ ſemel inueterata, difficilè euelli poteſt.*
Picturatus, a, m. 7. *b*. *Varia exornatus pictura.*
Pigmentarius. 22. *f*. *Qui facit, aut vendit pigmēta*. Acuminum pigmentarij, *qui acumina paſſim ingerunt.*
Pilæ. 142. *g*. *Pro quauis colūna. Sic & 155. a.*
Pinnæ. 41. *d*. *Propriè penna durior. Hìc pro penna, quæ telis inſeritur. Item pro piſciū, & aquatilium alis, quibus innatant, vt 122. f.* Pinnula 270. *c*. *eadē ratione parua pinna.*
Piperatus, a, m. 76. *f*. *Pipere ſparſus, cōditus.*
Pipilo, as. 140. *e*. *Catullo paſſeris vocem edo.*
Pirata. 123. *f*. *Marinus prædo.*
Plagiarius. 196. *a*. *Qui hominem liberum in ſeruitutem abducit, vel qui alienum ſeruū dolo ſublegit, aut tenet. Per trāſlationem pro eo, qui malo dolo rem alienam ſibi vēdicat. Vox vſitata Tullio*

lio, & Seneca, vt doceo in meis Sicilimentis. Martialis furem ſuorum librorum plagiarium vocat. Sic ego 334. d. Diuinarum laudum plagiarios concionatores, qui eas Deo ſurripiunt, appello.

Planus, i. 248. *b. Sycophanta, Deceptor.*

Podium. 107 *b.* 143. *c, Locus extra domus parietem porrectus, mutulis e marmore ſubiectis, pulpiti inſtar, Italis* Poggiuolo.

Pollex. *i. a. Pollicem premere olim ſignũ erat fauoris, vertere verò, aut conuertere, animi auerſi.*

Polyanthea, 190. *b. Ita inſcribitur liber, qui circumfertur, multiplicis materia, ac verũ omniũ copia diues, a multiplici flore nominatus, cuius not⁹.*

Pomœrium. 201. *i. 282. pag. 455. verſu vltimo Spatium illud liberũ, quod inter mœnia, atq; ædificia relictum, vrbem ambit. Ad hortum ego traduxi, in quo interuallum illud amplum intra areas, parieteſq́ horti interiectum quaſi pomœrium nuncupaui.*

Popellus. 107. *a. Diminutum a.* populus, *plebecula.*

Popina. 126. *i.* 218. *a. Locus, vbi guloſa familia heluari ſolet.*

Poples. 186. *poſt a. Pars oppoſita genu, qua curuatur.*

Populus. 212. *b. Pro multitudine.*

Poſtilena. 166 *c. Craſſius corium, quod ſub iumentis cauda ad ephippium firmandum ponitur, Italis* Greppiera.

Poſtliminium. 5. *k.* 219 *b.* Poſtliminio redire, *aut* reuocari *dicitur, quum id, quod quacunq; ratione alienatum eſt, aut amiſſum, deinde recuperatur.*

Potator. *Qui plus aquo indulget vino.*

Prædicator. 225. *d. Laudator. ex Tullio.*

Præfloro. 192. *a. Prælibo. Gellius.*

Præfractè. 292. *b. Obſtinatè.*

Præfractus, a, m. 55. *g. Durus. Refractarius.*

Præ-

Præiudicium. 180. *b. Res, quæ exemplo eſt iudicaturis in eàdem, vel diuersà cauſsà.*

Præparatus, a, m. 266. *b. Ex præparato. Senec. Epiſt.* 11. *hic perinde ac ſi dicerem, præparatu, ſeu præparato, vel præparatione.*

Prærogatiua æ. 28. *b. Pro cuiuſq; rei excellentia, vel ſingulari dote, vt pluribus doceo in Siciliments.*

Prætegmina. 137. *b. Reciſiones rerum, ſuperuacanearum.*

Præſtigiæ. 45. *poſt c. Incantationes Ludificationes manuum dexteritate compoſita.*

Præſtigiator. 52. *m.* 126. *c. Qui præſtigijs utitur, qui ludificatur.*

Præſtinguo. 42. *b. Idem ac Perſtringo, vt noto in Siciliments.*

Præuaricator. 103. *a. Simulatus accuſator, vel defenſor, vel qui ab officij ſui præſcripto diſcedit.*

Præuaricor. 279. *d. Qui ſui muneris partes malo dolo negligit.* Præuaricari propriè ambitioni, Dæmonum votis, auditorum libidini, *eſt ambitioni, votis, libidini colludere, atq; hæc adiuuare.*

Principes. 247. *m. Milites in prima acie exercitus collocati.*

Problema. 32. *ante b. Vox uſurpata a Seneca lib. 1. controu. 3. & a Suetonio in Gram. c. 4. etſi a Calepino omiſſa, pro rerum abditarum coniectura potiùs, quàm ſolida inquiſitione.*

Procerus, a, m. 201. *l. In lõgitudinẽ productus.*

Proctuſtes, 291. *f. Inſignis in Attica regione latro, qui hoſpites immani feritate trucidare ſolitus erat.*

Progermino. 202. *d. Germen produco.*

Proiectura. 144. *a. Superciliũ quoddã parietis arcendis Stillicidijs inuentum.*

Proletarius, a, m. 181. *pag.* 281. *Plebeius, vilis.*

Promus condus. *Vide* Condus.

Pronuper. 20. *d. Valde nuper.*

Propatulus, a, m. 47. *a.* 172. *b. Latè patens.* In propatulo, *propalàm.*

Propoſitum. 221. *a.* 222. *f. A Rhetoribus dicitur quaſtio generalis, & infinita. Cicer. in Topic.*

Proſcenium. 171. *l.* 271. *b. Locus, in quo actores fabularum agebant. Italis* palco.

Proſcriptus, a, m. *Quod appoſita inſcriptione venale, vel locandum ſignificatur. Item qui in exilium miſſus eſt.*

Protero. 328. *a. Pedibus conculco.*

Proxeneta. 280. *b. Martiali,* Mediator *Apuleio,* Pacarius *Seneca; Conciliator in contractibus. Italis* il ſenſale.

Pſephiſma. 29. *a. Ciceroni decretum, vel plebiſcitum.*

Pubeſco. 123. *d. Lanugineos emitto.*

Pugillares. 178. *b. Tabella, in quibus ſtylo olim ſcribebant.*

Pullus, a, m. 62. *a. Fuſcus, in nigrorem vergens.*

Puls. 195. *b. Cibi genus ex ouis, melle, caſeo, aqua, & farina conſtans. Per tranſlationem* acuminum pulis, *pro acuminum congmentata farragine.*

Puluinus. 201. *f. In hortis eſt terra eminens, vel protuberans duos inter ſulcos, qua in agris porca dicitur.*

Pumilio. 172. *e. Nanus, homo puſilla, & humilis ſtatura.*

Punctus, i. 204. *b. Pro ſubtili quaſtione, quam & interrogatiunculā vocat Cicero in paradoxis.* Minutis, *inquit,* interrogatiunculis, quaſi punctis.

Punica fides. *Vide,* Fides.

Pupæ. 52. *y. Imagunculæ puellares, quibus Virgines in prima pueritia luſitare ſolent.*

Pupilo, as. 146. *f. Pauonis vocem edo. Auctor Philomela.*

Purpuriſſum. 53. *m.* 173. *b Color ex creta argentaria purpura ſucco inebriata, quo & feminæ genas

genas linunt, Italis bel-
letto.

Purpuratus, a, m. 336. e. *A* Purpuro, as, *quod actiua notione a Furio apud Gellium l.* 18. c. 11. *ſumitur pro purpura aliquid imbuo, & cum Ablatiuo præter Accuſatiuum ab Apuleio lib.6. de Aſino vſurpatur.*

Purulentus, a, m. 236. *a. Quod pure, hoc eſt, ſanie plenum eſt.*

Puſtula. 77. *d.* 338. *c. Quoduis tuberculũ præter naturam in cute enatum, Italis* broſſola. *Hinc per translationem* puſtula ſuperbiæ.

Putidus, a, m. 31. *a. Quod mali odoris eſt: Per trãslationem pro inſuaui, rancido, humili, vel abiecto.*

Putus, a, m. 201. *f. Purus, mundus, purgatus.*

Pygmęus. 172. *e. Pygmæi Indiæ populi breuiſſima ſtatura, vix cubitales.*

Pyramis. 155. *b. Moles, & figura quauis e lato in acutum tendens, instar flammæ.*

Pythagoricum ſilentium. *nempe quinquennale. Tantum enim ſpatij Pythagoras ſuos diſcipulos auſcultantes, & mutos eſſe iubebat.*

Pyxidicula. 276. *b. Parua pyxis.*

Pyxis. 57. *c.* 71. *e. Vaſculum e buxo, vel alià materià, Italis* boſſolo.

Q.

Quſtæio. 84. *g. Pro corporis tortura ad veritatẽ eruendam. Per trãſlationem de intellectu, quoties adhibità vi ad ſenſiculos exterebrandos adigitur.*

Quaſſus, us. 248. *Quatiendi actus.*

Quaternarius, a, m. 130. *ante a. Vox omiſſa a Calepino, quæ tamen a Colum.* lib. 11. cap. 2. *a Gellio.* lib. 3. cap. 10. *a Lampridio in Alex. vſurpatur.*

Quicum. 261 *a. Idem ac cum quo.*

Quincunx. 201. *a. In arborum ordinibus dicitur, quum illa ita diſpo-*
nun-

nuntur, vt bina cum ter-tia proximi ordinis, æquali interuallo, ſibi oppoſitâ hanc figuram (V) quæ quincũx vocatur, efficiũt.

Quiritor. 266. *poſt d. Deũ, hominesq; imploro.*

Quiſquiliæ. 131. *b. Purgamenta cuiusq; rei.*

R.

Rabula. 5. *b.* 187. *c. Aduocatus, & Patronus cauſſarum, clamoſus valde, & ferè rabidus.*

Ramentum. 83. *b.* 98. *c. Tenuis cuiusq; rei particula, vt auri, æriſq; ramenta, quæ ex ſectione talium metallorum decidunt.* Ramenta acuminum, *per translationem pro acuminibus inſtar ramentorum pellucentibus.*

Rauidus, a, m. 124. *b. Qui ex fuluo colore ad nigrum deflectit.*

Rauis. 35. *a Raucitas, Vocis obtuſa aſperitas.*

Reapſe. 122. *c.* 283. *i. Reipſa.*

Recello. 105. *b.* 135. *e.* 156. *b Hìc pro* Deprimo *ex Liuio.*

Reciprocatio. 71. *f. Retrograda, eiuſdem viæ repetitio.*

Recuperator. 332. *b. Propriè is erat Iudex, cui Prætor priuatarum cauſſarum iuriſdictionẽ mãdabat, dictus deinde vulgo* Iudex delegatus. *Ego conſcientiæ recuperatores voco, quos in ſcholis* caſiitas *nominant, tanquã a ſummo Iudice Deo actionum moralium, quæ ad priuati cuiusq; conſcientiam ſpectant, Iudices conſtitutos.*

Reddo. 51. *b. Hìc idem ac Refero, Exprimo, Repræſento.*

Redhibeo. 45. *g.* 86. *a. Hìc pro* Reſtituo, Reddo. *Plaut.*

Redimiculum. 115. *d Tænia, vinculum, quo vitta nodantur.*

Rediuiuus, a, m. 275. *b. Quod ex vetuſto renouatum eſt.*

Redono, as. 186. *b. Reddo, Reſtituo.*

Reduuia. 14. *b. Abſceſſus circa radicem vnguium. Sumitur etiã pro re leuicula.*

Refocillo. 263. *b. Reficio, recreo.*

Refractarius. 87. c. 155. c. 273. a. *Contumax, & ſua tenax ſententiæ.*

Reiectaneus, a, m. 204. f. *Quicquid tanquã malum, aut vile reijcitur, & cõtemnitur, Reijculus.*

Remitto. 86. a. *Hic idem ac Condono.*

Remulcus. *Nominatiuus inuſitatus, Ipſe actus remigandi, & maiora nauigia trahendi.* Remulco trahere *eſt maiorem nauem e ſcaphà remigando trahere. Per translationem* 219. a. ad virtutem remulco trahere, *quippe orator e ſua orationis ſcapha rationũ agens remos, Auditorum animos tanquam naues ad perſuaſionem debet trahere.*

Renixus, us. 157. a. *Obluctandi contentio.*

Repagulum. 157. d. 247. f. *Obex, vectis, qui oſtio aduersùs vim opponitur. Per tranſlationem pro quouis obſtaculo.*

Repandus, a, m. 106. o. *Recuruus, reflexus, lat°.*

Repedo, as. 105. c. 166. b. *Gradum refero, pedem retraho.*

Reptabundus, a, m. 108. m. *Qui conatur repere.*

Reſpectus, us. *Cic. Liu. &c. Ratio, quà ad aliquid agendum mouemur.*

Reſtis. 106. n. *Funis. Per metaphoram in choris dicitur etiam ille puerorum, puellarumq; mutuò conſertis manibus ordo, ac ſeries. Ita perexigua illa crepitacula in ordinem redacta reſti e corio inſeruntur, & torquis inſtar crura ambiũt.*

Reſina. 276. g. *Humor tenax ex arboribus deſluens, in ijſdemque reſidẽs, Italis* ragia.

Reſtagno. 84. f. *Extra redundo.*

Reſupino, as. 52. u. *Supinum aliquẽ colloco.*

Reticulatus, a, m. 146. a. *In modum retis factum.*

Reticulum. 70. c. *Hîc inſtrumentum luſorium, quo pila impellitur, & repellitur, opere reticulato contextum, Italis* racchetta.

Retorridus,a,m.262. a. *Solis calore exuſtus.*

Retracto,as. 172. g. *Denuo, ac diligentiùs tracto.*

Retuſus,a,m. 196.c. Retuſum ingeniū *Cic. ideſt, obtutum, cui contrarium acutum.*

Reuello, is. 214. b. *Refigo, Aufero, Abſtraho.*

Rhombus, i. 134. c. *Pro quodam marini piſcis genere hoc loco.*

Rictus, us. 186. *poſt a. Hominis, vel alterius animalis os, ac vultus præter morem diſtortus, productus, contractus.*

Rhonchus. 222 e. *Sonus, quem edunt ſtertentes.* Roncheggiamento *Italis.*

Rimor. 100 a. *Scrutor.*

Roſarium. 201, k. *Locus roſis conſitus.*

Roſetum. 76. c. *Roſarium, Locus roſis cōſitus.*

Roſtra. 99. *pag.* 159. *verſ.* 4. *Templum, ex quo concio ad populum haberi ſolebat.*

Ruga. 166 e. *Propriè cutis contractio. Hìc pro veſtis plicatura.*

S.

Saburratus, a, m. 122. e *Sabburra, hoc eſt, craſſiori ſabulo, nauis inſtar oneratus, ac ſtabilitus.*

Saccharatus, a, m. 52. a. *Sacchare conditus. Italis* Inzuccarato. Saccari vocem *Semel tantum a Plinio vſurpatam haſtenus obſeruaui, cuius hæc ſunt verba lib.* 12. *cap.* 8. Saccaron, & Arabia fert: *nec vſpiā alibi quicquam aliud de eo apud Claſſicos memoratum vidi. Vnde ego* ſaccharatus *inflexi, pro* e ſaccharo conflatus, *vel* ſaccharo imbutus: *non ſecus atq; a* coagulum coagulatus; *a* coccinū, coccinatus; *a* patibulum, patibulatus; *atq; a ſimilibus pleraq; alia deriuantur. Si cui tamen hoc appoſitum non arridet, poteſt nullo negotio pro* ſaccharata cruſtula *ſubſtituere,* e ſaccharo cōflata cruſtula.

Sagino, as. 263. *poſt c. Adipo. Pingueſacio.*

Salebræ, 46. b. *Loca inæqualia, aſpera, prærup.*

rupta. Per tranſlationem pro quauis difficultate, vt hic. Vnde ſalebroſus, a, m. 144 *poſt. a. pro difficili.*

Salgama. 258. *a. Quecunq; conditanea ad victum noſtrum vaſis aſſeruantur.*

Salum, i. 122. *g. Pro mari.*

Salſamenta. 134. *d.* 258. *a. Quicquid ſale conditum eſt.*

Salſamentarius. *Salarius, qui ſalſamenta facit aut vendit. Acumina autem ſunt dicta ſale condita, hoc eſt, peracutà ſapientià vibrata, ſalſamenta meritò dixeris, & qui hac infarciũt, acuminũ ſalſamẽtarios.*

Sannio. 52. *r.* 105. *poſt d.* 251. *c. Qui geſtu, voce, corporis flexu alios irridet, maximè ipſe ridẽd'.*

Sarcaſmus. 113. *a. Iocus cum amaritudine. nomen e Græco.*

Sata, orum. 45. *f. Colum. pro agro conſito. Vide mea Sicilimenta.*

Satus, us. 10 *b. Serendi actus, plantatio.*

Scalpo. 206. *a. Scabo Frico.*

Scalprum. 126. *ante b.* 291. *d. Ferramentum, quo quid inciditur. Itemlis* Scalpello.

Scalprurigo. 200 *h. Solino ſcalpendi actus.*

Scapus, i. 143. *i.* 155. *b. In columna pars ea eſt, qua recta, atq; oblõga baſi inſiſtit, Italis* corpo della colonna.

Scheda, æ. 327. *b. Pro libello non ſatis expolito.*

Scirpus. 41. *a. Iunci lauis ſine nodis ſpecies. Vnde prouerbium,* nodũ in ſcirpo quæris, *de eo, qui in re perſpicua ſcrupulum inijcit.*

Scitamenta. 78. *verſ.* 30. 233. *d. Edulia ſciti ſaporis. Per metaphoram pro orationis ornamentis.*

Scitum, i. 246. *c. Decretum.*

Scombrus. 134. *c. Genus piſcis marini.*

Scomma, is. 53. *f.* 81. *a.* 136. *b. Cauillatio, ſeu morſus figuratus Macrobio.*

Scrupus, i. 55. *k. Lapillus exiguus pedes ambulantium offendens. Itẽ anigma, ſeu nodoſum argumen-*

mentum. Acuminibus tecti ſcrupi, ſunt acumina ſuauiſſima, ſicut ſaccharo quidã imbuti globuli palato gratiſſimi.

Scruta, orum. 527. 134. *e. Attrita vſu veſtes, & omnia, quæ vetuſtate detrita venduntur vilioriprętio. Hic pro laceris veſtium fruſtis.*

Scurrilitas. 256. *pag.* 398. *verſic. 9. Vox ſine Auctore in Calepino. At Quintiliani eſt l. 11. c. 1. & in Dial. de Orator.*

Securè. 168. *b. Aduerbium omiſſum a Calepino, ſed vſurpatum Suetonio, & Seneca, vt doceo in Sicilimentis.*

Sedeo. 39. *a. Pro Placeo.*

Segmentatus, a, m. 115. *f. Segmentis ornat⁹. Sunt autem ſegmenta reſegmina, ſeu ramenta, quæ a re quapiam reſecantur. Ita minuta auri, alteriuſq; materiæ ſegmina, ex quibus vermiculatà formà compoſitis pretioſiſſimæ conficiebantur veſtes.*

Semitarius, a, m. 27. *pag. 45. a. Qui ſemitas percurrunt.*

Senſiculus, i. 5. *c.* 46. *d.* ſenſiculi minuti. *Ita cum Quintil* lib. 8. cap. 5. *tenues illæ, futileſq; ſẽtentiolæ, quas Itali vocare ſolent* concettini, *mihi nominandi videntur.*

Senticetum. 281. *d. Locus ſentibus, ideſt, ſpinis conſitus.*

Seplaſiarius. 76. *b. Vnguentarius. Per tranſlationem de his, qui acuminum vnguentis delibutas orationes, aut conciones conficiunt.*

Septa, orum. 218. *b. Loca omnia ſepimento munita.*

Seruator. 235. *a. Qui ſeruat, & incolumẽ præſtat. Liu.* Imperator ſeruator exercitus.

Seruitium. 113. *f. Seruitus. Seruitia in plurali pro ipſis ſeruis potiſſimũ ſumuntur.*

Seſamum, i. *Frumẽti, vel leguminis genus, quod vaſculis, vt papauer, continetur. Metaphora autem, atq; argutia cen quædam ſeſama, & papauera ſunt.* Sica,

Sica, æ. 52. *ſ. Genus gladij breuioris.*

Sicarius. 52. e. 137. *d. Qui ſicam maleficij alicuius gratiâ gerit.*

Sicil o, is. 246. *d. Quæ primâ ſectione in pratis à fœniſecis relicta ſunt, iterata ſectione demeto.*

Sideratio. *pag.* 84. *& ſeqq Siderandi actus.*

Sideratus, a, m. 26 *a.* 286. *a. Participium à* Sidero, as.

Sidero, as. 14. *pag.* 24. *a.* 69 *a.* 243. *poſt b. Propriè, quicquid peſtifero ſidere afflatur, ſiderari dicitur, vt planta, quæ ſtatim taſcunt, aut languent. Per metaphoram pro* Inficio, Afflo, Eneruo.

Sigillum. 52. *x. Paruū ſignū. Hîc pro paruula calata ſtatuâ.*

Siphon. 171. *d. Canalis, tubus, fiſtula in fōtibus, per quam aqua, vrgente ſpiritu, emittitur.*

Siphunculi. 171. *i. Parui ſiphones.*

Siſtrum. 114. *a. Crotalum, Inſtrumentū aneum, ferreumue, trigonum fermè, orbiculis, anuliſq; bacillo ferreo compleſis, tinnitum edens. Crepitaculum Martianus Felix interpretatur.*

Situs, us. 125. *a. Hîc pro eâ illuuie, & ſordibus, quæ ex humore creātur. Italis* la muff.

Soccus, i. 31. *d. Genus calceamenti cothurno humilius, Comœdorū, & mulierum.*

Solium. 46. *ante a Sella regia, in qua Reges ſedent.*

Solum. 77. *g. Terra.*

Sophiſta. 205. *a. Pro eo, qui inanem ſapientiæ ſpeciem oſtentat.*

Sorex. 108. *c. Mus, Italis* ſorzo, ratto.

Soſpito, as. 324. *b. Soſpitem reddo. Incolumem ſeruo.*

Sparta. 221. *b. Ciuitas Peloponneſi nobiliſſima, eadem, quæ Lacedæmon.* Spartam adornare *eſt opus aliquod egregium concinnare, ac veluti impoſita coronide inſignire.*

Specimen. 46. *ante b. Pro quouis documento, ex quo rei totius coniectura elicitur.*

Spectrum. 152. *poſt a.* 209. *a. Simulacrũ, ſeu imago oculis ſeſe offerens.*

Specula. 107. *f. Locus editior, vnde aliquid proſpici poteſt.*

Speculator. 156. *f.* 158. *b. Qui ex ſpecula, loco ſcilicet editiore, aliquid explorat, & cõtemplatur.*

Sphæriſteriũ. 71. *a. Locus, vbi pila luditur.*

Spinetum. 281. *e. Sẽticetum, locus ſpinis conſitus.*

Spiræ. 52. *d. Propriè, quinis circuli, qui in ſeipſos minimè recurrunt. Hinc ſpira placentarum, vel cruſtulorum. Vnde Funis etiam nauticus, vel quicunque alius, quum in orbem conuoluitur, & quæ in trocleis aut terebris ſinuoſa ſtria viſuntur, ſpiræ appellantur. Sic* 169. *a.* 201. *c.* Funem in perorationis ſpirã cõuoluere *per tranſlationẽ.* 115. *b.* 116. *c. in ornamentis mulierum quidã circuli caput aliquoties ambientes. Spira itẽ* 143. *f. eſt columnæ baſis tori vnius, vel duorum.*

Spiritus exilis. 112. *e. Minutus ſẽſiculus, Acuta notio, Italis* Concettino.

Spurius. 26. *b. Incerto patre natus. Pro quacunq; re non legitimà.*

Squamatim. 53. *f. In ſquamarum modum, quæ alia alijs immittuntur. Sunt autem ſquamæ piſcis, vel ſerpentis corium. Per translationem* Loricarum ſquamæ.

Stagnum. 210. *e. Aqua ſtãs, Italis* acqua morta

Stamen. 108. *k.* 143. *e.* 201. *q. Licium, Licia autem Plinio lib.* 21. *cap* 5. *ſunt herbarum fila.*

Stella. 201. *d. Sic vocat eam horti aream in ſtellæ modum deſcriptam, atq; in medio ſitam.*

Stellatus, a, m. *In ſtellæ ſpeciem conformatus.* Stellata enthymemata 158. *b. Quaſi ſtellis acuminum, vel ſententiolarum radiantia.*

Stereobates. 143. *h. Fundamentum ædificij, Italis* baſamento.

Sternax. 166. *a. m.*

Equus

Equus ſternax, qui ſeſſorem non patitur; ſed excutit.

Sterto. 222. *d. Dormiendo rhonchos emitto, Italis* roncheggiare.

Stigma. 20. *b. verſ.* 21. *n.* 33 *e pag.* 56. 23. *e. Signum, quod ſeruis multa nomine inuri ſolebat.*

Stillicidium. 14. *a. Locus, in quẽ guttæ e tecto decidunt.*

Stipendium. 180. *a. Propriè, æs militare, & præmium, quod militibus datur. Per translationem de quauis mercede etiam dicitur.*

Stipo, as. 194. *c. Claudendo coarcto. Virg.* ſtipatq; carinis argentũ. *Sic &* argutias ſtipare, *ideſt*, condenſare.

Stips, is. 277. *b. Hic pro pecunia, vel quacũq; alia re, qua mendicis, ſuſtentanda vita eorum gratià, porrigitur.*

Stirpitus. 174. *e. Radicitus.*

Stirps. 195. *a. Origo, progenies.* Stirps controuerſiæ, *vel* quæſtionis *Tullio per metaphoram eſt origo, & fundamentum controuerſiæ.*

Stolo. 202. *e.* 222. *poſt b. Inutilis ex arborũ radicibus pullulans frutex.*

Stramineus, a, m. 180. *d. Quod eſt ex ſtramine.*

Strena. 61. *a.* 71. *a.* 172. *K. Munus, quod datur die feſto boni ominis cauſà, Italis* mãcia. *Sumitur quoq; pro quouis dono, & operis mercede.*

Striæ 143. *i.*

Striatus.

Propriè, ſunt illi canaliculi, & ſulci in columnarum ſcapis, vel in herbarum caulibus. At ego 135. *b. traieci ad ſulcos, qui in rotarum verticibus, aut in axe cernũtur, & ſtriatum axis verticillum nominaui.* 106. *e. ad veſtium ſinus porrexi Infra autem* 201. *b. ad hortorum ſulcos commodè transtuli.*

Stricturæ. 183. K. *Scintilla, quæ de ferro candenti micant, quum maſſa malleis tunditur. Per translationem* Acuminum ſtricturæ; *acumina enim ſcintillare* que-

quodammodo videntur.

Strigoſus,a,m.37.*d.* 183.*c. Exhauſtus, macilẽtus.* Propriè, equus ſtrigoſus.. *Per translationẽ Ciceroni* ſtrigoſus orator. *mihi etiam ſtrigoſa oratio* 183.*c.*

Structor 142.*a. Qui aliquid ſtruit.*

Stupeo.236.*d. Verba* ſtupeo, ſtupeſco, ſtupefactus *ſumi quoq; in bonam partem, & ſignificare quandam admirationis exuberantiam tum etiam cum infinitiuo copulari, multis oſtẽdo exẽplis in meis Latinæ Linguæ Sicilimentis. Vide Virg. Eccl.*6. & 4. *Æn.*1. 4. 5. 10. *Cic.* 3. *de orat. Val. Max. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 1. *Sen. in morte Claudij. Liuium lib.* 4. *Decad.* 1. *Quint. Decl.* 8. *Petron. in Satyrico.*

Stupor. *Pro ingenti admiratione, vt probo in ijſdem meis Sicilimentis e Liu. Dec.* 1. *lib.* 3. *Petronio in Satyrico, Apuleio lib.* 3. *de Aſino, & alibi ſæpius.*

Stylus.84.*f. Pro quocunque inſtrumento acuminato.*

Suada.174.*f. Perſuaſionis Dea.*

Suauior, aris. 235.*b. Suauium do, oſculor.*

Subgrunda, æ. 107.*f. Pars tecti prominẽtior, qua ſtillicidium arcet, Italis* gronda.

Subito, & de ſubito. 139. *Idem valent. Cicer. Turpil.*

Sublego, is. 24.*a. Subduco, clam ſurripio.*

Sublestus, a, m. 52.*a.* 180. *poſt e. Infirmus, leuis, friuolus. Plaut.*

Subligaculum. 106. *d. Bracha femora tegentes, amiculi genus, quo femora, & partes pudenda operiuntur.*

Sublino, is. 25.*e. Leuiter perungo.* Os ſublinere, *eſt illudere, blandiſq; verbis decipere.*

Submitto.282.*c. Succeſſorem in alterius locum mitto.*

Suboleo.172.*f. Leuiter oleo. Hic per tranſlationẽ pro* Præſentiſco.

Subſentio.67.*a. Aliquantulum ſentio.*

Su-

Subſeſſor. 296. *a. Deliteſcens inſidiator.*

Subſilio. 50. *pag.* 81. *verſ.* 4. *Surſum ſalio.*

Subſulto, as. 107. *e. Frequenter ſurſum ſalio.*

Subtegmen. 170. *a. Filum, quod ſtamini intexitur, Italis,* trama da teſſere.

Subucula. 106. *l. Intima tunica, ferè ex lino.*

Subula. 188. *a.* 243. *b. Sutoris inſtrumentũ, quo calcei perforantur.*

Succenturio. 247. *m. Explenda centuria cauſſa ſubſtituo. Succenturiaci erant milites ſecunda centuria, non prima. Per translationem pro* Submitto, Subſtituo. Adiungo.

Succollo, as. 60. *g. Collo ſuppoſito, aliquid porto.*

Sucula. 28. *c.* 155. *e. Genus machinæ trahendo, accommodata.*

Sudum. 130. *c. Pro ſereno Cælo, & ſicco tempore, quũ nulla eſt pluuia.*

Suffimentum.

Suffitus, us. 275. *g. Odor fumi, qui ſuffumigando excitatur.*

Sufflamen, is. 135. *d. Propriè, lignum illud, quo immiſſo rota, ne in præruptis locis ruat, ſuſtinetur. Sic quãdiu ferreus ſtylus circa orbẽ rotæ in horologio a crena remotus fertur, rota ſuſtinetur, sẽſimq́ꝫ voluitur, at vbi primùm in crenam decidit, quaſi amoto ſufflamine, citiſſimè reuoluta rapitur*

Sufflamino, as. 136. *e.* 266. *a. Sufflamine immiſſo ſuſtineo.*

Sulphurata, orum. 98. *d. Ligna exilia ſulphure ex vtraqꝫ parte ad accẽdendas lucernas intincta. Italis,* ſolfinello, zolfatello.

Sulphuratus, a, m. 178. *c. Sulphure imbutus Mart.* lib. 10. Ep. 3.

Summarium, ij. 179. *a. Breuiarium.*

Summates. *q. ante e. Iidem, ac optimates.*

Suo, is. 188. *c. Sarcio, Compingo. Italis* cucire.

Suopte. 231. *a. Idem ac ſuomet.*

Superciliosus, a, m. *Vox inobſeruata Calepino,*

no, qua tamen eſt Seneca Epiſt. 123. *vt omittam Daretem. Phrygium, non bonum Latinitatis Auctorem, pro eo, qui ſeuerioris ingenij eſt.*

Supercilium. 183. *a. Pars extrema frontis breuibus veſtita pilis, ſuper oculos prominens, Italis* ciglio. *Hic pro faſtu, & ſuperbia. At* 200. *c. pro loco eminentiori. Sic Liuio* ſupercilĩu tumuli *pro vertice.*

Suppetior, aris. 338. *b Suppetias, hoc eſt, auxilium fero, auxilior.*

Sus deq; fero. 286. *b. Nihil penſi habeo, ſiue res fiat, ſiue non; hoc, an illo modo. Seu Parui facio, ſiue res ſurſum, ſiue deorſum feratur. Vide Gellium lib.* 16. *c.* 9.

Sutor. *Qui ſuit calceos.*

Sycophantia, æ. 251. *verſ.* 2. *Fallacia, mendacium, calumnia.*

Symmetria. 135. K. *Apta membrorum omnium, ac partium proportio.*

Syngrapha, æ. 41. *f. Propriè, ſcriptura, qua propria manu fit ad pactorum fidem.*

Syntonus, i. 298. *a. Vox Calepino neglecta. Quicquid eiuſdẽ toni eſt.*

Syrma, is. 31. *a.* 265. *poſt a.* 324. *f. Propriè, tractus, vel cauda veſtis feminarum. Per translationem pro ſuperuacuo additamento.*

Suſpitioſa ſententia. 2. *f. Ita a me vocatur, qua plus ſignificat, quàm dicit, multiplicumq; pra ſe fert ſuſpiciones notionũ.*

Syrtes. 46. *c. Duo ſinus in mari Lybico periculoſiſſimi nauigantibus.*

T.

Tabo. 235. *d. Sextus caſus, ſeu ablatiuus pro tabe, qua nimiam corporis extenuationem, vel aliquid cruentum, purulentumue ſignificat.*

Tabulata. 70. *a. Plana in ædibus ſuperficies, tabulis, vel lapidibus cõſtrata, Italis* ſolari. *In ſphariſterij ludo tabulata voco textum illud ex tabulis, aſſeribuſq; conflatum, quod licèt planum*

nō ſit, ſed ſupnè decliue, tabulatis ſimile videtur.

Tæniæ. 106. i. *Vittarum extremitates, vt quæ ex infulis pendent.* Carbaſinæ tęniæ, *hoc eſt, carbaſo, ſeu lino ſubtiliſſimo conſtantes.* Tæniæ vento nuncupatę, *ideſt, vēto deſtinatæ, quippe quæ venti, auræq́; ludibrio obnoxiæ ſint. Vide Calepinum in* Nuncupare vota. *Itē lapides ſub aquis candicantes.* 83. d.

Talitrum. 10. c. 108. f. *Propriè, cō uolutis digitis, remoqu. emiſſis, facta impreſſio, Italis* Fringuello. *Per trāslationē de acuminibus, aut aculeis.*

Talaria. 106. f. *Alata calciamenta Mercurij.*

Techna. 43. d. *Fallacia, Dolus, Fraus.*

Tectorium opus. 51. m. *Quo parietes integuntur, idem, ac tectoriū ſimpliciter. illitus nempe parietum, ex arenâ, & calce compoſitus.*

Temeratus, a, m. 248. *Corruptus, violatus.*

Temero, as. 44. b. *Cōtamino, corrumpo, violo.*

Tenebrio, onis. 85. a. 278. b. *Qui tenebras amat, & lucem fugit, lucifugus.*

Tētabūdus, a, m. 175. b. *Qui aliquid explorat, modò hoc, modò illud, etc.*

Tento, as. 126. a. *pro,* experimētum alicuius rei capio. *At* 197. e. *Pro* Tango, Palpo.

Tenuiculus, a, m. 54. d. *Valde tenuis.*

Terebro, as. 170. g. *Terebrâ, inſtrumento ſcilicet ad id facto, perforo.*

Terriculamētū. 37. e. *Apuleio,* Terricula *Liuio* Terriculę *Senecæ, Spectra, quæ terrorē incutiūt, Italis* Spauentacchio

Teſſera, æ. 201 f. *Quicqd figurā habet quadratā.* Areolas interius cuſpidatas teſſellas diffūgere eſt, arcolas modò quadratas, modo alterius figuræ, nempe cuſpidatas interponere.

Teſſellatus, a, m. 53. b. *Opus teſſellatum, ideſt, teſſelis, ſeu paruis teſſeris, vel quadratis lapillis ſtratum, vel alio figurà factum. Hinc teſſellata veſtes, teſſella-*

tum pauimentum.

Teſſera,æ. 33.*a. Propriè,in militia ſymbolū, quo ſocij ab hoſtibus diſcriminati internoſcebantur. Hic per metaphoram pro ſigno ad acuminum intemperantiam a temperantia ſecernendum.*

Theſis. 220.*a. Latinè Propoſitū Cic. hoc eſt, q̃ſtio generalis,& infinita*

Tholus. 143.*f. Tēpli teſtudo, Italis* cupola, *vel teſtudinis vmbilicus.*

Thorax. 55.*g. Quodcunq; pectoris munimētū.*

Tibialia. 106. *d. Tibiarum tegumenta, Italis* calcette.

Tibicines. 270.*b. Tigna,quibus ædificia aliqui ruitura fulciuntur.*

Tinnio,is. 51. *b. Tinnitum edo. Aures tinniunt, quum earum membranas leues vapores incluſi percellunt.*

Tinnitus, us. 248. *Metalli ſonus,aliarumq; rerum,vt aurium.*

Tinnulus,a,m. 106.*a. Quicqd acutū edit ſonū.*

Tintinnabulum. 12. *poſt a.* 135.*f. Inſtrumentum æneum edendi ſoni, & ſigni gratiâ, Italis* Campanello.

Titillo,as. 198.*a. Propriè,leui alarum,nec non aliarum mollium corporis partium attrectatione riſum moueo. Per tranſlationē voluptatē affero, & cum ſuauitate moueo.*

Tollenon. 156. *g. Genus machinæ, quo hauritur aqua,pondere alterū in partem pragrauante. Per tranſlationem de ſimili machinâ militari ad aliquid incutiēdum, vel attollendum, vt hic.*

Tollutarius. 167. *c. Equus greſſum tollutim glomerans.*

Tollutim. 166.*g. Gradus proprius equi molliter incedētis. Sen. Ep.* 88.

Tomentum. 70. *c.* 291.*g. Lana breuis, & cõciſa de veſtibus a fullone inter poliēdū detracta.*

Tormina,um. 236.*c. Inteſtinorum morbus.*

Toroſus,a,m. 240.*b. Qui muſculos habet eminentes. Per tranſlationē* Toroſa oratio, *Ideſt, robuſta, & virilis.*

Tro-

Torridus, a, m, 141. *a. Exuſtus, ſiccus, Sole, igniqque torrefactus.*

Tortuoſus, a, m. 194. *b. Obliquus, & multis flexibus ſinuoſus.*

Torus, i, 143. *i.* 162 *a.* 201. *g. In hortis idem ac puluinus. Plin.* lib. 19. cap. 14. *Eſt enim illud terra ſupercilium, tori inſtar, ſeu lecti, paulo altius, atq; eminentius. Sic poſtremo loco* 201. *f. Item eminentia muſculorũ tori dicũtur, vt* 162. *a. Itẽ colũna paulo magis craſ- ſus] torques, & teres Vitruuio ex Nomenclatore.*

Tralatitius, a, m. 16. *c. Pro vulgari, cotidiano, & minimè exquiſito.*

Tranſadigo, is. 100. *o. Traijcio, Tranſuerbero.*

Tranſcribo, is. 131. *e.* 129. *b. Hic transfero, Traijcio, Commuto.* 131. *e.* In furem trãſcriptus, *i. in furum numerum relatus, in furem cõuerſus.*

Tranſenna, æ. 20. *a.* 78. *a.* 84. *i.* 112. *b. Cancelli, ſeu lignei, ſeu ferrei, qui feneſtris, ſeu mercibus oppoſiti, viſui peruij ſunt.* Per tranſernã adſpicere, *hoc eſt, rem non accuratè introſpicere, & explicatam oculis ſubijcere, ſed inuolutam leniter, & procul contemplari, vel intueri. Per tranſlationẽ* 112. *b.* Alluſionũ trãſenna, *hoc eſt, cãcelli, & quaſi rete alluſionum.*

Triarij. 33. *g. Milites in acie Romana, vt omnium fortiſſimi, ita poſtremi. Vnde* res ad Triarios redijt, *tractum prouerbium, quũ in maximo periculo verſatur.* 247. *e.*

Tricor, aris. 37. *b.* 193. *a. Tricas ago, Nugor. Rixor.*

Trigon. 71. *i. Pila minima, quà in trigone, loco ſcilicet triquetra figura ad hoc facto ludebatur.*

Trochlea. 155. *b.* 229. *pag.* 340. *Inſtrumentum cũ orbiculis ad ſublonãda, & demittenda onera.*

Truliſſo, as. 51. *m. Trullà lauigo, ac polio, vel gypſum induco. Eſt porrò trulla fabri muralis inſtrumentum linendis, & complanandis tectorijs aptum.* Metapho-

tice rationes *delicatorum verborum albario*, *quaſi opere tectorio trulliſſari dicitur, quia verborũ calce quaſi dealbata, inducta deinde affectationis tralatia politũnra*

Tuber. 77. c. 222. a. *Hic pro tumore, ſeu callo quocunq; in opere eminenti. Pro faſtu, & ſuperbia per trãslationẽ.* 77. c.

Tubulus, 152. ζ. 59. c. *Parua fiſtula ex ære, vel alia ductili materia.*

Turbator. 203. a. *Qui perturbat aliquid.*

Turbinatus, a, m. 6. e. 106. f. *In turbinis, ſeu metæ formam tornatus.*

V.

Vaccinium. 62. b. 262. d. c. *Flos purpurei coloris nigreſcens.*

Vadimoniũ. 71. b. *Spõſio quadam ſiſtendi ſe in iudicio ad certam diem.* Vadimoniũ obire, *vel ſiſtere, eſt in iudicio ad præſtitutã diẽ cõparere.*

Vadum, i. 46. e. *Ea fluminis pars, adeo aquarum parca, vt eam pedibus tranſire liceat.*

Venui exponere, 183. *i. Venale proponere.* Apul. *lib* 8. & 9. de Aſino.

Valetudinarium. 33. c. *Locus, in quo infirmi curantur.* Italis inferm... ri, *hic pro noſocomio, vt Græcè dicitur, Italis* l'Oſpitale.

Vaniloquus, a, m. 277. a. *Vanos ſermones effundens.*

Varus. 130. a. *Qui pedes introrſum, vel crura obiecta gerit.*

Vaticinium. 248. g. *Vaticinatio. Negat Voſſius* de vitijs Latini ſermonis, *cap.* 54. *hanc vocem eſſe Latinam, aut ab vllo claſſico Scriptore vſurpatam. At licèt nullum equidem Auctorem Calepinus, Theſaurſue memoret; eà tamen Portium Latronem* in declamat. *bis fuiſſe vſum, & Quintilianum in* Dialogo de Oratorib. *oſtẽdo in meis Sicilimentis.*

Vaticinor, aris. 25. c. *Vatum more in furorem rapior, ex Cicerone,*

Varus. 130. a *Qui pedes, & crura in exteriorem partẽ habet inflexa.*

Vdus,

V...us, a, m. 266. d. *Humidus.*

Velificor, aris. 25. *poſt* e. 75. b. 184. c. *Vela facio, Nauigo. Sed per tranſlationem pro* Ancillor, Fa-ueo, Seruio, Opiculor, Operam do.

Velitatio. 33. f. *Leuis pugna.*

Vẽtilatus, a, m. 108. b. *Aurà excitatà agitatus.*

Veredus, i. 166 a. *&* m. *Equus velociſſimi curſus.*

Verriculum, i. 210. f. *Rete piſcatorium.* Val. Maxim. *lib.* 4. *cap.* 1. Seruio 1. *Ænei.*

Verſipellis, e. 212. h. *Aſtutus.*

Verſus, us. 201. r. *Pro ordine, ſeu tractu in hortis, agriſue.*

Vertebra, æ. 186. *poſt* a. *Spina. oſſa, quorũ beneficio corpus inflectitur. Mimis autem futuris, dũ tenelli puſiones sũt, luxarĩ de induſtria vertebra, hoc eſt, enodatur, locóq́ movetur, quò deinde miris flexionibus ſe torqueant.*

Vertex. 139. b. *Hic Cœli partes eminẽtiſſima, quas Græci Polos dicunt, vertices dixit, quòd ab ... dus circa eos vertatur.*

Verticillus, i. 135. a. *Propriè, eſt annulus ille tereſus, qui fuſo, ut facilius verti...tur, indi ſolet. Vn le ap..., ut reor, quum ſimilis annul⁹ tereſus, sitq́ ſtriatus in horologij rotulà, axi unà ex parte immittatur, quò ſuperior, vel inferior rota illius beneficio vertatur, verticillum ſtriatum appellaui.*

Veſtibulum. 104. a. *Locus ante ædium ianuam. Per tranſlationem pro quouis rei principio.*

Veterator. *Veteris aſtutia homo, & in omni re callidus.*

Veternoſus, a, m. 146. b. *Qui veterno, hoc eſt, vitioſo, & nimio laborat ſomno.*

Veternus, i. 247. i. *Morbus nimij ſomni, Italis* Letargo.

Vibratus, a, m. 93. d. *Pro, Criſpatus.*

Vibro, as. 40. b. *Pro, Mico, aut Intremiſco.*

Vietus, a, m. 255. e. 277. d. 332. d *Flaccidus, Languidus, ſine viribus.*

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

Primus numerus Actionis ſectionem, alter paginam deſignat.

A

ABSCONDO, Vide, TEGO.

ACADEMIA.

ACADEMICA RHETORICA. ACADEMICI, Vide, RHETORICA.

ACTIO. Vide, FACTVM. QVÆSTIO.

ACVMEN.

Vide, CONCIONATOR ACVMINIBVS LVXVRIANS, ELOQVENTIA, ORATIO, ORATOR LVXVI ACVMINVM DEDITVS, ORNAMENTVM, SENTENTIA, STYLVS.

ACVMINVM inſana libido effrænatè ſerpens. 6. p. 12. 13. maximè omnium eloquentiam vitiat. 7. p. 13. 14. n. 19. p. 31. Acuminibus luxuriās oratio vitioſum eloquentiæ genus eſt. 19. p. 31. Acuminis nomen pro quouis ornamento ſūptum. 19. p. 31. Acuminum vitioſa redundantia vnde dignoſcatur. 41. p. 67. & ſeqq. Oratores, & Concionatores pleriq; luxū acuminum adamant, oſtenduntque, etſi eorū moderationem prætexunt. 45. p. 74. Acuminum congeſtorum oſtentatio, compoſita de induſtria. 65. p. 113. Acuminū venatores ineptè amplificant, inaneſq; panegyricos cudunt. 56. p. 97. vſq; ad n. 60. p. 104. n. 66. p. 113. vſq; ad n. 69. p. 117. Semper errabūdi vagantur inſtar pilæ vltro, citroq; reciprocatæ 71. p. 119. 120. 121. Acuminum luxus affert ſatietatē. 77. p. 129. vſq; ad n. 79. p. 135. vim naturæ infert. 78. p. 133. parit obſcuritatem. n. 79. p. 135. vſq; ad n. 87. p. 144. Acumina cumulata alia aliorum obliuiſci cogunt Lectorem, & Auditorem. 78. p. 134. omnemq; affectum eliminant. 98. p. 157. & ſeqq. Inuenire acumina facile negotiū. 127. p. 198. acumina nullam ordinis ſernādi curam inijciunt. 148. p. 230. Nihil facilius, quàm acumina cōſarcinare. 150. p. 232. Acuminibus parcè vtēdum. 152. p. 235. 236. Immodicè a pleriſq; obtrudūtur magno cū faſtidio. 198. p. 309. Præſtat oratio horrida, quàm acuminib⁹ redūdās. 199. p. 311. Acuminū luxus non deſcēdit in animum, ſed in aures ſolùm. 213. p. 330. nec delectat. Ibid. Acumina ad res iudicras ir-

ridendas apta 236. p. 404.
ADIVNCTVM. Non omnia adiuncta in amplificationē trahi poſſunt. 27. p. 122. vſq; ad n. 75. p. 124.
ADMIRATIO) Ingens
ADMIROR) admiratio ingenium Tulliani Oratoris conſequitur. 239. p. 371. ad p. 375.
ÆGER) A medico
ÆGROTVS) ſenatus gaudio triumphat. 235. p. 365. 366. prædicatq; laudes illius, & comitatur alijs, a quibus ineptè curatus eſt. 239. p. 371. 372.
AFFECTVS.
Affectus ſunt perſuaſionis inſtrumēta. n. 26. p. 43. n. 49. p. 79. n. 188. p. 293. Affectus Oratorij luxu ornamentorum eliduntur. 96. p. 155. ad 104. p. 165. Vnde eliciantur affectus. 100. p. 159. n. 102. p. 162. Affectus oratorios Orator luxui ornatus deditus neſcit elicere. 101. p. 161. n. 103. p. 163. Bellè exprimuntur a Tulliano Oratore. 160. p. 248. 249. Cum actione neceſſario coniuncti. 223. p. 346.
ALEXANDER. Exercitus Alexandri virtute bellandi excellens, ac fortis. 54. p. 91. 92.
AMPLIFICATIO.
Panegyrici propria. 272. p. 44. In amplificatione ſtruenda circumſtantiæ expendendæ, an quis ſolus, vel primus, & c. Item aggreſ. Ibid. Amplificatio ſi in Oratione minùs Auditorem mouet, quam ſimplex de eadem re hiſtoria, eā mancam eſſe, neceſſe eſt. 43. p. 70. 71. 72. 73. Conſtantia S. Caroli in precibus ineptè amplificata. 56. p. 97. vſq; ad n. 60. p. 104. eadem aptè amplificatur. vſq; ad n. 69. p. 117. vtraq; mutuo confertur. Ibid. Non omnia facti adiuncta in amplificationem trahi poſſunt. 72. p. 122. vſq; ad n. 75. p. 124.
ANIMA. Inſtrumentum ad Animum conciliandum præcipuum ſanè Concio.
APVLEIVS. Stylus Apuleij carpitur ab Oratoribus. 123. p. 191. Auctor Latinitatis vtcunque abſurdo Stylo non abſurdè vſus, idē longè alius in Apologia. 195. p. 234. 235.
ARCHIMEDES. Sphæra Archimedis deſcribitur. Archimedis ſphæra ad Ora ... fabricata. 162. p. 251.
ARGVMENTVM.
Argumēta ſunt perſuadendi inſtrumenta. n. 26. p. 43. n. 49. p. 79. n. 188. p. 293. Argumenta in Panegyricis maximè ſunt adhibēda, licèt facta ſint notiſſima; quia multæ tamē eius partes adhuc ignorantur. 28. p.

28.p.47. Oratio luxurians ornatu, caret argumentis, vel leuibus ſolum fulcitur.50.p.80.vſq; ad n.52.p.84.vel iis proprijs, adhuc ea fracta ſunt.n.52.p.84.vſq; ad n.56.p.96. Argumenta licet robuſtiſſima, ornamentorum luxu, frequentiq; a propoſito aberratione eneruantur.57.pag.97.vſq; ad n.62.p.104.n.69.p.119.vſq; ad nu.75.p.124. Benè adhibentur à Tulliano Oratore.160.p.247. Solâ cognitione conſtare poſſunt.223.pag.346.

ARISTOTELES. Laudatur.25.pag.41.

ARMA. Ficta e ſaccharo, & circulatoria.52.p.84. Arma Concionatorum in Concionibus ficta, 53.p.87.& ſeqq.

ARS. Facilè parit tædium.77.pag.131. quum ſit difficile artem celare.170, pag.261.nu.171.pag.263.

ARTIFEX. Ingenium artificis, ſpectatur ex inſ..., & inſtrumentorum difficultate, & præſtantia.126. pag.194.nu.129.pag.200.

ATTENDO) Vnde cō-
ATTENTIO) ſtet Auditorem auocari a rei attentione.41.p.68. Attētio Auditoris luxu ornamentorū obruitur 75.pag.126.num.76.pag.127.per ſatietatem tollitur.77.pag.130.

AVDIO) Auditor
AVDITOR) in generè demonſtratiuo quomodo de facultate Oratoris iudicet.35.pag.58. Ab attentione rei propoſitæ Auditorem auocatum ad alia cogitanda, vnde conſtet.41.pag.68.69.70.71.72.73.74. Ornamentorum luxus attentionē Auditoris obruit.75.pag.126.nu.76.pag.127. Eidemq; affert ſatietatem. num.77.pag.129.vſq; ad n.79.pag.135.

AVIARIVM. Deſcribitur.146.pag.227.

B

BENEVOLENTIA. Neceſſario exprimenda ab Oratore erga Auditores.92.pag.150. at non exprimitur à vanis Oratoribus.95.p.154.

C

CÆCITAS) Deſcribitur
CÆCVS) 130.202.

CÆLESTIS) ... Sphæra
CAELVM) ... Cœleſtium orbium deſcribitur.139.p.218. itemq; Cœlum.140.p.219 Cœli inſtar Oratio fabricata.162.pag.251.

C. CAESAR. Inſidias hoſtium, relicto ſuo paludamento, feliciter euadit.157.p.237. Animum vlciſcendi ſui, & Ligarij perdendi, Oratione Tullij victus reuocat.158.pag.243.

CALIGVLA. Voluitat ſe per nummos aureos, 108.pag.268.

CANCER. Referēs Xauerio Crucifixum delineatur.122.pag.187. Sed

mox talis deſcriptio ride-
tur.124.pag.191. 192.

CARMEN. Solum car-
men non diſtinguit Orato-
rem a Poeta. 29.p.49.

S.CAROLVS. Conſtan-
tia Caroli in precibus di-
uinis igneo globo excuſſo
immobilis, ineptè ampli-
ficatur.56.p. 96. vſq; ad n.
60.p.104.eadē aptè ampli-
ficatur.vſq; ad n.69.p.117.
mutuoq; vtraque confer-
tur. Ibid.

CATVS. Vide, FELIS.

CHARIDEMVS. Chari-
demi conſilium Dario Re-
gi datum morte luitur.54.
pag. 91.

CHIRONOMVS. Deſ-
cribitur. 106.p. 166. lūdi
Chironomorū.107. p.169.

CHOREA. Deſcribitur.
105.pag.165.

CHRYSOSTOMVS. Vi-
de, IOANNES CHRYSOS-
TOMVS.

CICERO.

Vide, ORATOR TVL-
LIANI ARTIFICII SEC-
TATOR, & STYLVS.

Eloquentia Ciceronis
improbata. p.10. 11. Quę-
nam ſit eloquentia Cice-
roniana. 46. pag. 76. ali-
quando præ materiæ ſicci-
tate aridior, cæteroqui
lectiſſima. Ibid. Sectatur
ea, quæ Auditorem ſcire
refert.77 p. 131. Spernitur
ab aucupibus acuminum,
& ſugillatur.123.pag.189.
Sua Oratione mollit Cæſa-
rem, & induratum cogit
Ligario parcere. 158. pag.
244. Ciceronis artificium,
& ſtylus oratorius cenſe-
tur ab imperitis facilis,
quem tamen nec intelli-
gunt, nec aſſequūtur. 178.
pag.264. ſuperatq; captam
eorum, qui ab eo diſcedūt,
quem ſi imitari velint, pe-
rito magiſtro opus habēt.
Ibid. Ciceronianæ eloquē-
tiæ forma omnibus abſo-
luta numeris, ſuo in lumi-
ne collocatur. 173. p. 268.
ad 172. pag.279. Vt ſumma
perſuadet, ac ſubigit Au-
ditorem. 173. pag. 270. In
Templis mirè trāsformat.
Ibid. Luxuriantis ſtyli ſe-
ſectæ Oratores a Tullianæ
eloquentiæ formà prę deſ-
peratione defecerunt. 241.
pag.375. ad num. 244. Ci-
ceronis eloquentia fruſtra
oppugnata, æternùm re-
gnat.243. pag. 378. exem-
plo Catholicę fidei incon-
cuſſæ. Ibid. Magiſtri, quia
Ciceronis artificio defe-
cerunt ad corruptelas elo-
quentię a docendà Rheto-
rica amoueantur, e con-
trario Ciceronis imitato-
res foueantur.288. p. 441.
ad n.289. p.443. quod ſan-
ciuit Ignatius 289. p. 443.
& obſeruat Societas Ieſu.
290.p.444. ad Cōcionato-
res fructiferos hinc edu-
candos. Ibid. Inepti Cice-
ronis imitatores irriſi.302
pag. 461.

CIRCVLATOR. Ludus circulatoris cũ pupis deſcribitur. 52. p. 85. & ſeqq. Oratio circulatoris, quàm validè perſuadeat. 275. p. 421. nu. 276. pag. 423. 424. artes omnes deſcribuntur.

CITHARA. Oratio inſtar inconditę citharę malè condita. 206. pag. 322.

CIVITAS. Obſeſſio Ciuitatis ſoluta ab Archimede, & Proclo 156. pag. 240.

COGNITIO. Vide, RHETORICA, ORATIO, QVAESTIO. Rhetorica academica quęſtiones meræ cognitionis exornat. 220. p. 340.

COLVMNA. Partes Columnæ. 143. pag. 223.

CONCIO)
CONCIONATOR)
CONCIONOR)
Vide, ORATIO, ORATOR.

Munus cõcionandi grauiſſimum eſt. 11. pag. 18. 19. Materia etiam Concionum grauiſſima eſt. 12. pag. 20. Modus concionãdi, & forma item grauiſſima. 13. pag. 21. Praua concionandi forma acriter reprehẽſa. Ibid. Munus concionandi proprium Epiſcoporum. 15. p. 19. eſt Eccleſiæ maximè neceſſariũ pag. 20. Concionatore, Religioſi, & cæteri Epiſcopis ſufficiuntur. Ibid. Concio eſt potiſſimum inſtrumẽtum animarum conuertendarum. Ibid. Ex corrupta concionandi ratione ingentia damna in Rempub. manant. 13. p. 21. n. 14. p. 23. 24. Concio ſacra in profanam declamationem degenerant lethalis eſt. Ibid. Actio, quæ probat fructuoſam cõcionandi formam eſſe adhibendam, inutilem verò reijciẽdam, grauiſſima eſt. 14. p. 22. 23. 24. 25. 26. 27. n. 17. p. 29. 30. corrupta communi Orationum forma, ſacras etiam Conciones corrumpi neceſſe eſt. 15. p. 26. Corruptela Cõcionum quacunq; in lingua contingat, exagitatur. 16. p. 27. Luxus ornamentorũ carpitur ſolùm in ſacris Concionibus, & Orationibus. Ibid. Oratoris, & Orationis vocabula pro nominibus Cõcionatoris, & Concionis vſurpata. 19. pag. 31. Concio vitioſa, quoties nihil re è à commotum ſentis. 44. pag. 73. Cõcionatores pleriq; luxum ornamentorũ amantes moderationem eorum prætexunt. 45. pag. 74. 75. Multiplices prauitates concionandi. 245. pag. 380. & ſeqq. num. 248. pag. 386. 387. Concionator verſat argumenta grauiſſima. 246. p. 382. 383. Quib' machinis vti debeat ad expugnãdos improbos animos. Ibid. Concio ad flagitioſos conuertendos efficax quì fabricanda. 247.

pag. 385. à quâ formâ ple-
riq; alieniſſimi. 248. Paradoxa venditata in Concionibus maximè exagitantur. 249. pag. 388. num. 250. pag. 389. Facetiæ, & ioci adhibita in Concionibus ſummopere vituperantur. 251. pag. 390. vſq; ad num. 260. pag. 401. Facetię a Patribus priſcis interdictæ cunctis Chriſtianis. 252. p. 391. quia grauitatem propoſiti inflectant. p. 392. 393. & turpitudinem redolent. Ibid. Sed maximè damnatæ, quæ in Concionibus effutiuntur. 253. pag. 394. Non adhibendæ in Cõcionibus, etiamſi ijs prolectati Auditores Templa referciant. 257. pag. 398. Vtens facetijs in Concione, ſibi, & Auditoribus exitio eſt. 258. p. 400. a munere concionandi remouendus. 259. Ibid. Concionis prior pars inanis, fructuſque poſteriori tantùm relictus, grauiter reprehenditur. 260. pag. 401. vſq; ad num. 274. pag. 419. Nam ſi prior pars conducit poſteriori, extra culpam eſt. 261. pag. 402. ſin autem, perperam prima inaniter profunditur. 262. pag. 403. nu. 263. pag. 405. vnde & ſecunda quoque inanis euadit. 264. pag. 406. ad num. 265. pag. 410. Cui etiam prima pars valde obeſt. 265. Ibid. ad n. 269. pag. 413. Talis concionandi ratio nouitia a cupidis Rhetoribus improbata, ſtultè prætexitur vtilis. 270. pag. 414. nu. 2. 3. pag. 416. quæ tamen a pleriſq; in ſpeciem probis arrepta eſt. 272. pag. 417. Concionator vtcunq; etiam ſanctus a Dæmone vexatur, ſollicitaturq; ad diuinum verbũ profanandum. Ibid. Pleriq; inutiles Cõcionatores ſua Concionis vitia pre ſuperbiâ nolunt agnoſcere. 272. p. 418. & n. 273. Ibid. Rhetorices Profeſſores ab Ignatio inſtituti ad fructuoſos Concionatores educandos. 289. p. 444. & a Societate perpetua n. 290. Ibid. & ſeqq. Honores, & dignitates, aut quæſtũ aucupans exagitatur. 318. p. 481. Qualis eſſe deberet, & tales pleriq; nõ ſunt. Ibid. Leues declamatores immodeſtiq; adoleſcentes concionãdi munus inuadunt. Ibid. & p. 482. varię corruptele in paranda Concione non ex ſacris Literis, ſanctiſq; Patribus, ſed ex profana philologia, vſq; ad p. 484. nu. 319. Quàm multi proprij muneris peruersè negligant, tantoq; ſe impenſiùs alienam curent. Ibid. Plures Concionatores generoſiſſimi adſunt ex omnibus Ordinibus. 323. pag. 489. Adhortatio ad vitandam in Concionibus orna-

ornamentorum intempeſtiuam.331.p.500. & Ibid. ſeqq. Quàm hæc fœda ſit. Ibid. quam flagitioſa.332. p. 501. Quàm turpiter a ſuo fine preuaricādi deliret. 331. pag. 500. quàm flagitiosè, 332. pag, 501. num. 333. pag. 502. Eccleſia corruptelis Concionatorum ſe vaſtari deplorat. 336. p. 505. ad 339. pag. 508. Quāti interſit corruptelas Cōcionum compeſci. 339. p. 508. Fructuoſi Concionatores fouendi, infructuoſi deſerendi. 339. p. 510. 340.

CONCIO, vel CONCIONATOR ACVMINIBVS, vel ORNAMENTIS LVXVRIANS. Vide, ORATOR LVXVI ORNAMENTORVM DEDITVS, ORATOR TVLLIANI ARTIFICII SECTATOR.

Corrupta eloquentia laborat. 47. p. 78. Caret argumentis, vel leuibus tātùm vtitur. 50. p. 80. vſq; ad n. 52. p. 84. vel ſi proprijs nititur, hæc adhuc frangit 52. p. 84. ad 56. p. 98. Similis piſtoris cruſtulis, & circulatoris pupis. 52. pag. 84. ad num. 54. pag. 91. Omittit argumentorum amplificationes 53 pag. 90. Molliſſimo argumentorū exercitu Auditores recreat, ſed non expugnat. 55. pag. 93. vinciturq; a fructuoſo Concionatore. 55. pag. 94. Ineptè amplificat, inaneſque panegyricos conflat. 56. pag. 97. vſq; ad nu. 60. pag. 104. Docetur modum rectè amplificandi, & ſolidos panegyricos fabricandi, ad n. 69. pag. 117. aliter etiam peccat. 76. p. 127. Semper errabundus vagatur, paſſq; vltro citroq; reciprocatę inſtar palatur. 71. pag. 119. ad n. 72. p. 122. robur argumētorū eneruat 72. p. 122. ad 75. p. 126. Attētionem Auditoris tollit. 75. pag. 126. ad num. 77. Affert ſatietatem Auditori, 77. pag. 129. ad 79. pag. 135. Gignit obſcuritatem. 79. pag. 135. ad 87. pag. 144. adeoq; minimè intelligitur. Ibid. Nullā prudētiam oſtendit. 93. pag. 151. nullamq; virtutem. 94. pag. 152. 153. nec vllam erga Auditores beneuolētiam, 95. pag. 154. Elidit affectus omnes. 96. pag. 155. ad 104. pag. 165. Neſcit affectus elicere. 101. pag. 161. num. 103. pag. 163. Decorum omne Orationis euertit. 104. pag. 165. ad num. 120. pag. 185. Concionatoris vani pictaq; corruptelæ, & mores honeſtati atq; vtilitati Auditorum aduerſi. 212. pag. 328. & ſeqq. Concionator infructuoſus vituperatus ab Auditoribus. 239. p. 372. ad p. 375. Longe abeſt a recta eloquentiæ forma. 248. p. 386.

p. æ

præ ornamentorum luxu. Ibid. Obſtinatè ſceleſtos difficillimè curandos ineptè politulâ Oratione nititur conuertere. 274. pag. 419. 420. Circulator multo neruoſiùs perſuadet, quã vanus Concionator 275. pag. 421. ad num. 280. pag. 429. Vanus Concionator laxans habenas hilaritati, indulget cuiuis petulantię Auditorum. 278. p. 425. 426. n. 279. p. 427. nihil ad eos curandos edifferens. Ibidem. Deprauatio Concionum, & Concionatorũ ab Academicis cœtibus, Hetruſcaq; poeſi in Italia ducit originem. 280. pag. 429. ad num. 286 pag. 438. Ex prauis Oratoribus peiores fiunt Concionatores. Ibid. & n. 281. pag. 431. ad num. 286. pag 438 Ex malè inſtitutis Rhetorices diſcipulis peruerſi euadũt Concionatores. 282. pag. 483. n. 283. p. 435. ad n. 286 p. 438. Vitioſa Rhetoricorum diſcipulorum inſtitutio quàm ſit Reipub. detrimentoſa, quũ hinc infructuoſi, & vani Concionatores gignantur. 286. p. 438. ad 291. p. 446. A diuinis oraculis ſãctiſq; Patribus acerbè vituperatur. 305. p. 464. ad 311. p. 470. Diciturq; adulter verbi Dei. 305. p. 465. & caupo. Ibid. tum etiam concubina. Ibid. filia effeminata. 306. p. 467. & alijs probris cæditur. Ibid. & ſeqq. Exagitatur a Mureto 311. pag. 470. & a Gallutio 312. pag. 471. & a Regio 313. pag. 473. & a Cauſſino 314. p. 473. Corruptela eloquentiæ Concionũ deploratur, quæ pulpita vertit in ſcenas. 314. p. 474. meretriculę inſtar fucata fabulas narrat. Ibid. p. 475. Ethnicos Auctores, & profanas ſententias pro ſacris ingerit. 319. Ibid. & pag. 476. 477. 478. de vocibus nimis ſolicita, ornatũ nimium luxumq; ſtyli anxiè aucupatur. 316. pag. 478. 479. Nullam pietatis ſcintillam excitat, ſed niuem vanitatis ſpargit. 317. pag. 479. nec poteſt vulnerare pugnando, ſed tantũ titillare ludendo. ad pag. 481. Corruptores Concionum acriter exagitari ſine vllà dicacitatis nota. 321. pag. 486. 322. pag. 488. & num. 323. pag. 489. Apud Deum ſine excuſatione ob tot corruptelas erit. 334. pag. 503. & num. 335. pag. 504. Eccleſia luget peſtem vanorum Cõcionatorum. 336. pag. 505. Quanti intersit caſtigari acuminum & ornamentorum luxum in Cõcionibus. 339. p. 508.

CONCIO
vel
CONCIONATOR FRVCTVOSVS.

Conciones fortes edit, & argu-

argumenti's munit. 55. p. 93. Imitatur fortem præliandi rationem, validéq; perſuadet. 55. p. 94. vincitq; acuminibus addictos. Ibid. Similis impelleti pilã rectà ſemper ad metam. 69. p. 117. Inſignitè amplificat. Ibid. Vnde affectus excitet. 100. pag. 159. 160. num. 102. pag. 161. 162. Mirè transformat Auditores. 174. pag. 269. Concionatoris optimi triplex exemplum 175. pag. 271. ad num. 179. pag. 279. Inſtar Medici deploratus cõſcienti a ſceleſtorum mira vi curat, ſanatq; 235. p. 365. 366. nu. 236. pag. 367. hi verò ſanati voluptate ſumma afficiuntur, illiuſque præſtantiã vbiq; prædicant. 237. pag. 369. Ingenium, & artificium fructuoſi Concionatoris vitioſi homines ab eo perſanati magna admiratione, ac plauſu proſequuntur. 239. pag. 371. ad pag. 375.

CONSTANTIA S. CAROLI IN PRECIBVS. Vide, S. CAROLVS.

D

DARIVS. Exercitus Darij deſcribitur. 54. 91. Charidemi conſilium probum capite plectit. ibid.

DECORVM. Tollitur ab Oratoribus acuminũ ſectatoribus. 104. pag. 165. ad num. 120. pag. 185. Leuitate euertitur. 104. pag. 165.

DELECTATIO } Vide, DELECTO } ORATOR.

DELECTATIO non eſt finis Oratoris, neq; in Panegyricis. 25. p. 40. & ſeqq. ad nu. 30. pag. 51. alioqui cum Poetica confunderetur, cuius illa finis eſt. nu. 29. Rhetorica Academica ſtatuens oblectationẽ ſuũ finem primarium, exploditur. 30. pag. 51. vſq; ad n. 35. p. 58. Rhetorica etiam Academica non habet pro fine oblectationem, ſed perſuaſionem. 31. pag. 52. etſi verò ſatagat delectando perſuadere, adhuc perſuaſionem ceu finem vltimum ſpectat. 33. pag. 56. 57. vel certè Poetica cum Rhetorica confunditur. num. 34. pag. 57. Delectatio finis adhuc Panegyrici obtenditur. 35. pag. 58. Delectatio, quæ perſuaſioni velificat, curanda, quæ autem eidem incommodat, vitanda. 40. pag. 65. Quæ initio delectant in natura, paulò poſt ſatiant. 78. pag. 132. Delectationis gignẽdę finis leuiſſimus, & facillimus ingenij laudem non parit. 126. p. 194. turpis eſt. Ibid. Delectatio eſt omniũ ſcelerum procreatrix. Ibidem Prærogatiua delectãdi ab Oratoribus acuminum vẽditatoribus præſatur. 183. p. 283. Carpũtur ijdem, quòd tã intemperanter

rantes

rãter delectationem affectent, cuius gratia etiam omnẽ honeſtatem eliminant. 184. p. 281. 285. ſed tamen oblectandi palma ſpoliantur. 185. p. 287. Delectatio, quæ perſuaſioni non ſeruit, Oratoria nõ eſt 186. Ibid. Delectatio Oratoria debet eſſe honeſta, & perſuaſioni congruere. 187. p. 291. Delectare eſt perſuadendi inſtrumentũ. 188. pag. 293. etiam in Panegyricis. 189. pag. 294. n. 190. pag. 295. Oratoria, vel Concionalis non affertur ab aucupibus nimij ornatus. 191. pag. 296. ad num. 193. pag. 300. Delectatio ex finis adeptione in quauis arte, & in natura etiã percipitur. 192 pag. 298. In finem cõſtituitur a Logodædalis Oratoribus. 193. pag. 300. ad 196. pag. 306. ingenti flagitio. ſic quippe in mimos, & hiſtriones diſcedunt. 194. pag. 302. 303. Immoderata ab iiſdem Logodædalis quæritur. 195. pag. 304. 305. nu. 198. pag. 309. Logodædali non delectant, quia non ſunt ingenioſi, & faſtidium gignunt. 196. pag. 305. Oblectatio magna ex ingenio naſcitur. Ibid. Satietas officit delectationi. 97. p. 307. Ex pulchro ordine magna concinnatur. 200. pag. 312. nu. 217. pag. 334. Quæ ſine ordine delectãt, in ordinem redactæ maiorẽ delectationẽ gignunt. 201. pag. 315. nu. 202. pag. 316. Orationes ſine ordine conflatæ non delectãt. 203. pag. 318. vſq; ad 209. pag. 324. Ex vtili honeſtate percipitur. 210. pag. 324. 218. pag. 335. Oratio inutilia ingerens, non delectat, 211. pag. 327. ad 214. pag. 331. Vmbra tantum delectationis penes luxũ acuminum. 213. pag. 330. 214. pag. 331. Delectandi palma eripitur vanis Concionatoribus 215. p. 332. & Tullianis Oratoribus, & Concionatoribus addicitur. 216. Ibid. ad 239. p. 371 Ingens admiratio & plauſus ex ſumma delectatione profectus ingenia Tulliani Oratoris conſequitur. 239. pag. 371. ad pag. 375.

DEMONSTRATIO)
DEMONSTRATIVVM)
Vide. PANEGYRICVS.

DESCRIBO.
DESCRIPTIO.

Laruæ, imaginis, ſtatuę, ac hominis. 51. pag. 82. 83. Cruſtulorum e ſaccharo. 52. pag. 84. Ludi paparũ, & circulatorum. Ibid. & pag. 85. 86. 87. Exercitus Darij, & Macedonum. 54. pag. 91. 92. Ludicræ pilę ad vnam metam recta impulſæ. 69. pag. 117. nec nõ vltro citroq; percuſſæ, ac repercuſſæ. 70. pag. 118. Camporum. 77. pag. 131.

Cho-

Chorearum, & ſaltationis. 105. pag. 165. Praeſtigiatorum, & chironomorum. 106. pag. 166. eorundemq; ludi. 107. pag. 167. 156. Ludorum, & geſticulationũ felis. 168. pag. 169. Mulieris cultu meretricio indutæ. 115. pag. 180. Cancri mariui Crucifixum referētis Sancto Xauerio 122. p. 187. Nauis. Ibid. Ebrij. 130. p. 202. Cæci. Ibid. Horologij. 135. p. 211. & nu. 151. p. 249. Sphæræ. 139. p. 218. & n. 162. pag. 251. Cęli. 140. p. 219. & n. 162. p. 251. Terræ. 141. p. 220. Mundi. Ibid. Hominis. Ibid. & nu. 162. p. 251. Elementorum Ibid. & n. 162. p. 251. Templi. 145. p. 222. Columnæ. Ibid. Picturæ. Ibid. p. 225. Auiarij, ſeu ornithonis. 146. p. 227. Exercitus præpoſtere coacti. 148. p. 230. Exercitus bene diſpoſiti. 163. p. 253. Equi effrænis, frænatiq; vagantis, & pugnantiſue. 166. p. 256. Funambuli. 168. p. 259. Mimi. 186. p. 288. Domus ſine ordine ſtructæ. 200. p. 313. Exercitus ſine ordine perturbati, multa damna inferentis. Ibid. p. 314. Hominis mõſtroſi. Ibid. Horti floridi. 201. p. 315. Viridarij. 202. p. 316. Circulatoris, & circulatoriæ artis. 275. p. 421. n. 276. p. 423.

DIGRESSIO. Aliquando in Oratione permittitur, dũmodo cum cauſſa connexa ſit. 38. pag. 63. vſq; ad pag. 41. pag. 71.

DISCIPVLVS RHETORICES. Vide, RHETORICA.

DISSIMVLO. Vide, TEGO.

DOCEO. Docere eſt inſtrumentum perſuadendi 188. pag. 293.

DOMVS. Sine ordine ſtructa deſcibitur. 200. pag. 213. Oratio inſtar inuerſæ domus condita. 204. p. 320.

E

EBRIVS. Deſcribitur. 130. pag. 202.

ECCLESIA. Luget variorũ Concionatorum corruptelis ſe vaſtari 336. p. 505. ad 339. pag. 508.

ELEMENTVM. Elementa Orbis deſcribũtur. 141. p. 220. Oratio inſtar elementorum fabricata. 162. pag. 251.

ELOGIVM. Elogia fartą acuminibus pariunt ſatietatem. 78. p. 133. 134.

ELOQVENTIA.

Vide, ACVMEN, CICERO, CONCIO, ORATOR, ORATIO, RHETORICA.

Eloquentiæ faſtidium ex nimia eloquentiæ prædicatione. nu. 1 p. 1. Eloquentia de ſui corruptelis queribunda agit. n. 1. p. 2. cui⁹ cauſſa grauiſſima patrono indiſcreto cõmittitur. 2. p. 3. Difficultates in eloquen-

quentiæ cauſſa tuendà diluuntur.5.pag.4. Aduerſarij eloquentiæ reuerenter, quanquam liberè etiã,cõfutandi.4.pag.5.6.7. Eloquentiæ ſtylus, inſano metaphorarum, ac ſenſiculorum ſtudio corruptus. 5.pag.8.9.10. 11. at magno Reip. damno propagatus. 6.11. 12. Veteris eloquentiæ decus noſtro etiam æuo ſuperſtes non ſine magno damno labefactatur. 8. p. 14.vſq; ad pag.27.Corruptela eloquentiæ priſtino nitori reſtituendæ ſummi momenti eſt. 8. pag. 14. vſq; ad num. 16. pag. 27. Occaſiones variæ granis eloquentiæ hodie quoq; exſcindæ enumerãtur.9. pag. 15. Eloquentia nunc regnat in Templis.11.pag. 181. Forma dicendi ornamentis luxurians, præſertim acuminibus, corruptiſſimæ eloquentiæ genus eſt. 19. pag. 31. Quod etſi exploratum eſt,tamen denuo patefaciendum, quia prima etiam eloquentiæ, & Rhetorices præcepta obliuioni a pleriſq; traduntur.20.pag.32.33. Præuæ eloquentiæ agnoſcendæ ratio.41.pag.68.vſq; ad num.46.pag.76. Quænam ſit eloquentia Ciceroniana.46. pag. 76. Forma abſolutiſſima Ciceronianæ eloquentiæ. ſuo in lumine collocatur. 173. pag. 269. ad 179.p.279.vi ſũma pſuadet.173 .pag.270. & transformat mentes. 174. pag. 269. Eloquẽtia triumConcionatorum mirifica. 175. pag.275.ad num. 179.pag. 279. Ciceronis eloquentia deſpicitur ab acuminum vẽditoribus. 183.pag. 284. Luxuriantis ſtyli aſſeclæ a Tullianæ eloquẽtiæ formà præ deſperatione defecerunt.241. pag. 375. ad num.244.Eloquentia Tulliana fruſtra oppugnata æternùm regnat.243.pag. 378.exẽplo fidei inconcuſſæ, de omnibus ſtyli corruptelis triumphat. Eloquentiæ corruptelæ acri ſtylo iure reprehenſæ.291. pag.446.ad num 297. pag. 455.a mòdeſtiſſimis,& diſertiſſimis Scriptorib' vehementer exagitatæ. 297. pag.455.ad num.305. pag. 464. Eloquentia Mecœnatis a Seneca vituperatur. 299.pag. 457. Variæ eloquentiæ corruptelæ recenſentur, & carpuntur. 299.pag. 457. ad 305. pag. 464. Eloquentiæ corruptela in Concionibusquàm fœda ſit.331.pag.500. quã flagitioſa.332. pag. 501.

ENTHYMEMA. Conuenit etiã Panegyricis ex Ariſtotele.27. p.44. Magis proprium generis iudicialis, quàm demonſtratiui. Ibid. Adhibendum in laudationibus, quando facta

nem ſunt cōperta, omittitur tamē plerumque, quia ea ſatis nota.27.p.45.
EPILOGVS. Vide, PERORATIO.
EPISCOPVS. Munus cōcionandi propriū Epiſcoporū.11.pag.19. Alij vero Concionatores Epiſcopis ſufficiuntur. Ibid.
EXEMPLVM. Magis proprium deliberatiui generis.27. pag.45.
EXERCITVS. Darij mollis deſcriptus. 54. p. 91. & Macedonum fortis. Ibid. p.92. Perturbatè conſcriptus delineatur.148.p. 230. Bene diſpoſitus deſcribitur.263.pag.253. Oratio in modum exercitus bene diſpoſiti fabricata. Ibid. Perturbatus ſine ordine exercitus, ex quo multa mala fluunt, deſcribitur. 200.p.314. Oratio condita inſtar perturbati exercitus. 204. pag. 320.
EXORNATIO. Vide, PANEGYRICVS.

F

FACETIÆ. Vide, IOCVS. In Concionibus adhibitæ ſummopere vituperantur. 251. p. 390. ad n. 260.p.401. Interdictę cunctis Chriſtianis.252.p.391. quia propoſiti grauitatem inflectunt.pag.392.393. & turpitudinē habeat. Ibid. ſed damnatę maximè, quę in Concionibus effutiuntur.253.p.394.397. Reprehenſæ etiam ab Ethnicis. 256. pag. 397. Non adhibendæ in Concionibus. licèt ijs perliciantur Auditores ad Templa implenda. 257.pag.398. Aptæ ad illudendū facetijs.326.p.494.
FACTVM. Facti externa facies vna, interior multiplex ab Oratore eruenda, atq; amplificanda.28. pag. 47. Non omnia facti adiuncta in amplificationem trahi poſſunt.72.pag.123. vſq; ad 75.pag. 124.
FASTIDIO) FASTIDIVM) Vide, SATIETAS.
FELIS, Geſticulationes felis, deſcribuntur. 108. pag.169. & ſeqq.
FEMINA. Vide, MVLIER.
FIDES. CATHOLICA. Fruſtra ab Hæreticis oppugnata victrix perennat. 243.pag. 379.
FINIS. Inſtrumentum ſuo fini conſequendo ineptum, mancum eſt. 48. pag.79. Difficultas, & præſtantia finis prodit ingenium artificis, 125. pag. 194. Qui fini præclaro ignobiliorem ſubſtituit, tanto minùs eſt ingenioſus.134.pag.210.
FLOS. Hortus floribus conſitus deſcribitur. 201. pag.315.
FVCVS. Faciei damnatus a Patribus. 294. pag. 450.451.

ORE-

G.

GREGORIVS NAZIANZENVS. Eius tractatio mira praestit. 175. p. 273.

GYMNASIVM. Vide, SCHOLA.

H.

HÆRETICI. Refellendi compertis Catholicæ fidei documentis, etsi hæc apud Catholicos sint explorata. 40. pag. 350

HISTORIA) Quoties

HISTORICVS) simplex actio narrata ab Historico, magis afficit Lectorē, quā cū eadem Oratio, vel Concio Auditorem, si quet hanc esse vitiosam. 42. pag. 71. 72.

HOMO. Hominē imitatur imago, sed caret motu. 51. p. 82. 83. Describitur. Ibid. 141. p. 220. Oratio hominis instar fabricata. 162. p. 251. Homo sine ordine monstrosè conformatus describitur. 200. pag. 314. Oratio condita perperam instar humani corporis male compacti. 207. p. 322.

HOENSTAS) Delecta-

HONESTVS) tio percipitur ex vtili honestate. 210. p. 24. Honesta vtilitas non affertur Auditoribus a vanis Concionatoribus. 211. p. 327. ad n. 216. p. 332. sed a frugiferis 217. p. 334. ad n. 219. p. 338. & n. 235. p. 365. ad num. 239. pag. 371.

HOROLOGIVM. Describitur. 135. p. 211. ingenii artificis ex horologio emicat; cui quia addit superuacuas rotas, &c. ingenij laude excidit. Ibid. Horologij instar Oratio fabricata. 161. pag. 249.

HORTVS. Vide, VIRIDARIVM. Describitur. 201. p. 315. nu. 202. p. 317. Oratio instar incompositi horti condita. 208. p. 323. itemque instar bene dispositi horti. 217. pag. 334.

I.

S. IGNATIVS LOYOLA. Professores Rhetoricæ instituit ad frugiferos Concionatores educendos. 289. 444. nobile eloquentiæ exemplum prodidit. ibid.

ILLICITVM. Vbi quid cum illicitum menti occurrit, peccas grauiter, si illud minimè ante discussū agis. 15. pag. 25.

IMAGO. Describitur. 51. p. 82. 83. hominem imitatur, sed caret motu. Ibid. Imago Cæsaris illudit hostibus, eumque seruat. 137. pag. 217. difficultas, & pulchritudo exprimendi, & delineandi imagines. 143. pag. 223.

IMBER. Vide, PLVVIA.

IMMODERATIO)

IMMODERATVS) Vide, LVXVS.

INGENIVM. Prærogatiua ingenij ambitur ab Oratoribus acuminum venatoribus. 121. pag. 186. ad num. 124. pag. 191.

191. Ingenij palma ijſdem detrahitur. 124. pag. 191. vſq; ad num. 153. pag. 236. Ingenium artificis ex finis & inſtrumentorum diffi- cultate, ac præſtantia æſtimatur. 126. pag. 192. Nimi- nimum aucupe omnium aſtant ingenium, quòd ſolum obiectum leuiſſimum, & facillimè inueniatur. Ibid. & quia Orationum inſtru- menta perſuadendo inuenta cuduntur. 128. p. 199 Ingenij imbecilitate laborant au- cupes acuminum. 130. pag. 201. nec non inopia. 131. pag. 205. Quid ſit ingeni- um. 132. pag. 207. Ingenio- ſus eſt, qui citò quid inue- nit, & fini aptat. Ibid. & p. 218. nō verò, qui ſolùm in- uenit. Subita argumēti ex- cogitatio non iudicibus ſed ingenio tribuēda eſt. Ibid. Vt ſis ingenioſus, neceſſe eſt, vt citò inuenias, & fini aptes eminenti, quæ inue- nis. 133. 209 Qui præclaro fini ignobiliorem ſubſti- tuit, tanto iam minùs eſt ingenioſus. 134. pag. 210. ſicut etiam, qui horologi- um luxu ſtylorum peruer- tit. 135. pag. 212. num. 136. pag. 214. Ingenij vmbra tantùm Oratoribus affe- ctantibus acumina conceſ- ſa eſt. Quę tamē cū inopia ingenij & imbecillitate ſociata eſt 137. pag. 215. & ſeqq. Perſpicuitas prima in- genij virtus. Ibid. p. 217. Sci- ti ordinis admirabilita- tem magni ingenij eſſe reſtem. 138. pag. 218. ad nu. 145. pag. 226. Ingenio præſtat Tullianus Orator, quia finem, & opus per- ſuadendi difficillimum; & nobiliſſimum ſpectat. 153. pag. 236. ad num. 160. pag. 246. & quia Orationes ad perſuadendum accommo- datiſſimas condit. 160. p. 246. & quia miro ordine ſuas Orationes condit. 161. pag. 240. ad num. 166. pag. 256. Palma ingenij Tullia- nis Oratoribus aſſeritur. 175. pag. 279. temereq; ab acutinum venditatoribus præfertur, atq; iactatur. 180. pag. 280. Magna delectatio ex ſollerti ingenio naſci- tur. 196. pag. 306. Magna admiratio, & plauſus in- genium Tulliani Oratoris conſequitur. 239. pag. 371. nu. 240. pag. 372. ad p. 375.

INSTRVMENTVM. Fi- ni ſuo conſequendo inep- tum, mancum eſt. 48. p. 79. Inſtrumentorum difficul- tas, & præſtātia prodit in- genium artificis. 126. pag. 192. Duplex ordo in quo- uis inſtrumento ſpectatur. 128 p. 199. Eo excellentius, quo diſſicilior, atq; emi- nentiori fini deſtinatur. 120. pag 200. Quoduis ar- tis inſtrumentum fini hu- ius proprio ſeruiat, neceſ- ſe eſt. 188. pag. 293.

IOANNES CHRYSOS- TO-

TOMVS. Sũma eloquentia præſtat.177. pag.274.ad n. 179. pag.279. Gainam ſuà Oratione compeſcit.num. 178.pag.277.

IOCVS. vide, FACETIÆ. Adhibiti in Concione ſummopere vituperantur.251.p.390.ad n. 260.p. 401. Ad res ludicras refellendas aptè vſurpantur. 326.pag.494.

IVDICIVM. Ingenij dos, eſt, non Iudicij pleraq; apta fini ſubito inuenire. 132.pag. 208.

IVGLARIS. Aloyſij Iuglaris denuntiatio laudatur.78. pag. 133. 134.

IVLIANVS APOSTATA. Tyrannus immanis, quia Chriſtianos vetuit literas diſcere, quò fidem Catholicam ita euerteret. 286.p.439. n. 287. & ſeqq.

L

LATINITAS) Pleriq; LATINVS) imperitè negãt eſſe Latinum, quod neſciunt, etſi bene Latinũ ſit. 80.p.136. Latinitas extra Ciceronis etiam codices conſiſtit. Ibid. Acumina affectantes, Latinitatem negligunt.125. p.193.

LAVDATIO) Vide, PA- LAVDO)NEGIRICVS.

LEVIS) Leues arti- LEVITAS) fices ac ludij deſcribuntur.105.p.166.& ſeqq.ad num.109.pag. 172. Leuitas oſtẽditur ab Oratoribus luxuriantibus nimio ornatu.109.p. 172.ad 115.pag.179.

LVDO) Ludij Circu- LVDVS) latoris cũ pupis deſcribitur.52. pag.85. Ludus pilæ ad vnam metam rectà impulſæ deſcribitur. 69. pag. 117. itemq; vltro citroq; reciprocatæ. 70. pag. 118. Ludi gladiatorij non cohærent cum arà miſericordiæ.314.pag. 474.

LVX. Vide, LVMEN. Quæ lux ſit oculo moderata.41.pag.69.

LVXVS. Vide, ACVMEN, & ORNAMENTVM. Luxus veſtium improbatus a Patribus.294.p. 450. velut luxuriæ, & vitiorum fomes. Ibid. damnatus etiam ab Ethnicis. 295. p.452. a Poetis quoq; Ibid.

M

MATTACCINI. Vide, CHIRONOMVS.

MECOENAS. Eloquentia Mecœnatis carpitur. 299.pag.457.

MEDICVS. Sanatus a Medico præ gaudio tripudiat.235.p.365. 366. illiuſque excellentiam prædicat, contra autem aliorum imperitiam, a quibus fruſtra curatus eſt, exagitat. 230.pag.371.

MEMORIA. Debilis valde Thracibus. 130.p.202.

MERETRIX. Cultus meretricius deſcribitur. 115.p.180.

MI-

MILES. Vide, EXERCITVS.
MIMVS. Mimi geſticulationes deſcribuntur. 186. p. 288. Ab Oratore adhiberi nequeunt.
MISERICORDIA. Ars miſericordiæ cũ ludorum crudelitate non cohæret. 314. pag. 474.
MODERATIO ACVMINVM, vel ORNATVS. Vide, ACVMEN, & ORNAMENTVM.
MODERATIO. Vide, MODVS.
MODVS. Cuiq; rei a naturà præſcriptus. 197. pag. 307. quem ſi tollas, illico inde faſtidium gignitur. 198. pag. 309. Modus, in ornatu, & rebus ſeruatus a Tulliano Oratore. 216. pag. 333. nu. 217. pag. 334.
MORES) Mores ſunt
MOS) perſuaſionis inſtrumenta. 26. p. 43. n. 49. pag. 79. num. 188. pag. 293. Mores Oratoris a luxu ornamentorum euertuntur. 91. pag. 149. ad nu. 96. pag. 155. Probitas, prudentia, beneuolentia exprimendę ſunt ab Oratore. Ibid. A Tulliano Oratore aptè adhibentur. 160. p. 247. Cum actione neceſſariò coniuncti. 223. pag. 346.
MOVEO. Vide, AFFECTVS. Mouere eſt inſtrumẽtũ perſuadendi. 188. p. 293.
MVLIER. Meretricio cultu induta deſcribitur. 115. p. 180. Viri in muliebrẽ habitum trãſcriptus. Ibid.
MVNDVS. Deſcribitur. 141. pag. 220. Oratio inſtar confuſi orbis condita. 207. pag. 322. Refertus ſceleſtis. 247. pag. 384.
MVTIVS SCÆVOLA. Factum Mutij vrentis manum ſuam expenditur. 28. pag. 47.

N

NATVRA) Ars eiſi-
NATVRALIS) ùs gignit tędium, quàm natura. 77. p. 131 Quæ initio delectãt in natura, paulò poſt ſatiant. 78. p. 132.
NAVIS. Deſcribitur. 122. pag. 187. Tollenone, & ſpeculis demerſæ, & exuſtæ naues. 156. pag. 241.
NAZIANZENVS. Vide, GREGORIVS NAZIANZENVS.
NVGÆ. Omnes ab ore Sacerdotis exulent. 253. pag. 395.
NVMVS. Caligula volutat ſe per numos aureos. 168. pag. 260.
OBSCVRITAS) Oratio
OBSCVRVS) obſcura, vitioſa, quia lucem rebus afferre debet. 44. p. 73. Ornamentorum luxus gignit obſcuritatem. 79. pag. 135. vſq; ad num. 87. pag. 144. Obſcura oratio ſæpe ob imperitiã temerè dicitur. 80. p. 136. Quæ ſit obſcura Oratio. Ibid. p. 137. Vitium obſcuritatis in Oratione valde turpe. 81. pag. 137.

OBSI-

OBSIDEO) Vrbs obſeſ-
OBSIDIO) ſa liberatur ingenio Archimedis, & Procli. 156. pag. 240. 241.
OBSTINATIO) Obſti-
OBSTINATVS) natè ſceleſti difficillimè ad bonam frugem reuocabiles ineptè politula Concione percelluntur. 274. p. 419.
OCCVLTO. Vide, TEGO.

ORATIO.

Vide, ACVMEN. CONCIO, ELOQVENTIA, ORATOR, PANEGYRICVS; RHETORICA. STYLVS.

Occaſiones variæ Orationũ habendarum in cauſſis grauibus hodie quoq; præ manibus. 9. p. 15. quæ ſine graui piaculo quouis in genere nõ violantur. 10. p. 16. Corruptà cõmuni Orationũ forma, etiàm ſacras Cõciones peruerti neceſſe eſt. 15. p. 26. Orationũ corruptela, quacunq; in lingua accidat, exagitatur. 16. pag. 27. Ornamẽtorum intẽpeſtantia carpitur ſcitum in grauibus Orationibus. p. 28. Ibid. Lux⁹ ornamentorum in Orationibus Scholaſticis non videtur reus noxię grauis. Ibid. Actio agens de recta perſuadendi ratione grauiſſima eſt. 15. pag. 29. 30. ex animo perorandа. 18. pag. 30. Oratoris & Orationis voces pro Cõcionatoris, & Concionis vocabulis vſurpatæ: 19. pag. 31. Orationis partes ex eſſentia manantes, propoſitio rei, & cõfirmatio. 25 pag. 42. Oratio nulla eſſe poteſt, niſi ad aliquid perſuadendũ ſit accommodata. 32. pag. 53. Orationibus non detrahitur ſuus ornatus. 37. pag. 62. 63. Ille ornatus, qui perſuaſioni conducit, in Oratione requiritur, qui verò obeſt, reijcitur. 38. pag. 63. Nihil in Oratione tolerandum, niſi perſuaſioni velificet. 40. pag. 65. Quoties ſimplex actio narrata ab Hiſtorico, magis Lectorẽ afficit, quàm Oratio, vel Concio de re eadem Auditorem, liquet hanc eſſe vitioſam. 43. pag. 70. 71. 72. 73. 74. Quando cauſſa acta a patrono difficiliùs, quàm narrata a cliente, intelligitur, Oratio mãca eſt. 44. pag. 73. Oratio obſcura vitioſa, quum lucem rebus afferre debeat: 44. pag. 73. Oratio luxurians ornamentis, maximè acuminum, corruptà eloquentià laborat. 47. pag. 78. caret argumentis, vel inanibus fulcitur. 50. pag. 80. 81. 82. 83. vel ſi proprijs nititur, adhuc iſta fracta ſunt. 52. pag. 84. vſq; ad 56. pag. 96. Oratio conſtans ordine, Oratoris ingenium prodit, carens, negat. 145. pag. 226. Orationum Tullianarum fabricatio difficilli-

cillima. 166. pag.256. ad num.172.pag.264.quæ tamen ab imperitis perfacilis, quanquam maximè ardua eſt, temerè cenſetur. 172.pag.264. & ſeqq Orationem luculentam conflare imperiti nihil aliud putant eſſe, quàm conſarcinare acumina, & ſimilia ornamẽta. Ibid. p.265 Inordinata Oratio delectationem impedit.203.pag.318. Oratio inſtar inordinatæ domus condita.204. p.320.inſtarq; perturbati exercitus.205.p.321 tũ inſtar incõditę citharę. 206. Ibid. & inſtar humani corporis malè compacti. 207.Ibid. nec nõ inſtar Orbis cõfuſi. Ibid. & inſtar horti in cõpoſiti.208.p.323.Oratio ſine vtili honeſtate conflata nihil delectationis affert.211.pag.327. ad nu. 216.pag.332.Oratio ex rebus inutilibus compoſita non deſcendit in animum. 213. pag. 330. Orationes Academicæ ſolã cognitionem venantes non ſunt veræ Orationes. 222. pag. 343.& n.234. pag.363. In omni Oratione Peroratio actuoſa neceſſaria. 224. p. 347.ad 226.pag.350. Cum ſola cognitionis propoſitione nequit conſiſtere. 227.pag. 35. Quomodo è propoſitione actionis remota, & proxima conſtet. vſq; ad num.235.pag.365. Orationis corruptelæ recenſentur, & carpũtur,299.pag 457 458.num. 300.pag.459. ad num. 305. pag. 464.

ORATOR.

Vide, ACVMEN, CONCIONATOR, ELOQVENTIA, ORATIO RHETORICA, STYLVS.

ORATORIS finis eſt perſuaſio Auditorum. 21. p 34. & ſeqq etiam in Panegyrico. Ibid. p.36. Delectatio non eſt finis Oratoris, nec in Panegyricis 25. p.40 & ſeqq. Solum carmẽ nõ diſtinguit Oratorem a Poeta. 29. pag. 49. Auditor in genere laudatiuo quomodo de facultate Oratoris iudicet. 35. p. 58. tempus præſens ſpectat. 36. p. 60. Quoties auditor ad Oratoris prærogatiuas admirandas abducitur inter dicendum, ab attentione rei propoſitæ auocati eum conſtat. 41. p. 68. & ſeqq. vſq; ad n 46 p. 76 Oratori exprimenda ſunt in Oratione prudentia, virtus, & beneuolentia.92 p. 150. in quo ſuam oſtendat prudentiam. 93. Ibid. Delectationem, quæ perſuaſioni non ſeruit, excitare nequit, vt pote minimè oratoriam. 186 p. 287. ſicut, nec mimi geſticulationes adhibere. Delectatio Oratoria debet eſſe honeſta, & perſuaſioni congruere.

187. p. 291. Oratoris tria munera docere, delectare, mouere ſunt tria perſuadendi inſtrumenta. 188. p. 293. Nõ poteſt delectationi, quæ a perſuaſione eſt aliena, indulgere, ne quidem in Panegyricis. 189. p. 294. n. 190. pag. 295. Auditores, qui ab Oratore, quæ perſuaſioni ſunt aliena, poſcunt, deſipiunt, neq; ab eo audiendi ſunt. 190. p. 295. Maxima fruitur delectatione, vbi aptè ad perſuadẽdum perorauit. 192. p. 298. 299. Orator non eſt, qui ſolas cognitionis quæſtiones ediſſerit. 221. p. 343. ad 224. p. 347. Ad actionem, & perſuaſionem, præter cognitionem, ſuum omnem conatum refert. 223. p. 345. Initio Perorationis æſtuoſã exerit ppoſitionẽ ſemper. 224. p. 347.

ORATOR TVLLIANI ARTIFICII SECTATOR.

Vide, CICERO, ELOQVENTIA.

In orando munia ſtrenuè præliandi imitatur. 55. p. 93. 94. valideq; perſuadet. Ibid. Vincit aucupes acuminum. Ibid. Cũcta cauſſæ firmamenta ad perſuaſionem dirigit, vt qui pilam ad metam ſemper trudit. 69. p. 117. 118. Vnde affectus excitet. 100. p. 159. 160. 102 p. 162.

ORATORIS TVLLIANI INGENIVM.

Antecellit ingenio, quia finẽ perſuaſionis difficillimũ ac nobiliſſimũ ſpectat. 153. p. 236. ad n. 160. p. 246. Vortice perſuaſionis obruit refractarios omnes Auditores. 157. p. 242. Orationis ſpeculo exurit cunctos Auditores. 158. p. 243. Flectit Cæſarem, ac Ligario inuitum parcere compellit. Ibid. Ingenio præſtat, quia Orationes ad perſuadendum accommodatiſſimas fabricatur. 160. p. 246. & miro ordine condit Orationes. 161. p. 249. Argumenta, mores, & affectus rectè vtitur. Ibid. Conflat Orationes bellè ordinatas inſtar horologij. Ibidem. necnon inſtar ſphæræ Archimedis. 162. p. 251. tum Cæli etiam, elementorum, & hominis. Ibid. Exercitus quoq; benè diſpoſiti in modum. 163. p. 253. aliiſq; prærogatiuis illuſtrat. 165. p. 255. Fabricat orationes difficillimas. 166. p. 256. ad n. 172. p. 264. Inſtar equi frænati Orationem componit. 167. p. 257. & Auditorem proterit, artificio perdifficili. Ibid. Funambuli inſtar difficillimè Orationem condit. 169. p. 261. Orationes eo difficiliùs elucubrat, quo omne artificium magis celat. 170. p. 261. n. 171. p. 263. temerè autem ab imperitis tale artificium, & ſtylus

lus facilis cenſetur. 172. p. 264. Ingenij palmâ ſupra cunctos alios Oratores antecellit.p.179.p.279.quanquam temerè ſpernitur ab imperitis. 180. pag. 280. Oblectandi palmâ gaudet. 215.pag. 333.vſq; ad 219. pag. 338. Moderationem ornatus,& rerũ vbiq; ſeruat.216.p. 333. Oblectat, quia Orationes miro ordine componit. 217. p. 334.inſtar pulchri viridarij, cum magna moderatione.Ibid.& quia honeſtam parit vtilitatem. 218. p.335.& n.235.p.366. vſq; ad 234. p. 371. In quauis Oratione honeſtam procreat vtilitatem,quia ſemper vel ad virtutem impellit,vel retrahit a vitio.219. pag. 338. ad n.239. p.371. Superat præſtantiâ Academicum Oratorem. 221. p. 339. 340.Inſtar Medici ſanat Auditorum vulnera. 235. pag.365. nu.236.pag. 367. 368. qui ſanati mirâ voluptate liqueſcunt. 237. p. 369. Magnum Oratoris Tulliani ingenium, atq; artificium magna admiratio, plauſuſq; ex ſumma oblectatione profect⁹, cõſequitur.239 p.371. n.240. p.372.373.374.

ORATOR LVXVI ACVMINVM, vel, ORNAMENTORVM DEDITVS.

Vide, CICERO, ELOQVENTIA.

Deſcribitur. 5. 6.p. 8.ad 13. Maximè omnium eloquentiam peruertit. 7. p. 13. 14. Pleriq; luxum ornamentorum adamãt, oſtenduntq; etſi eorum moderatione n prætexunt.45. p. 74. 75. Similis piſtoris cruſtulis, & circulatoris pupis,præſtigijſq; 52.p.84. & ſeqq. Negligit argumẽta.53 p.87.Vincitur a Tulliano Oratore.55.p.94.Argumenta etiam robuſtiſſima delumbat.57.p.97.& ſeqq. Quàm ineptè amplificet, vanoſq; Panegyricos cudat.56. p.97. ad n. 60. p. 104.Docetur modum rectè amplificandi, ſolidoſq; Panegyricos fabricandi.n. 60. p. 104. ad n. 69. p. 117. Suas Orationes concidit, ſemperq; errans vagatur, pilæ vltro citroq; reciprocatæ inſtar.71. p. 119. 120. 121.Attentionem Auditoris tollit. 75. p. 126. ad 77. Affert Auditori ſatietatẽ. 77.p.129.ad 79.p.135. Obſcuritatem parit.79 p.135. ad n.87.p.144. adeoq; minimè intelligitur.Ibidem. Nullam prudentiam oſtẽdit.93 p.151. Nullam virtutem præ ſe fert. 94. p. 152.ad 95.p. 154. Beneuolentiam erga Auditores minimè prodit. 95.p. 154. Elidit omnes affectus. 96. p. 155. ad 104.p.165. Nequit affectus in ſe excitare.99 158.n. 103.p.163.Le-

 uita-

uitatẽ in Oratione oſtendit. 109 p. 172. ſimilis ſaltatoribus. 110. Ibid. nec nõ chironomis. 111. p. 173. 174 175. ac etiam felibus. 113. p. 176. 177. Omne decorũ vitiat. 114. p. 178. 179. n. 118. Turpẽ etiam ſe prodit. 115. p. 183. p. 179. ad n. 119. p. 183. Eloquentiam fœde vitiat, & ceu meretricem fingit. 116. p. 181. Turpiter etiam effeminatur. 117. pag. 182. Violato decoro, affligit rationes, mores, atq; affectus. 118. p. 183. adeoq; Orationes ineptas cudit. 119. Ibidem. Ingenij prærogatiuã ambit. 129. p. 186. ad n. 124. p. 191. Ingenij palmã ſpoliatur. 124. p. 191. ad n. 153. p. 236. Non præſtat ingenio, quia finem oblectandi leuiſſimum, & facillimum ſpectat. 126 p. 194. 127. p. 197. & quia Orationum inſtrumẽta perſuadẽdo inepta cudit. 128. p. 199. 229 p. 200. Imbecillo ingenio laborat. 130. p. 201. nec non inopi. 131. p. 205. vnde dedecoratur. Ibid. p. 206 Luxum ornamẽtorum ſubſtituens, horologium Orationis peruertit, perſuaſionẽq; corrumpit. 136. p. 214. inopis ingenij certo chirographo Ibid. & n. 137. p. 215. Ingenij vmbrã ſolùm gaudet, 137. p. 215. Ingenio deſtituitur, quia in dicendo ordinem negligit. 145. p. 226. ad 152. p. 234. Cudit Orationes ſimiles auiarijs mirà confuſione ſine vllo ordine. 147. p. 227. nec ordinem vllum tenere ab ipſis acuminibus iubetur. 148. p. 230. Inſtar perturbati exercitus Orationis ordinẽ peruertit. Ibid. p. 231. Orationes alijs obnoxias vitijs fabricat. 149. p. 231. Nihil facilius, quam tales Orationes ſine ordine cõflare. 150. p. 232. Inſtar ſternacis equi temerè facileq; vagatur. 166 p. 257. Semper in Oratione ſine lege palatur. 168. p. 259. Ceu Caligula volutat ſe in latus cuiuſuis leuitatis facilè, & fœdè. Ibid. Tullianarũ Orationũ texturã facilem temerè pronuntiat. 172. p. 264. cuius artificiũ, ac ſtylum ceu ſuo captu maiorem ignorat, pleraq; inepta pr[illegible] dedocendus. Ibid. Ingenij palmam temerè ambit, ſtulteq; Tulliana ingenia deſpicit. 180. p. 280. n. 181 p. 281. Oblectandi prærogatiuam ſibi tribuit. 183. p. 283. Tulliiq; ſtylum deſpicit. Ibid. Carpitur, quòd tam intemperanter affectet Auditorum delectationem. 184. p. 284. 285. Cuius gratiâ omnem honeſtatẽ eliminat. Ibid. Oblectandi palma ſpoliatur. 184. p. 287 Non affert delectationem Oratoriam vel

vel Concionalem. 191. p. 296. ad n. 143. p. 300. Delectationem Auditoris in finem ſibi conſtituit. 193. p. 300. Sed ita in Poetâ, & Hiſtrionem fœdè degenerat. 194. p. 302. 303. Immoderatam delectationē Auditoris quærit. 195. p. 304. Non oblectat Auditores, quia non eſt ingenioſus, & faſtidium gignit. 196. p. 306. Nullum modum in oblectando patitur. 198. p. 309. Et quia inordinatas Orationes fabricatur. 203. p. 318. & quia Orationes inſtar inuerſæ domus abſurdè condit. 204. p. 320. inſtarq; perturbati exercitus. 265. p. 321. tum inſtar inconditæ citharæ. 206. p. 322. nec non inſtar humani corporis malè compacti. 207. p. 322. ſeu inſtar cõfuſi Orbis. Ibidem. itemq; inſtar horti incompoſiti ſine vllo modo. 208. p. 323. Non delectat, quia neq; honeſta, neq; vtilia dicendo profert. 211. p. 327. ad n. 214. p. 331. imò inutilia valde. Ibid. Vmbram tantùm delectationis, non autē veram ſpeciem edit. 213. p. 330. & talis delectationis commentitię pręrogatiua ei conceſſa eſt. 214. p. 331. Palmâ oblectandi ſpoliatur. 215. p. 332. Orationes non condit, nec ipſe Orator. 234. p. 363. 364. Præ deſperatione a Tullianæ eloquentię forma defecit. 241. p. 375. ad n. 244. p. 381. Vituperatur ab Ethnicis Scriptoribus vehementer. 298. p. 456. ad n. 301. p. 460. & ab alijs ad 365. p. 464. Iure acriter perſtringitur ſine vllâ dicacitatis nota. 319. p. 484. ad n. 321. p. 486. & n. 322. p. 488. & n. 323. p. 490.

ORBIS Vide MVNDVS.

ORDO.

Scitus ordo teſtis eſt magni ingenij. 138. p. 218. ad n. 145. p. 226. Index extantis Dei. 142. p. 221. n. 144. p. 225. Ordo elegans indicio eſt magni ingenij. quia perdifficilis eſt. 143. p. 222. 144. p. 224. Oratio conſtās ordine prodit ingenium Oratoris: carēs, vituperat. 145. p. 226. Nihil facilius, quàm Orationes ſine ordine conflare. 150. p. 232. Ordinis lex impoſita Tulliano Oratori. 163. p. 253. Ordo pulcher eſt conciliator magnæ delectationis. 200. p. 312. Quæ ſine ordine delectant, reducta in ordinem, maiorem delectationem pariunt. 201. p. 315. n. 202. p. 316. Orationes ſine ordine conflatæ minimè delectant. 203. p. 318. Ordinem ſatietas violatum indicat. Ibid. Orationes miro ordine compoſitæ a Tulliano Oratore, magna cum delectatione auditoris. 217. p. 334.

ORNAMENTVM. ORNATVS. ORNO. Vide, ACVMEN, CONCIONATOR ORNATV. LVXVRIANS, ORATOR LVXVI ORNAMENTORVM DEDITVS.

Ornamentorum luxus in Orationibus ſolùm, & Concionibus carpitur. 16. p.28. Ornamentorũ luxus in Orationibus Scholaſticis non videtur reus grauis criminis. 16. p.28 Ornamentis luxurians Oratio, vitioſum eloquentiæ genus eſt. 19 p. 31. Qualis ornatus in Panegyrico requiratur, qualis repudietur. 37. p.61. vſq; ad n.41. p. 67. Non detrahitur Panegyrico ſuus Ornatus. 37. p. 62. 63. Ornatus, qui perſuaſioni prodeſt, requiritur in Oratione, qui verò obeſt, reijcitur. 38. p. 65. Ornamentorum nimia redundantia vnde dignoſcatur. 45. p.67. & ſeqq. vſq; ad n.46 p.76. Ornamentorum copia moderata eſt, quæ rem magis viget, immodica verò, quæ a re ipſa auocat Auditorem. nu.41. 42. Ornamentorum moderatio fruſtra a pleriſq; Oratoribus, & Concionatoribus luxum adamantibus obtenditur. 45. p. 74. 75. n. 75. p. 127. Oratio, vel Concio luxuriãs ornamẽtis, præcipuè acuminum, corruptã eloquentiã laborat. 46 p.78. Ornamentorum redundãtia argumẽtis vacua, vel leuibus tantùm ſuffulta. 50. p. 80. vſq; ad n.52 p.84. vel ſi proprijs nititur argumentis, hæc adhuc fracta ſunt. n. 52. p. 84. vſq; ad n.56. p.96. rationum vim eneruat. 73. p. 123. & ſeqq. Redundantia ornamentorum attentionem Auditoris obruit. 75. p.126. n.76. p.127. 128. eidemq; affert Satietatem. 77. p. 129. vſq; ad n.79. p. 135. Ornamenta natiua longè diutius delectant, quam operoſa ex arte. 78. p. 134. Ornamenta, quæ initio oblectant, deinde tædio ſunt. 78. p. 132. Ornamentorum luxus gignit obſcuritatem, 79. p. 135. vſq; ad n.87. p. 144. Ornamentorum luxus mores Oratorios profligat. 91. p. 149. vſq; ad n. 96. p. 155. Affectãs ornatum eloquẽtiæ, Latinitatem negligit. 125. p. 193. Ornamentorũ cupiditas eſt quædam luxuria, omnem honeſtatem eliminans. 184. p. 285. Orationes, & Conciones profanat. Ibid. Parca ſint ornamenta Orationis, aliàs pręſtat Oratio horrida, quã nimius ornatus. 199. p. 311. Nimis ornata Oratio corruptæ vrbis indiciũ. 299. p. 458. variè deſcribitur, & carpitur. Ibid. Adhortatio ad vitãdã in Concionibus orna-

ornamentorum intemperantiâ.331.p. 500 & ſeqq. Ornamenta veſtium,& cæterus cultus,ceu vitiorum fomes, maximè luxuriæ, vituperatus a Patribus 294. p.450.damnatus etiam ab Ethnicis,& a Poetis quoq; 295.p. 452.453 454.

OTNITHON.

Deſcribitur.146.p.227.

P.

PANEGYRICVS.

Vide, ORATIO.

In Panegyrico quoq; finis Oratoris perſuaſio eſt. 28.p.36.& ſeqq.vſq; ad n. 3.p.51. Oblectatio non eſt finis Oratoris, nec in Panegyricis.25.p.48.& ſeqq. vſq; ad n. 30. pag.51.alioqui Poetica cũ Rhetoricâ confunderetur. n.29 Enthymema conuenit etiam Panegyricis.27.p.44.quãdo nẽpe facta ignota sũt. 27.p.45;ſecus,quando nota. Amplificatio Panegyrici propria. Ibid. In Panegyricis,licèt notiſſima ſint facta, tamen argumenta maximè ſunt adhibenda, quia multa adhuc adiuncta illorum ignorantur. 28. p.47. Quomodo Auditor in Panegyrico de facultate Oratoris iudicet. 35. p. 58. tempus præſens ſpectatur in Panegyrico ab Auditore. n.35.p.60. Qualis ornatus in Panegyrico requiratur, qualis repudiet. 37 p.61.vſq; ad n.41.p.67. Non detrahitur ſu⁹ ornat⁹ Ille ornat⁹, qui perſuaſioni prodeſt requiritur in Panegyrico, qui verò obeſt, reijcitur.n.38 p.63. Panegyric⁹, ex quo nihil fruct⁹ capit Auditor,vitioſus eſt. 44.p.73. Vani Panegyrici conflantur ab acuminum venatoribus. 56. p.97.vſq; ad n.60. p. 104. Specimen apti Panegyrici præbetur. vſq; ad n.69.p.117.Aliqua propoſitio actuoſa in Perorationis initio, etiam in Panegyricis ſtatuenda eſt. 224.p.347 Peroratio etiã in cunctis Panegyricis ecu pars,non eſſentiæ,ſed perfectionis adhibenda.Ibid. & n.225.p.348 vſq;ad 235. p.365.Quomodo propoſitio cognitionis, & actionis, & qualis locum in Panegyricis habere poſſit. 226 p.350.ad n.235.p.365. Peroratio etiam in Panegyricis adhibetur.231. p. 359. nec repugnat Ariſtoteles.232.p.360.

PARADOXA, venditata in Concionibus maximè exagitantur. 249. p. 388. n.250.p.389.

PATRONVS.Oratio vitioſa eſt, quum patronus difficiliùs,quàm cliens,intelligitur.44.p.73.

PECCATOR.

PECCATVM.

Vide, SCELESTVS.

PERORATIO.

Initio Perorationis, in quauis Oratione, aliqua

Panegyrico.n.47. p.62. 63. propoſitio actuoſa ſemper deſigenda eſt,etiam in Panegyricis. 224. p. 347. & ſeqq. Eſt pars Orationis, ad huius, non eſſentiam, ſed perfectionem ſpectās, omni generi conſentanea. Ibid.& pag. 348 nu. 225. & p.349. vſq; ad n. 232.p. 360.p. 362. 233. Clamoſa Peroratio ineptè ſubijcitur ioculari Orationi. 229. p. 355. Quàm dexterè in demōſtratiua quoq; Oratione fabricari queat.231. p. 359. Ariſtoteles negat ſolùm Perorationem eſſe partem eſſentiæ Orationis, non autem perfectionis.232. p. 360. Nil refert, licèt genera cauſſarum, addita Peroratione, miſceantur, at non idcirco confunduntur 233. p. 362.

PERPINIANVS. Ioānes Perpinian⁹ veneno necat⁹ ob Orationes de vetere religione retinēda. 10. p.17.

PERSPICVITAS Prima ingenij virtus. 127. p. 217.

PERSVADEO.
PERSVASIO.

Finis Oratoris eſt perſuaſio Auditorum. 21. p. 34. & ſeqq. Perſuadendi inſtrumenta tria, argumenta, mores, & affectus. 26. p. 43. 49 p. 79. Perſuaſio eſt finis quoq; Rhetoricæ Academicæ. 31. p. 52. Nulla Oratio eſſe poteſt, niſi ad perſuadendum ſit accommo lata. 32. p. 53. Rhetorica Academica ſatagens delectādo perſuadere, adhuc perſuaſionem ceu finem vltimum intuetur. 33. p. 56. 57. Digreſſio, vel alia ornamenta in Oratione, niſi perſuaſioni ſeruiant, minimè toleranda. 38. p. 63. vſq; ad n.41. p. 67. Perſuadendi finis, atq; opus quàm difficile ſit, ac nobile. 153. p. 237. ad n. 160 p. 246 Perſuaſio Oratoria nō in ſola cognitione, ſed in actione quoq; poſita eſt. 223. p. 345. Perſuaſio in ſolà quoq; rei cognitione ſita oſtenditur. 226. p. 350. Complectitur cognitionē intelligentiæ, & motum voluntatis 230. p. 357.

PETAVRISTA. Deſcribitur. 106. p. 166. Ludi petauriſtæ. 107. p. 167.

PICTOR) Difficultas
PINGO) pingendi, & elegantia. 143. p. 223.

PILA. PILÆ LVDVS. Vide, LVDVS.

PISTOR. Piſtoris cruſtula deſcribuntur. 52. p. 84.

PLAVDO) Ingēs plau-
PLAVSVS) ſus cōſequitur ingenium, & artificiū Tulliani Oratoris. 239. p. 371. ad. p. 375.

PLVVIA. Procelloſa nō fœcundat ſolum, ſed perdit. 213. p. 331.

POESIS) Si delecta-
POETA) tio ponatur
POETICA) finis Rhetori-

toricæ, Rhetorica confunditur cum Poetica, cuius illa finis eſt.29.p.49. Poeta non diſtinguitur ab Oratore ob ſolum carmen.

PRECATIO) Conſtan-
PRECES) tia S. Caroli in precibus. Vide, S. CAROLVS.

PROCELLA. Vide, PLVVIA, TEMPESTAS.

PROPOSITIO. Vide, PERORATIO, QVÆSTIO.

Propoſitio actionis remota, & proxima in omni Oratione neceſſaria eſt. 227. p. 351. illa inſtar claui eſt, hæc inſtar cunei. 228. p. 353. & 354. n. 229. p. 356. quomodo vna alteri famuletur. 230. p. 356.

PVGNA) Ludicra pu-
PVGNO) gna puparū. 52. p. 88. 89.

PRVDENS) Pruden-
PRVDENTIA) tia exprimenda eſt ab Oratore. 92. p. 150. Prudentia Oratoris in quo ſe prodat. 93. Ibid. minimè oſtenditur a vanis Oratoribus. Ibid. p. 151.

Q

QVÆSTIO. Vide, ORATIO. Meræ cognitionis ad Academicam Rhetoricam ſolùm ſpectat. 220. p. 340. Orationes cognitionis quęſtionem ſolùm edisſerentes, non ſunt veræ Orationes. 221. p. 341.

QVINTILIANVS. Laudatur. 87. p. 144. & 145. n. 88. p. 145.

R

RATIO. Vide, ARGVMENTVM.

RHETORICA, RHETOR.

Vide, ELOQVENTIA, ORATIO, ORATOR.

Præcepta eloquentiæ, & Rhetoricæ, licèt peruulgata, tamen denuo oſtendēda, quia a pleriſq; ſpernūtur. 20. p. 32. 33. Rhetorica eſt facultas videndi quid in quaq; re ſit accommodatum ad perſuadendum. 25. p. 41. Si oblectatio ponatur finis Oratoris, Rhetorica confunditur cum Poetica. 29. p. 49. Rhetorica Academica oblectationem, ceu finem primariū ſpectans, exploditur. 30. p. 51. vſq; ad n. 35. p. 58. Rhetorica etiam Academica habet pro fine perſuaſionem. 31. p. 52. Rhetorica Academica plerunq; dum oblectationem venatur, & affectationem oſtendit, adulterina eſt. Ibid. & n. 34. p. 57. Rhetorica Academica perſuadere oblectando nititur. 33. p. 55. quod tamen nouum prorſus monſtrum eſt, ab vrbe arcendū. Ibid. perduellionis rea eſt. Ibid. Rhetorica Academica ſatagēs delectando perſuadere, adhuc perſuaſionem habet pro fine. Ibid. p. 56. Rhetorita Academica quæſtiones meræ cognitionis pertractat. 220. pag. 340. Tullianis Orationibus cedit. 221. pag. 341.

Diſci-

Diſcipuli Rhetoricæ aſſuefaciendi ſeriis potiùs argumentis, quàm Academicis exornandis. Ibid. p. 342. Cõcionum deprauatio ab Academicis coetibus, ſtylo, ac meditamentis ducit originem 280. p. 429. 430. n. 281. p. 431. Ex malis Oratoribus peiores fiunt Concionatores. Ibid. Inepta diſcipulorum in Rhetorica inſtitutio peruertit deinde Conciones. Ibid. vſq; ad 286. p. 438. Rhetorices diſcipuli perperam in ludicris argumentis ſemper detinentur. 282. p. 434. n. 283. p. 435. Ex Rhetorices diſcipulis malè formatis peruerſi Cõcionatores euadunt. Ibid. ad n. 286. p. 338. Vitioſa Rhetoricorum diſcipulorũ inſtitutio quàm ſit Reipub. detrimentoſa. 286. p. 438. ad n. 291. p. 446. quia hinc praui Cõcionatores euadunt. Ibid. Amoueantur a Rhetorices Magiſterio cuncti, qui a Ciceronis artificio ad corruptelas blandæ Orationis deflectunt. 288. p. 441. foueanturq; Tullij imitatores. Ibid. quod ſanxit Ignatius. 289. p. 444. & obſeruat Societas. 290. Ibid. & ſeqq.

S

SAGITTA. Sagittæ quis pinnarum modus conueniat. 40. p. 68.

SALTATIO) Deſcribi-
SALTO) tur. 105. p. 165.

SATIETAS.

Acuminum luxus affert Satietatem. 77. p. 129. vſq; ad n. 79. p. 135. Tollit attentionem. 77. p. 130. Artificioſa ſatietatem citius pariunt, quàm naturalia. Ibid. p. 131. Quę initio delectant in natura, paulò poſt ſatiant. 78. p. 132. Oblectationi officit. 197. p. 307. 198. p. 309. Inuerſi ordinis indiuidua appendix. 203. p. 319.

SCÆVOLA. Vide, MVTIVS SCÆVOLA.

SCELERATVS) Mun-
SCELESTVS) dus ſceleſtis refertus. 247. p. 384. 385. obſtinatè ſceleſtus difficillimè conuertitur, quocirca ineptè polítula oratione percellitur. 274. p. 419. 420.

SCHOLA. Vide, RHETORICA.

SENTENTIA. Vide, ACVMEN, ELOQVENTIA, ORATIO, ORATOR, RHETORICA, STYLVS.

Vitioſę ſententię recenſitæ a Quintiliano. 87. p. 145. & reprehenſæ. 88. p. 146 rationibuſq; confutatæ. 89. p. 147. 148. Nimis denſæ ſententiæ improbantur. 89. p. 147. cõciſam faciunt Orationem. Ibid. neq; eminent, ſed mutuò ſe obruũt. Ibid. & pleræq; frigidæ, ineptęq; ſunt. Ibidem. p. 148.

SO-

SOCIETAS IESV. Cordi habet Ciceronis in Rhetoricis imitationem. 290. p. 444.
SPHÆRA. Deſcribitur. 139 p. 218. Sphæræ inſtar Oratio fabricata. 162 p. 251.
STATVA. Imitatur hominem, ſed caret motu. 51. p. 82. 83.
STYLVS.
Vide, CICERO, ELOQVENTIA.
Stylus omnium nocentiſſimus, qui acuminibus luxuriat. 7. p. 13. 14. Ex dẽſitate ſententiarum conciſus neceſſariò euadit. 89. p. 147. Eloquentiæ corruptelæ acri ſtylo iure reprehenſæ. 291. p. 446. ad 297. p. 455. 319. p. 484. ad n. 324. p. 489. Stylus Ciceronianus non e verbis tantùm Tullianis, ſed potiùs ex artificio metiendus. 324 p. 490. 491. 492. Qualis ſtylus in hac Actione a me adhibitus ſit. 325. p. 492. defenditur. n. 326. p. 494. 495. n. 327. p. 496. & ſeqq. Hæc actio nonniſi Tulliano ſtylo refelletur; ſed tum non refelletur, at confirmabitur. 327. p. 496. & ſeqq.
T
TACITVS. Laudatur ab Oratoribus acuminũ venditatoribus. 123. p. 190. Perperam appellatus ad exemplum Oratorij ſtyli tuendum. 152. p. 234. De eius ſtylo, & Latinitate iudicium. Ibid.
TÆDIVM. Vide, SATIETAS.
TEGO. Tegere artificiũ Orationis quàm ſit arduũ. 170. p. 261. n. 171. p. 263.
TEMPESTAS. Vide PLVVIA.
TEMPLVM. Deſcribitur. 143. p. 222.
TERRA. Deſcribitur. 141. p. 220.
V
VERSVS. Vide, CARMEN.
VESTIS. Luxus veſtium improbatus a priſcis Patribus. 294. p. 450. ceu vitiorum, luxuriæ preſertim fomes.
VIRIDARIVM, Vide, HORTVS. Deſcribitur. 201. p. 315. n. 203. p. 317. n. 217 p. 334.
VIRTVS. Ab Oratore exprimenda. 92. p. 150. A vanis Oratoribus minimè oſtenditur. 94. p. 152. Ab Oratore ſemper ad virtutem impellitur. 219. p. 338. ad n. 239. p. 371 Nulla tam ſolida, quin Dęmonis inſidijs obnoxia ſit. 272. p. 417.
VITIVM. Orator retrahit ſemper a vitio. 219. p. 338. ad n. 239 p. 371.
VRBS Vide, CIVITAS.
VTILIS) Delectatio
VTILITAS) ex vtili honeſtate percipitur. 210. p. 324. Non affertur a vanis Concionatoribus. 211. p. 327. ad n. 216. p. 332. affertur verò a frugiferis Concionatoribus. 217. p. 334. vſq; ad n. 219. p. 338. Vtilitas

tas honeſta ab Oratore ſemper creatur, quia ad virtutem ſemper impellit, vel retrahit a vitio. ad n. 239. p. 371.

X

XAVERIVS. S. FRANCISCVS XAVERIVS. Cancer amiſſum Crucifixum Xauerio referens delineatur. 122. p. 187. ſed talis deſcriptio excogitatur. 124. p. 191, 192. 125. p. 193.

FINIS.

A01 1463419

Digitized by Google